Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
G
18
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXVI
G
18

SANCTUS

THOMAS AQUINAS,

EX VTROQVE SVGGESTV,

SIVE

THEOLOGIA MORALIS

ANGELICI DOCTORIS

IN CONCIONES DIGESTA:

DE OECONOMIA ET POLITIA CHRISTIANA;

NEC NON

DE GLORIA SACRI ORDINIS

FF. PRÆDICATORVM.

AVCTORE R. P. F. HYACINTHO CHALVET, ORDINIS, Fratrum Prædicatorum, Conventus Toloſani, Sancti Thomæ Aquinatis Alumno, Sacræ Theologiæ Doctore, & in ſacra Facultate Academiæ Cadomenſis, ſpacio vigenti annorum, Profeſſore Regis emerito.

TOLOSÆ,

Excudebat JOANNES BOUDE, Regis, Comitiorum Linguæ Occitanæ, & Academiæ Toloſanæ, Typographus. M. DC. LXXXII.

Cum Privilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

OECONOMIA CHRISTIANA
SANCTISSIMO PATRIARCHÆ

J O S E P H,

DEIPARÆ VIRGINIS

MARIÆ CASTISSIMO SPONSO,

NEC NON

CHRISTI DOMINI PATRI

EXISTIMATO, OMNIVM CHRISTIANORVM

PATRONO COLENDISSIMO

TOTIVSQVE CHRISTIANÆ OECONOMIÆ,

ET FAMILIÆ EXEMPLARI,

EX TOTIS MEIS PRÆCORDIIS CONSECRATA.

FR: HYACINTHVS CHALVET
Ordinis FF. Prædicatorum humillimus
ejus ſervus.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMI PATRIARCHÆ JOSEPH, DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ CASTISSIMI SPONSI, NEC NON CHRISTI DOMINI Patris exiſtimati, omniumque Chriſtianorum Patroni colendiſsimi, & totius Chriſtianæ Oeconomiæ, & familiæ exemplaris.

ENCOMIVM

FIDELIS SERVVS, ET PRVDENS, QVEM CONSTITVIT Dominus ſuper familiam ſuam.

EXORDIUM.

DE LAVDIBVS ſanctiſſimi Ioſeph ſupra Tomo octavo lib. de prudentia Oeconomica & juſticia fusè à nobis actum eſt; quibus hæc ad complementum hujuſce libri de Oeconomia Chriſtiana cenſui adijciends.

Tria ſunt, ut ſupra oſtendimus, quæ ad perfectum familiæ tegimen, & ad prudentiſſimi Oeconomi etga domum ſibi commiſſam recte gubernandam munera ſpectant. Et quidem primò, ut uxorem, quam duxit, ſincere in Deo deligat, fidemque juratam, illibatam, & inviolatam præſtet. Secundò, ut filios, quos ex legitima uxore genuit, tam quoad corpus, quàm quoad animum ſapienter regat. Tertiò, ut debitam ſervorum ſuorum curam habeat.

Sanctiſſimus Patriarcha Ioſeph, Deiparam Virginem Mariam, veram habuit uxorem, veruſque, & legitimus ejus fuit ſponſus. Ex Maria Virgine, non virili Ioſephi ſemine, ſed ſpiritu S. ſuperveniente, & virtute altiſſimi obumbrante natus eſt Chriſtus, verus Dei filius, patrique æterno coæternus, & conſubſtantialis, qui in domo Ioſeph conceptus toroque ſuæ infantiæ tempore enutritus, tanquam ejus filius à Iudæis habebatur; patrique ſuo exiſtimato, ſeu putativo, ſicut, & Mariæ veræ ejus matri ſubditus erat, ut refert ſacer Evangelii textus.

Nullos autem, cùm in tertis degeret, ſanctiſſimus hic pater familiâs ſervos habuit, quibus imperaret, nulloſque redditus temporales, nullos agros, nullaque pecora, ſed manuum ſuarum operâ artiſque fabrilis, quam etſi Regum Iuda ſemine natus, exercebat, familiam ſuam ſuſtentabat. Ampliſſimam tamen poſt ejus mortem ſervorum (omnium ſcilicet Chriſtianorum; qui ejus ſeſe clientelæ addicunt) catervam Deus regendam conceſſit. Sanctiſſimvs hic Ioſeph Mariam ſibi deſponſatam unice in Chriſto dilexit, promiſſamque illi fidem, inviolatam ſervavit; Chriſtum veram ſolius Mariæ Virginis prolem tanquam proprium filium paterno affectu enutrivit; omneſque Chriſti. & Mariæ ſervos. & clientes precibus apud Deum juvat. Omnia ergo perfecti Oeconomi, patriſque familiás prudentiſſimi munia implevit, ut de illo jure optimo dici debeat; *fidelis ſervus & prudens, quem conſtitvit Dominus ſuper familiam ſuam.* Singula ſequentibus ſectionibus demonſtro.

SANCTISSIMUS
PATRIARCHA JOSEPH,
MARIÆ VIRGINIS DEIPARÆ
verus fuit ſponſus, quam ſemper caſte dilexit, & ab illa dilectus eſt, mutuamque ſibi ad invicem maritalem fidem præſtiterunt.

SECTIO PRIMA.

INTER B. Virginem Mariam, & Ioſephum, verum, proprium, ratumque matrimonium non interceſſiſſe, ſed rantùm ſponſalia, non nulli ſanctorum Patrum videntur aſſerere, ut Bernardus, Chryſologus, Cyrillus Heroſolym, Hieronymus, Cyprianus: ex evangelica tamen hiſtoria apertiſſime colligitur, matrimonium ratum inter B. Virginem & Ioſephum extitiſſe, licet numquam conſummandum, nec carnali copulâ conſummatum. Math. *Iacob genuit Ioſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus*; cui Ioſepho mox Angelus dixit; *noli timere accipere conjugem tuam*; quod ex cæremoniis, quæ apud Iudæos in matrimoniis obſervabantur colligit Baronius tom. annal. anno Chriſti 17. Sanctus enim Ioſeph annulum ſponſalem loco arrhæ ſolitum dari obtulit; qui annulus Peruſis, Italiæ civitatis in Eccleſia S. Laurentii magna veneratione ſervatur. Pallium adhuc ſuum S. Ioſeph ſupra B. Virginem extendit, quo illam coopervit, ut mos erat apud Hebræos. Inde nuptiæ, ab obnubendo dictæ: quare tanquam veritas fide catholicâ tenenda eſt, verum, ac ratum inter Mariam, & Ioſephum interceſſiſſe matrimonium, S. verò Patres ſupra à nobis relati, qui contrarium cenſere videntur, loquuntur rantùm de matrimonio conſummato; quod cum copulam carnalem importet: ut hanc longe à virgine relegarent, matrimonii, aut mariti nomina fugiebant: poſſe autem verum, & eſſentiale matrimonium eſſe abſque copula conjugali, unanimis eſt Theologorum conſenſus, juxta definitiones concilii florentini in decreto Eugenii & Tridentini ſeſſ. 24. unde Auguſtinus lib. de nuptiis c. 11 non fallaciter dictum eſt ab Angelo ad Ioſeph: *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec futura erat carnis commixtio. Quod lib. 2. de conſenſu Evang. confirmat his verbis: exemplo Virginis, & Ioſeph inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervatâ pari conſenſu continentiâ, poſſe permanere, vocarique conjugium, non commixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. Omne adhuc abſque carnali copula, nuptiarum bonum, in hoc caſtiſſimo Ioſephi. & Mariæ conjugio impletum eſt, proles ſcilicet, fides, Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Ieſum: fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.

Cur verò Chriſtus voluerit ex Virgine deſponſata Ioſepho, vero ejus marito naſci, rationes affert Hieronimus, quarum prima hæc eſt, ut per generationem Ioſeph, origo Mariæ monſtraretur: ſecunda, ne lapidaretur, à Iudæis ut adultera: tertia; ut in Ægiptum fugiens haberet ſolatium. Quartam addit Martyr Ignati, ut partus ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de uxore, & Ioſepho generatum Ioſeph ergo Mariam Virginem, veram habuit uxorem Quanto verò illam amore dilexerit, ex tribus aperte conſtat, primò quia eam videns prægnantem, de ejus numquam continentia dubitavit, nec illam voluit infamare. Secundò, quia numquam illam deſerüit, nec divortium petiit, ſed in domo ſua reverenter ſemper cuſtodivit. Vnde Evangeliſta; cum eſſet Ioſeph juſtus, videns uxorem ſuam prægnantem, quam tamen carnaliter non noverat, *noluit eam traducere*; de ejus virginali continentia certiſſimus, quam pari conſenſu Deo voverant. Tertiò, quia fidem illi in conjugio promiſſam ſemper ſervavit. Quamvis enim aliqui ex patribus Græcis docuerint, Ioſephum ex alia conjuge liberos genuiſſe, antequam Mariæ deſponſaretur, quod ex Evangelio conijciunt, ubi dicitur Chriſtum fratres habuiſſe; ſed fratres Chriſti appellantur, ait Hieronymus, quia ejus erant germani; certiſſimum tamen eſt Ioſephum virum Mariæ, Virginem ſemper permanſiſſe; & tanquam de fide tenendum Doctores Theologi quamplures cenſent. Longe adhuc certius eſt promiſſam ſponſæ ſuæ in conjugio fidem inviolatam ſervaſſe, quem nulla libidinis cogitatio impetivit. Eum adhuc multi docent in ventre materno fuiſſe ſanctificatum. Ioſeph ergo Mariam uxorem ſuam ſingulari ſemper benevolentiâ dilexit; à qua non diſpari charitate fuit dilectus, fide illi illibatâ ſervatâ. Nullum ergo ſanctius conjugium; quia nulli conjuges ſanctiores; & ex hoc primo capite, ſacra & Chriſtiana S.

Ioſephi

Ioſephi Oeconomia maxime eluceſcit.

Vnde pia, ac religioſa apud Chriſtianos conſuetudo viget, ut qui connubium volunt contrahere, Ioſepho, ejuſque caſtiſſimæ uxori, Mariæ virgini ſe voveant, ejuſque pro fœlicitate conjugi, novem Miſſarum ſolemniis opem efflagitent; cujus exemplo viri uxores, ſponſæ viros; caſte diligant, fidemque promiſſam mutuo illibatam ad invicem præſtent. Ad aliud perfecti patris Familiâs, & Oeconomi munus, videlicet erga filios tanſeo.

SANCTISSIMUS PATRIARCHA JOSEPH, ERGA CHRISTVM, CVJUS TAMEN verus non fuit, ſed tantùm vulgi falsâ opinione exiſtimatus filius, cuncta pii parentis, & perfecti patris familiâs munia implevit.

SECTIO SECVNDA.

TRIA ſunt præcipua patris, & Matris familiæ, circa rectum filiorum tegimen munera. Et quidem primum quoad corporalis eorum vitæ ſuſtentationem. Secundum quoad vitæ ſpiritualis ſubſidium; rectamque animorum inſtitutionem. Tertium, quoad bonorum domeſticorum communicationem: parentes enim filios tenentur alere, optimis diſciplinis inſtruere; ſuorumque bonorum hæredes inſtituere. Chriſtus verus fuit & naturalis Mariæ Virginis filius, Ioſephi autem ſolummodo vulgi opinione exiſtimatus. Erga tamen illum ſanctiſſimus Patriarcha Ioſeph triâ illa paternæ curæ munia implevit.

Et quidem, quoad primum; certiſſimum eſt Chriſtum triginta annorum ſpatio, quo toto tempore, vitæ ſuo abſconditæ intra domum Ioſeph manſit, fabrilis illius artis opere fuiſſe nutritum. Ioſeph licet ex inecyta Regum Iudæ familiâ fuerit, filius Regis David, Deo tamen ſic diſponente, Regio ſpoliatus, quod illi jure debebatur, diademate, artem fabrilem lignariam exercere coactus eſt. Cujus rei minime ignari Hebræi dicebant, *nonne hic eſt filius fabri*? ut arte vili, ait Chriſologus Serm. 48. ars lateret auctoris, & deitatis nomen fabri nomine abſconderetur. Chriſtus verò erat quidem fabri filius, ſed illius qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto; qui elementorum membra, non ingenio, ſed juſſione compegit: qui maſſam ſæculi non carbone, ſed auctoritate conflavit; qui ſolem non terreno igne, ſed ſupremo calore ſuccendit cùm ergo fabrili arte ejuſque operibus Ioſeph, quæ ad parvæ ſuæ familiæ ſuſtentationem erant neceſſaria compararet; veriſimillimum eſt, Chriſtum toto tempore quo in domo Ioſeph manſit abeo, ejuſque impenſis fuiſſe enutritum. O ſupra omnes patres familiarum laudaudum, ô admirandum, ac fœliciſſimum Oeconomum, qui Dei filium, totius orbis Dominum alere meruit; quâm prudens, fidelis iſte pater familiâs quem Chriſtus elegit ſuæ carnis nutritium, ſuæque matris ſolatium. Antiqui illius Patriarchæ Ioſeph maximis extollitur encomiis Oeconomica prudentia, quòd Regem Pharaonem totamque Ægiptum tempore famis abunde aluerit; ſed longe magis prædicanda Ioſephi Mariæ virginis ſponſi ſapientia, qui totius orbis Regem enutrivit, totique Chriſtianæ familiæ alendæ Chriſtum panem Angelorum, & frumentum electorum ſubminiſtravit; in ejus enim domo frumentum hoc Ecœlo ſeminatum eſt; adolevit, & ad maturitatem pervenit.

Quàm adhuc prædicanda Sanctiſſima Maria Virgo, vera Chriſti mater, quæ filium ex utero ſuo genitum proprio lacte toto ſuæ infantiæ tempore aluit. Quò ſpectans Eccleſia has illi laudes quotidie decantat; *Neſciens Mater Virgo virum peperit ſine dolore, ſalvatorem ſæculi ſola virgo lactabat vbere de cœlo pleno.* Ad aliud perfecti Oeconomi munus tranſeo, quod ad filiorum rectam inſtitutionem ſpectat: Chriſtus eximiam adhuc puer ſapientiam ſuis reſponſis oſtendit, ſapientiſſimi Doctoris munus ex cathedra implens. Vnde Iudæ; ſtupentes, unde inquiunt tanta ſapientia? numquid *hic filius eſt fabri qui nunquam litteras didiut*, quibua chriſtus; *Doctrina mea, non eſt mea, ſed ejus qui miſit me pater.* Quid ergo poterat ignorare, qui in ſchola Dei patris ab æterno fuerat edoctus? qui in primo ſuæ temporalis conceptionis inſtanti omnes ſcientias infuſas habuit? quam adhuc in moribus efformandis inſtitutionem ab hominibus potuit recipere, qui ab eodem inſtanti fuit omnium virtutum, & gratiarum donis ornatus; qui erat impeccabilis, & nullos habuit utriuſque appetitus motus inordinatos? non potuit ergo a Ioſepho, nec à ſanctiſſima matre, ali-

quām circa mores rectè efformandos inſtitutionem recipere. Optima tamen illi ambo virtutum omnium exempla præbuerunt, ex quibus quamdam potuit ſcientiam practicam recipere. Vnde dicitur in Evangelio, quòd. *Puer creſcebat ætate & ſapientiâ.* Sed & ipſe Ioſeph, qui augmentum ſignat, juxta illud, *filius accreſcens Ioſeph*, Chriſti filii ſui ſanctiſſimis exemplis, nova quotidie virtutum incrementa capiebat. quod & nomen ejus portendit. Ioſeph enim Hebraicè *arborem juxta fontem, vel juxta oculum creſcentem ſignificat*, quod noſtro Iuſeph rectè congruit, nam infans Chriſtus, quem ipſe amplexabatur cujus pedes ſæpe oſculabatur, juxta quem ſedebat, dormiebat, vigilabat, ac permultâ virtutum opera exercebat, omnium bonorum fons erat ubertimus. Bene ergo juxta *fontem* creviſſe dicitur Ioſeph, vel juxta *oculum*, qui juxta oculos Chriſti verſabatur; quem ipſe ut pupillam oculorum ſuorum diligebat. O fœlicem arborem tali irrigatam fonte: ad maximum verò eam incrementum perveniſſe, quis quæſo ambiget.

Et hæc eſt hæreditas quam Ioſeph filio ſuo moriens reliquit, virtutum ſcilicet omnium exempla; non quibus Chriſtus ipſe, virtutum omnium Rex & exemplar erudiretur, ſed quibus Chriſtiani ad ſanctitatem promoverentur.

Suis ergo filiis parentes bene vivendi præbeant exempla: maxima hæc eſt hæreditas.

SECTIO TERTIA.

SANCTISSIMUS PATRIARCHA NECNON PRVDENTISSIMUS OECONOMVS JOSEPH CHRISTIANORVM OMNIVM, QVI ejus ſe Dominio, & clientelæ addicunt, ſpecialem habet curam, ſuiſque eos precibus juvat.

CVM ſanctiſſimi Ioſeph, Deiparæ Virginis caſtiſſimi ſponſi mentio quæritur; memento, inquit Bernardus homil 2. ſuper miſſus eſt, magni illius quondam patriarchæ venditi in Ægipto, & ſcito ipſius iſtum, non ſolum vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam, prudentiam, aliaſque perfecti Oeconomi virtutes aſſequutum. Siquidem ille Domino ſuo fidem ſervans, Dominæ noluit commiſceri; iſte Dominam ſuam Dominique ſui matrem Virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodivit. Illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum, iſti datum eſt conſcium fieri, atque participem cœleſtium Sacramentorum. Ille frumenta non ſibi ſoli, ſed omni populo: iſte panem è cœlo miſſum, panem vivum, ſervandum accepit, tam ſibi, quàm toti mundo.

Antiquum illum Patriarcham Ioſeph, eo quòd fame ubique terrarum graſſante, Ægipto, ſingulari ſuâ prudentiâ, & Vigilantia, frumenti copiam procuraſſet, ad ſummum à Rege Pharaone dignitatis culmen evectus eſt; itaut in curru regio ſecundus à Rege veſte purpureâ indutus, & aureâ torque ornatus ſederet, & ab omnibus Ægiptiis tanquam eorum Dominus, muodique ſalvator adoraretur. Sanctiſſimus Patriarcha Ioſeph, Deiparæ Virginis ſponſus, Chriſtique ejus veri naturalis filii pater exiſtimatus, longe plura toti orbi beneficia contulit. Nam, ut ſupra cum mellifluo Doctore retulimus, panem vivum, panem Angelorum, Chriſtum Dominum, Herodis invidiam fugiens, in Ægiptum portavit. eumque à nece liberavit. Quare potiori jure & à Chriſto Rege Regum maxime honorandus, & ab omnibus Chriſtianis, tanquam eorum Dominus colendus, ipſiuſque Chriſti ſalvatoris Ieſu ſalvator honorandus.

Servuli nos omnes tam ſublimis Domini ſumus qui Chriſtum, & ejus ſanctiſſimam matrem ſalvaos, nos à Dæmonis ſervitute liberavit. Quis ejus Dominio ſubjici, ejuſque præclariſſimæ familiæ adſcribi dedignabitur? Fidelis, & prudens eſt Oeconomus, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem fideliſſimum, totiuſque familiæ Chriſtianæ ſapientiſſimum Oeconomum. Ipſe, qui Chriſtum infantem, cùm in ſua domo degeret, enutrivit; ipſe matrem ejus Mariam Virginem artis ſuæ fabrilis operâ aluit; ipſe adhuc ſervulorum ſuorum, & clientum curam habebit.

Quidni? illi enim nec ſapientia deeſt nec potentia, nec voluntas? non ſapientia; fidelis enim eſt & prudens, magni conſilii coadjutor. Non potentia, Chriſtum enim omnia portantem, ipſe brachiis ſuis portavit; & ab eo ſuæ familiæ Dominus conſtitutus. Non voluntas; pater eſt omnium fidelium, quos Chriſto quodammodo genuit, cùm illum ab Herodis invidia liberavit. Totis ergo medullis cordium; totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Sanctiſſimum Ioſephum, ſanctiſſimamque ejus ſponſam Mariam veneremur; quos enim Deus in ſua junxit familiâ, homo non ſeparet. Pater ille, mater iſta Chriſtianæ familiæ; nos utriuſque famuli ſumus.

OECONOMIA CHRISTIANA

SIVE OECONOMICORVM JUXTA LEGES

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

LIBER PRIMUS.

PROOEMIVM.

V*TINAM, quemadmodum univerſi facies in conſpectum venit; ita Theologia Moralis tota nobis poſſet occurrere, ſimillimum mundo ſpectaculum. Profectò omnium mortalium animos in admirationem ſui raperet; ſed quia contingere hoc non poteſt, ſic erit à nobis inſpicienda, quemadmodum mundi ſecreta cernuntur. Theologiam Moralem in partes, non in fruſta dividam: Dividi enim illam, non concidi utile eſt; nam comprehendere, quemadmodum maxima, ita & minima difficile eſt. Theologia Moralis in tres partes dividitur; ut alia ſit* Monaſtica, *quæ ſingulorum hominum animos, eorumque actus componit: alia* œconomica, *quæ circa privatæ domus, & familiæ regimen verſatur: Tertia Politica, ceu* Civilis, *quæ ad regendos populos, urbes, & Regna ordinatur: unde hoc nomen, ſortita eſt;* πολις *enim Græcè, civitas Latinè appellatur. De Monaſtica fuſiſſimè Tomo ſexto, ſeptimo, octavo, nunc de œconomica.*

QUÆSTIO PRIMA.

DE SOCIETATE, QUÆ TOTIUS Oeconomici, & Politici, ceu Civilis Regiminis eſt fundamentum.

CAPUT PRIMUM.

Vitæ ſocialis Encomium ex eius honeſtate, utilitate, & ſuavitate.

MAGNA procul dubio, & innumera nobis bona præſtat ſolitudo, quam, qui Deum invenire cupiunt, ut ait Philo, lib. de Abraham, ſummopere diligere debent; hoe primùm modo imitantes beatam illam, divinamque eſſentiam, ſic enim æternitatis rectiſſime avari, ut præclare Eucherius dixit, Epiſt. ad Hilar. bene prodigi brevitatis, incurioſi præſentis temporis, certi futuri, per hoc aſſequuntur, ut in quos ſæculorum fines decurrerunt, his ſæculis ſine fine contingant. Eremus quædam fidei ſedes eſt, virtutis arca, charitatis ſacrarium, pietatis Theſaurus, juſtitiæ promptuarium. Verùm quid prodeſt recondere ſe, & oculos hominum, aureſque vitare, ſi corpore remotus tumultibus converſationis humanæ terrenorũ deſideriorum cognitione animus ſe infert: jucundum eſt eſſe ſecum, cùm quis ſe dignum diutiſſimè, quo fruatur efficit. Bona conſcientia turbam advocat; mala in ſolitudine anxia eſt, atque ſollicita; ſi honeſta ſunt quæ facis, Ait Seneca Ep. 5. omnes ſciant; ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cùm tu ſcias?

Crates cùm vidiſſet ſecretò ambulantem adoleſcentulum interrogavit, quid illic ſolus faceret? Mecum, inquit, loquor. Cui Crates. Cave ne cum homine malo loquaris. Sæpe ſæpius qui homines fugit, ille eſt quem cupiditatum ſuarum infœlicitas relegavit; qui alios fœliciores videre non potuit; qui ſe velut timidum, atque iners animal metu occultavit, ille ſibi non vivit, ſed, quod turpiſſimum eſt ventri, ſomno, libidini. Non ſibi vivit, qui nemini vivit; qui multis uſui eſt; vivit ille, & qui ſe utitur: qui verò latitant, & torpent, mortem ſuam anteceſſerunt. Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Nemo eſt, cui non ſanctius ſit, cum qnolibet eſſe quàm ſecum. Licet foris reſonent omnia, dummodo intus tumultus non ſit; dummodo inter ſe non rixentur cupiditas & amor, aliique affectus non diſſideant, nec alter alterum vexet, bene eſt animo. Nam quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremant?

Sede ergo ſolitarius, ſicut turtur, ait Bernardus, *ſerm. 2. cantic.* nihil tibi, & turbis, nihil cum multitudine cœterorum; etiam ipſum obliviſcere populum tuum, & Domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. O Sancta anima, ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus elegiſti. Fuge publicum: fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & intimis fuge & a teipſo, & teipſum, An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus cœteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore; ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Chriſtus Dominus, qui ſpiritus, non corporis requirit ſolitudinem; quanquam & corpore interdum non ocioſè te ſeparas, cùm opportune potes, præſertim in tempore orationis. De cœtero ſola indicitur tibi mentis, & ſpiritus ſolitudo. Solus es ſi non communia cogites; ſi non affectes præſentia; ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt; ſi faſtidias, quod omnes deſiderant. Alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es. Videſne poſſe eſſe te & ſolum cum inter multos: & inter multos, cum ſolus es.

Solitariam ergo vitam non reprehendo; imò ſummis laudibus extollo; eam ſcilicet, quâ quis non tantùm ab hominibus, ſed a rebus, & negotiis ſeceſſit, quæ veræ hominum ſocietati non adverſatur. Amplectendum eſt illud ocium, addit Seneca, *Epiſt.* 74 quod inter Deum & homines agitur, quod deos facit. Quædam enim in Deo Societas invenitur, ut divinarum nempe perſonarum. Solitudinem Deus averſatur, qui ſolus quidem eſt, ſed non ſolitarius; unus, ſed trinus. Nec mirum; cum nullius rei ſine ſocio jucunda ſit poſſeſſio, nulla vera & perfecta ſine ſocietate fœlicitas. *Væ ſoli, quia cum ceciderit; non habet ſublevantem ſe.* Qui ſolus vivit, aut Deus eſt, aut fera, inquit Ariſtoteles; politica vita ſine ſocio, inquit Guillelmus Pariſ. vita Leonis, aut lupi eſt. Idcirco Cacum, qui ſibi ſoli vivebat, meliùs ſemi hominem a Poëta dictum quàm abſolutum hominem tradit Auguſtinus *lib.19 de civit Dei c. 5.* Homo quippe animal eſt ſociabile, non tam ſibi, quàm aliis natum. Quare, ut lepidè Ariſtoteles, 1. ethic. qui primus Societatem humanam inſtituit, maximorum bonorum cauſa fuit: vt enim perfectione ſuſceptà, optimum cunctorum animalium eſt homo; ita ſi alienus ſit a ſocietate peſſimum ſit omnium animalium, quia ſine lege, & judiciis vivit.

Vtiliſſima ergo hominibus ſocietas, ſed & neceſſaria: cujus neceſſitatem Angelicus Doctor lib. 1. de regimine principis cap. 1. efficaciſſimis bis argumentis demonſtrat. Cœteris inquit animalibus cibos ad alimentum, villos ad tegumentum, ungues, dentes, cornua ad defenſionem, ad fugam velocitatem provida natura præparavit; hominem verò nudum, & inermem in lucem edit, cum ſola ratione, per quam manuum miniſterio, cuncta ad corporis ſubſidium, & præſidium poſſit comparare: ad hæc verò omnia ſibi præparanda unus homo non ſufficit; ut ergo ſufficientem vitam poſſit tranſigere, neceſſaria illi hominum ſocietas. Præterea aliis animalibus inſita eſt naturalis induſtria ad ea omnia quæ illis utilia ſunt conſequenda, & noxia fugienda; ut ovis naturaliter lupum fugit; naturali adhuc inſtinctu herbas medicinales; & alia vitæ conſervandæ neceſſaria cognoſcunt, eorum verò naturalem homo cognitionem non habet niſi in communi, nec poſſibile eſt quòd ad ſingulorum notitiam niſi alterius ope pertingat: debet ergo vivere in multitudine, ut unus ab alio in his adjuvetur, & diverſi in diverſis inveniendis per rationem occupentur; puta unus in arte medica, alius in alia arte. Rurſus homo ſolus loquutione viget; muta enim animalia rationis expertia, mutuò ſuas exprimunt paſſiones in communi, ut canis latratu iram &c. Homo verò proprio ſermone ſuos exprimit affectus; quare magis eſt communicatiuus; & ex conſequenti magis ex natura ſua ſocialis. Ex his humanæ ſocietatis nedum vtilitas, ſed & abſoluta neceſſitas innoteſcit. Vnde Salomon in Eccleſiaſte, *melius eſt*, inquit, *duos eſſe quàm unum, habent enim emolumentum mutuæ ſocietatis.*

CAPVT. II.

Quid, & quotuplex ſit ſocietas.

HOmines ſegregem olim vitam duxiſſe, & ferarum more, abſque ſociis ſylvas incoluiſſe, merum eſt Poëtarum commentum. Geneſeos enim primo capite habetur Deum Adamo totius humani generis primo parenti Evam uxorem dediſſe, ne ſine ſocio viveret. *Non eſt bonum*, ait Deus, *hominem eſſe ſolum; faciamus adjutorium ſimile illi.* Ab ipſo ergo mundi naſcentis exordio, fuit hominum ſocietas; & quidem primùm conjugalis, & Domeſtica. Eva namque ex Adamo duos habuit filios, Caïn ſcilicet & Abelem: Abele autem à fratre Caino occiſo, Caïn major natu, vitam initio ſegregem duxit, ſylvarum incola, profugus, & in terra vagus; mox verò civitatem extruxit, ut ex eadem ſacra Geneſi diſcitur. Homo ergo natus eſt ad ſocietatem, quæ definitur, congregatio hominum ex imperantium, & parentium conſortio optimis legibus colligata ad benè vivendum; cujus Societatis triplex ſpecies, prima ex viri, & fœminæ conjugio, liberorumque procreatione foederata, in qua vir mulieri imperat; pater familiâs vxorem & filios regit, & hæc, domeſtica, ſive familiaris ſocietas appellatur, a natura in bonum totius humani generis inſtituta, omniumque Societatum radix, & origo. Secunda, quam non natura ſed fortuna induxit, nempè deſpotica, ſive Dominica, Dominorum ſcilicet in ſervos imperio, ſervorumque obſequio

colligata. Ter tia civilis; qualis in republica,ſive Regno, ex Principum, & Magiſtratuum imperantium gubernatione, civiumque, nec non ſubditorum parentium obedientiâ, & conſortio conſurgit; cujus adhuc variæ ſpecies, Monarchica, ſive Regia; Ariſtocratica,ſive optimatum; democratica, ideſt popularis, & ex illis mixta.

In quibus aliæ ſuboriuntur ſocietates, videlicet ſodalitia, collegia, confraternitates. Romæ olim primum fuit ſacerdorum collegium, fratrum Arualium, a Romulo inſtitutum; qui fratres aruales fuere appellati, eò, quod ſocii eſſent, & ferè pares:(frater enim,quaſi ferè alter)agreſti, & paſtoritia ſodalitate conjuncti; quorum inſigne fuit *ſpicea corona*, albâ infulâ alligata, quam dum ſacra peragerent, ſingulos geſtare, ſolemni more decebat. Apud Aquitanos verò Solduni dicti ſunt, quorum ſocietas erat, ut iiſdem vitæ commodis, opibuſque promiſcuo vſu fruerentur;ſi quid autem adverſi contingeret, eoſdem caſus, eandemque fortunam, ac etiam vitæ interitum, unà ſubire cogerentur. Nec diſſimile Ægiptiis amicitiæ genus & ſodalitium, cui nomen *συναποθνησκόντων*, ideſt commorientium, quo inter illos nullum ſanctius, firmiuſque fuit. Alias aliarum gentium confraternitates refert Alexander ab Alexandro, quas prætermitto. Romulus in Curias, & Fratrias populum diviſit Romanum, & Tribus. Poſtea Numa pompilius artificum diviſionem introduxit, ut tubicinum, architectorum, & aliorum hujuſmodi; ſingulaſque artes in unum redigens, ſingulis Collegium conſtituit, ſodalitatem, Conventum, & ſacra unicuique dedit generi propria, vt meminit Plinius lib. 34. cap. 1. de quibus hæc lex Solonis refertur à Caio juriſconſulto plebs, vel fratres, vel ſacrorum ſacramentales, nautæ, vel qui in eodem ſepulchro ſepeliuntur, vel ſodales, qui ſimul habitantes ſunt; ſi ad negociationem, vel ad aliquid aliud, quidquam diſpoſuerint ad inuicem, firmum ſit; niſi leges publicæ hoc prohibuerint. Hinc prodierunt Philoſophorum, & Peritorum collegia, & ſodalitia, artificum corpora civilia. Hinc religionis etiam conventus, confraternitates, cœnobia Religioſorum, & collegia; nedum in Iudæorum fide, & Ethnicorum ſuperſtitionibus, verum etiam in vera religione Chriſtiana, à ſede Apoſtolica, jureque civili approbata, & confirmata; ut pote Reipublicæ, imo ipſius mundi partes, qui generale collegium eſt, & univerſalis humani generis collectio, vt hinc os iniqua loquentium occludatur, qui adverſus Cœnobitarum, & Monachorum inſtituta continuò oblatrant. Qui enim Chriſtianorum cœtus, & ſodalitia arguunt, *in cœlum os ſuum ponunt, & lingua eorum tranſit in terra.* E' cœlo namque in terras omnis ſocietas defluxit. Illic ſuam habet ſedem, & inde ſuam trahit originem.

CAPVT. III.

Totius create & humana Societatis origo, qua à cœlo eſt, & a Deo uno, & trino.

VAriè Diabolus æmulatus eſt veritatem, ait Tertullianus lib.adverſus Praxeam,affectavit illam aliquando defendendo, concutere. Vnicum Dominum vindicat, omnipotentem mundi conditorem,vt & de unico hæreſim faciat. Deum unicum non aliàs Praxeas putat credendum, quàm ſi ipſum, eumdemque & patrem & filium, & Spiritum S. dicat; quaſi non ſic quoque unus ſit omnia, dum ex uno omnia,per ſubſtantiæ ſcilicet unitatem; & nihilominus *οἰκονομίας* cuſtodiatur ſacramentum, quæ unitatem in Trinitatem diſponit; tres dirigens, Patrem & Filium, & Spiritum S. Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantiâ,ſed formâ; nec poteſtate,ſed ſpecie; unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis; quia unus Deus,ex quo gradus iſti, & formæ, & ſpecies, in nomine Patris, & filii, & Spiritus S. deputantur. Quomodo enim numerum ſine diviſione patiantur fusè alibi demonſtravimus *Tomo* 3. Numerum ergo, & diſpoſitionem Trinitatis Praxeas, diviſionem præſumit unitatis; quando unitas ea ſemetipſa derivans Trinitatem perſonarum, non deſtruatur,ſed ab illa, adminiſtretur. Itaque duos,& tres jam jactitat,a nobis Deos prædicari; quia trium in unius Dei eſſentia perſonarum ſocietatem agnoſcimus; ſe vero unius Dei cultorem præſumit, quaſi non & unitas irrationaliter collecta hereſim faciat; & Trinitas rationaliter expenſa, veritatem conſtituat. Tres in Deo perſonnas Praxeas confundit, ut ſolitariam in divinis vnitatem,excluſa omni ſocietate effingat. Ipſum dicit Patrem deſcendiſſe in virginem, ipſum ea ea natum, ipſum paſſum, ſicque duo negotia Diaboli Romæ procuravit; prophetiam expulit, & hæreſem intulit; Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit, filium negans, & ſpiritum S. Nos verò Deum unum in eſſentia & Trinum in perſonis agnoſcimus, ſolum, ſed non ſolitarium profitemur; ſicque in deo æternam, & increatam ſocietatem veneramur; ea qua omnis ſocietas in cœlo, & in Terra derivatur. Ex illa enim primò in Angelos, quorum multitudo in tres Hierarchias partitur, defluxit; deinde in hominas; & hæc prima totius humanæ ſocietatis origo, & idea, ſive cauſa exemplaris. Quam enim Deus ab æterno in ſeipſo divinarum perſonarum ſocietatem; ſacro unitatis & pluralitatis foedere ſancivit, hanc inter homines ſuo modo voluit propagare: quare primô homine Adamo efformato, ex cujus unitate numerus aliorum pendebat; Evam deinde ex ejus latere produxit, ne ſolitariam vitam animal ad ſocietatem natum tranſigeret, & ex hoc infœliciſſimam; cùm nulla abſque ſocietate vita beata eſſe poſſit. Vnde ait; *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile illi*; ſicque ex unitate pluralitas proceſſit; quàm illicò ad unitatem reduxit, inito inter illos ſacro conjugii fœdere; cujus vinculo, vir & uxor unum fiunt, vel duo in carne una. Et hæc prima hominum ſocietas; ſicut & prima diviſio, ſeu diſtinctio perſonarum, ea ſexus nimirum diſcrimine, & conjugum unitate. Quod lepido ænigmate Plato expreſſit in convivio; ubi tria hominum genera olim fuiſſe fabulatur; duo nempe, marem & fœminam; tertium ex vtriſque compoſitum; cujus & nobis extat nomen,ipſum verò periit. Nam in Adamo duplex illud genus fuit; quia & ex illius coſta, Eva ſumpta, & mulier; quæ cum viro ſacri connubii fœdere, unum effecta, tertium illud hominum genus compoſuit: ex utroque verò generatis reliquis mortalibus, ſubinde ſecunda ſocietas, ſicut & diſtinctio fuit generantium & generatorum, nempe ætatis: dehinc mortuis primis generantibus, relictiſque filiis, ſinguli cœperunt alios generare; & inde ſequuta diviſio per familias

& domos, quarum numero continentur & filii, & ſervi, & ancillæ: poſtea clientes, qui ſe principalibus familiæ, vel fœdere, vel fide devinxerant, vel illis ſe commiſerant, vel bona ab illis colenda acceperant: & hæc tertia ſocietas, totiuſque humanæ congregationis progreſſus, & propagationis. Coierunt enim in unum plures familiæ, & in eodem loco habitarunt commodioris vitæ cauſâ. Hinc vici facti, ex domibus conjunctis vicinalibus; dehinc ex vicis pagi; ex pagis vrbes aratro circumſcriptæ, muris clauſæ, politiori vitâ inſtitutæ: ex civitatibus rurſum, civibus abundantibus abducti coloni in proxima loca, vel in alias regiones abierunt; unde Coloniæ dictæ, quæ patriæ, & civitatis matricis, unde ductæ fuerunt, leges & mores ſequebantur: ex Matricibus rurſum, aliiſque vicinis civitatibus, alicujus Herois virtute, & induſtriâ, facta ſunt regna: ex pluribus regnis imperium. Sicque ab unitate, prima totius humanæ ſocietatis origo, & propago, vt eleganter Athenienſibus Apoſtolus declaravit actor. 18. his verbis: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, fecit ex uno homine genus hominum inhabitare ſuper faciem terræ, definiens ſtatuta temporum, & terminos habitationis eorum.*

Alia verò in divinis, alia in humanis ſtatuendæ ſocietatis ratio; quamvis utraque ab unitate ôriginem trahat. Divina quippe unitas ea ſemetipſa Trinitatem derivat ex innata fœcundiate, & ſuper excellenti bonitate, & plenitudine; juxta illud Dionifii, divinus amor non reliquit Deum ſine germine eſſe; & illud; monas monadem genuit, & in ſeipſam reflexit ardorem: humana verò ſocietas ex creatæ unitatis defectu procedit: Divina ex ſumma abundantia, potentia, fœlicitate: humana ex indigentia, & infirmitate: ut enim ſeinvicem juvent, & ſolentur, homines ſociantur.

CAPVT IV.

De fine humanæ Societatis.

SIcut alius finis eſt, cujus gratiâ Natura efficit pollicem, alius cujus gratiâ manum; alius ad quem totum hominem condit: ſic alius eſt finis, ad quem hominem dirigit ſingularem; Alius ad quem familiam; alius ad quem civitatem & Regnum. Nemo exiſtimare debet, ait Ficinus in lib. Platonis de Regno, cùm proprius, cujuſque cœtus certus ſit finis, nullum eſſe totius; cumque humanæ vitæ partibus inſit ordo, in univerſo genere vitæ eſſe confuſionem; denique cùm partes ob finis unius intentionem inter ſe habeant unionem, totum ipſum eſſe diſperſum. Quare neceſſe eſt certum eſſe humanæ ſocietatis finem, eumque in actione quadam circa perfectiora conſiſtere, per quam & ſuperiora pro viribus; Imitetur, & diligenter inferiora gubernet. Scientia quidem naturalia perſcrutatur, prudentia diſponit humana; Religio pietate divina colit, atque veneratur. Ejuſmodi ergo finis vitam exigit geminam, in actione, & in contemplatione ſimiliter conſtitutam; eo tamen pacto, vt actio contemplationis, tanquam divinioris gratiâ ſit inſtituta. Hactenus Ficinus in Platon, lib. de Regno.

Societates omnes vtilitatem & voluptatem intendunt, ait Ariſtoteles 8. ethic. c. 17. ego verò cum Angelico Doctore lib. 2. polit non alium eſſe humanæ ſocietatis finem exiſtimaverim, quàm qui ab optima Republica intenditur: quia verò Reſpublica nihil aliud eſt quàm ordo civilitatis; illius verò finis eſt ſalus Publica, & in ſuo ſtatu firmiſſima permanentia; finis humanæ ſocietatis erit bene & fœliciter poſſe venire in hac mortali vita; vt ex hac facilius ad æternam vitam perveniatur. Sicque ſocietatis humanæ finis, idem videtur ac finis propter quem homo factus eſt. Siquidem ad bene & beate vivendum in unum cojere homines; hominis verò cujuſque finis alius non videtur quàm fœlicitas. Tunc verò quis beate vivit, cui nihil ad utriuſque, tum corporis, tum animæ vitæ uſum deeſt; ſed omnia illis neceſſaria abundè ſufficiunt. Quare præcipuus hic humanæ ſocietatis ſcopus eſt, vt hominem circa vtramque vitam perficiat, eaque omnia affatim ſuppeditet, quibus aliorum neceſſitati poſſit ſubueniri; quod humana ſocietas fœliciter præſtat. In illa enim communicatio fit rerum, prout unuſquiſque indiget, naturâ, & humana ratione dictante, alterum alteri opem ferre. Ibi infirmi communi ope juvantur, & defenduntur; qui ſe regere nequeunt reguntur; ignorantes inſtituuntur, & formantur legibus; agenda, & cavenda illis indicantur, impii emendantur, pauperes à divitibus ditantur; ſicque quod uni deeſt, ex aliorum copia illi ſuppletur.

CAPVT V.

De ſubjecto Societatis, ceu quibus competat vita ſocialis, aut in Societate vivere.

QVi in communi ſocietate nequit eſſe, aut beſtia eſt, aut Deus; ex quibus Philoſophi verbis colligitur, nec Deo nec beſtiis, rebuſque inanimis, totiuſque vitæ, & ſenſus expertibus, veræ, perfectæque ſocietatis rationem competere. Quod quidem de beſtiis, nemo ſanæ mentis negaverit: nam, vt preclare docet idem Ariſtoteles lib. 3 polit. cap. 9. non vivendi ſolùm, ſed magis benè, beateque vivendi gratiâ ſocietas à naturâ inſtituta eſt. Civitas enim non eſt ſola communicatio loci, & non injuriandi ſibi ipſis, & commercii gratiâ; ſed iſta quidem, vt aſſint, neceſſarium eſt; non tamen ſi aſſint omnia, civitas adhuc erit; niſi adſit bene vivendi ſocietas, & domibus, & generibus, vitæque perfectæ gratiâ & per ſe ſufficientis.

Hoc verò non erit, niſi vno, eodemque loco ſimul habitantibus & conjugia ſimul ineuntibus. Propter quod propinquitates in civitatibus extiterunt, & ſodalitia, & ſacra, & converſationes familiarum: præ cœteris autem vera requiritur inter ſodales amîcitia; quæ per electionem ſimul vivendi inchoatur. Bene igitur vivendi & agendi gratiâ humana ſocietas à Deo ordinata eſt, non autem gratiâ dum taxat ſimul vivendi. Quare etſi animantium, & volatilium aliqua ſint gregalia, quæ ſimul, & in eodem loco vivûnt, vt pecorum greges, grüumque turmæ; negari tamen illis debet vitæ civilis ſocietas; tum quòd fœlicitatis non ſunt capacia, neç vivendi ſecundum electionem, ex defectu rationis & libertatis, quæ ad veram ſocietatem requiruntur: perfecta enim ſocietas, ex imperantium; & parentium conſortio coaleſcit, juſticiæ, & pietati innixa, legumque auctoritate corroborata; quæ omnia rationem & libertatem ſequuntur; quibus, cùm beſtiæ careant, nullam inter ſe veram habent ſocietatem. Nec dicas

animalia

Digitized by Google

animalia inter ſe ſociari, quò facilius ſe ſe ab injuriis tueantur, mutuamque ſibi opem, & utilitatem impendant. Hæc enim licet vitam civilem conſequantur, perfectæ tamen ſocietatis ultimus, & per ſe intentus finis non ſunt; ut docet idem Philoſophus. Non enim ad hoc initur ſocietas, ne qui vitam agunt civilem, injuriâ afficiantur, neque propter commercia, aut mutuam utilitatem, ſed præcipue bene beateque vivendi gratiâ. Merito ergo Ariſtoteles, beſtiis veram negavit ſocietatem, quæ veræ fœlicitatis, ſicut & libertatis & rationis ſunt expertes.

An verò Deus ab illa excludi penitus debeat, dubitari poteſt; ex hoc præcipuè, quòd ſibi ſufficientiſſimus, ac per ſe & ex ſe fœliciſſimus, nullius rei indigeat. Quare alterius conſortium non exigit, ut beate vivat; nec ulla civitatis pars eſſe poteſt propter innatam ſufficientiam; ut dicit Philoſophus. Adde, ſocietatem imperantium regimine, & parentium obſequio fœderari; nulla verò divinarum perſonarum aliam regit, aut alteri imperat; nulla regitur, aut paret; quia ſumma inter illas intercedit æqualitas, una eſt poteſtas una majeſtas. Supra verò aliquam in ſacra illa Triade ſocietatem agnovimus, æternam, increatam, totiuſque creatæ ſocietatis ideam, & originẽ, quod & ipſa ratio ſuadet. Nulla enim perfecta eſſe poteſt ſine ſocietate fœlicitas: At Deus fœliciſſimam apud ſe vitam agit: Deo ergo minime deneganda eſt ſocietas; quamvis alterius à noſtra rationis; utpotè, quæ non ab infirmitate, & inſufficientia, aliove defectu; ſed ab infinita fœcunditate, & exuberanti bonorum omnium plenitudine originem trahat. In Angelis veram eſſe ſocietatem ſupra tomo 4. mei Eccleſiaſtæ, ex eorum Hierarchiis demonſtravimus.

Servos à veræ ſocietatis ratione excludit Philoſophus, eo quod perfectæ fœlicitatis in hac vita minimè ſint capaces. Quare nec civium numero adſcribi ſolent, nec civitatis partes, ſed viliſſima mancipia recenſentur; niſi illius fortè vrbis, quam Ephorus lib. 5. deſcribit, ex ſervis compoſitam, quæ δουλόπολιν, id eſt ſervorum vrbs appellatur. Potiori adhuc jure à vera ſocietate res omnes inanimes vitæque & ſenſus expertes reijciendæ ſunt.

Supereſt hominum dumtaxat, & quidem ingenuorum, & liberorum veram eſſe ſocietatem: quia ſoli inter cætera animantia; imperii & regiminis, ſicut & rationis, nec non libertatis capaces: ſoli ad bonam, & beatam vitam a Deo, & natura ordinati: Inter quos dumtaxat vera pax, juſticia & amicitia intercedit: ſoli legibus conſtringi poſſunt, fœderaque & commercia inter ſe inire. Ex quibus patet, ut ait Philoſophus, polit c. 2. ſociale animal, & civile eſſe hominem magis quàm omnes apes & quam omne gregarium animal. Præterea, ſoli homines inter animantia, mutua poſſunt inter ſe miſcere colloquia; quod mutis animantibus natura non conceſſit.

Vox enim cæteris quidem animalibus ineſt, quæ moleſti, & jucundi ſignificatio eſt: at ſermo ſoli homini datus, veræ ſocietatis vinculum & aptiſſimum humani commercij organum, quo inter ſe homines fœderantur.

CAPVT VI.

Humanæ ſocietatis forma.

HUmanæ ſocietatis originem, ſive cauſam efficientem, ideam, progreſſum, finem, ſubjectum declaravimus; ſupereſt expendenda ejus forma; ut ſic per omnia cauſarum genera diſcurrentes, perfecta illius habeatur notitia. Humana quippe ſocietas, corpus eſt civile ad corporis Phyſici exemplar efformatum, quod ex materia, & forma, ex corpore, & anima, arctiſſimo vnionis vinculo conjunctis coaleſcit, ſuas adhuc partes organicas habet ſive membra, quorum propria ſunt munera, propriæ actiones; quas cum exercet vivere dicitur. Duplex autem vita; alia ſubſtantialis, alia accidentalis, ut in omni vivente videre eſt; illam unio partium, & animæ informatio conſtituit; hanc actio vitalis: quare humanæ ſocietatis forma nunc a nobis eſt declaranda.

Tertium genus corporum agnoſcit Pomponius de rerum mixtura; quod non ex continuis, ſed diſtantibus in unum tamen collectis conſtat, unique nomini ſubjectum; qualia ſunt domus, civitas Reſpublica, ex quibus humana ſocietas coaleſcit. Hæc ergo, cùm corpus civile, non inanime, ſed vivum, & ſentiens conſtituat, propriâ non carebit animâ, ſive formâ: quia verò rorum aliquod eſt collectivum, ſeu multitudo in unum collecta talis illi forma erit, qualis multitudini rectè ordinatæ competit, nempe unitas, & ordo. Ordo autem eſt congrua aliquorum proportio, ſecundum prius & poſterius, vel ratione vel actu, vel ut dicit Auguſtinus lib. 19. de civit c. 13. Ordo eſt parium, diſpariumque rerum diſpoſitio. Quis enim confuſam multitudinem ordinem dixerit? in ordine ergo plures debent eſſe gradus ſic diſpoſiti, ut ſua cuique loca tribuantur, quod fieri nequit, niſi ſint, alii priores, alii poſteriores. Gradus enim nihil aliud eſt, quàm comparatio rei cum altera, aut ſuperiore, aut inferiore: quorum graduum cauſa principium eſt, vt docet Angelicus Doctor 2. 2. q. 26. illud verò in omni ordinatione, tam finis, quàm initii ratione debet eſſe unum: quia quæ diverſa ſunt, in unum ordinem non convenirent, niſi ab aliquo uno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quàm per multa: quia perſe unius unum eſt cauſa, & multa non ſunt cauſæ unius niſi per accidens, in quantum ſcilicet aliquo modo unum. Cùm ergo humana ſocietas, multitudo quædam ſit rectè ordinata; Ordo verò ſit parium, diſparjumque graduum diſpoſitio in unum, & ſub uno collecta; Ordo, forma erit, ſive anima humanæ ſocietatis; quæ ab unitate progreſſa, per diſtinctionem partium ordinatarum ad unum tendere debet, & ad illud reverti. Sic in omni ſocietate diverſorum graduum diſpoſitionem invenies qui ſub unius regimine continentur.

In domeſtica quippe, ſive familiari ſocietate, viri uxoribus, parentes filiis, Domini ſervis imperant: in Democratica, ſeu populari, Reipublicæ magiſtratus civibus; in Ariſtocratica optimates: in Regia, & Monarchica Principes ſubditis leges imponunt,

CAPVT VII.

De partibus, ſive membris humanæ ſocietatis.

TOtum ex partibus, ſicut & corpus ex membris compaginatur. Suas ergo partes, ſuaque membra habebit humana ſocietas, quæ totum aliquod eſt, corpuſque civile. Totius verò aliæ ſunt partes ſimilitudinariæ, in infinitum diviſibiles, àliæ aliquotæ, & principales; ſicut & corporis organici alia ſunt modica membra, alia præſtantiora. Illa præſtantioribus ſerviunt, parent, & ab illis reguntur, hæc illis imperant. Cor, cerebrum, hepar, pulmo inter præſtantiora locum habent; pes, manus, inſerioribus deputantur. Supra verò omnia caput aſſurgit, tum ſitus ſublimitate, tum proprii muneris prærogativâ; Quare ſibi potiſſimo jure in cœtera principatum vindicavit; quibus ut Rex ſuis ſubditis, & ut Dominus ſervis principatur. Illa enim regit, illis leges, & jura decernit, in illa inſluit, cujus denique ſingulo nutu ſingula pendent.

Non diſpari ratione humanæ ſocietatis civile corpus civile, tot veluti membris, quot gradibus, & ordinibus diſtinguitur; quorum alii inferiorem, alii medium, alii ſuperiorem locum tenent. Hi ſerviunt, parent, reguntur; illi regunt præſunt, imperant. In domeſtiea, & familiari ſocietate vxor, filii, clienres, ſervi à patre ſamilias, & Domino gubernatur; vir, pater, Dominus, ſuo regimini ſubjectis ſuo modo principantur. In civili ſocietate, populus per magiſtratus, qui medium obtinent gradum, regitur; hi verò principi obtemperant. Et hæ ſunt humanæ ſocietatis partes, corporiſque civilis membra, ad exemplar corporis phyſici, & Organici efformata.

CAPVT VIII.

Iuſticia humanæ ſocietatis nexus, ſive vinculum

PRæclarè equidem Chryſologus Sermon 32. habent ſingula in uno corpore membra proprium ſui munus officii, quod tamen tunc implere poterunt, ſi connexa ſibi, & compaginata perfecti corporis perveniant ad decorem. Sicut enim in ſalute & honore integri corporis, ſpecies eſt unitas membrorum; ita in ſeparatione viſcerum fœda eſt, lethalis, & horrenda pernicies. Quod attendens provida illa rerumque omnium parens natura, corporum admirandam prorſus fabricam extenſis neruis, quaſi tot vinculis, & ligamentis contexuit; quibus ſingulæ illius partes ac membra connecterentur; conuexaque firmius ſolidarentur. Pari profectò ratione ſuis eget neruis humanæ ſocietatis corpus civile, quibus illius membra inter ſe arctiſſime compaginentur; nihil aliud futurum niſi onus, & præda, ſi hæc compago diſſolvatur; juxta illud, *omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Omnis enim hominum congregatio, niſi unita fuerit, confuſio potius eſt, quàm vera ſocietas. Non alio verò corpus hoc civile, nec fortiori nodo, quàm juſticiâ conſtringitur. Hæc totius humanæ ſocietatis nexus, vinculum, & fundamentum. Iuſticia verò legibus innititur, & per illas recte adminiſtratur, de quibus infra in politicis.

CAPVT IX.

Humanæ ſocietatis vita actiones, & munia.

UT in corpore Phyſico, & organico, cum membrorum concordia & colligatione, actiones ſuas anima exerit, & perficit, unicoque ſpiritu eadem membra colligat, & hoc modo duplicem vitam conſequitur; ſubſtantialem, quam unio animæ cum corpore infundit; accidentalem, quam actio vitalis perficit; ita hamana ſocietas, cum poteſtate unius, ut in Regno, vel plurium unitorum, ut in Republica, regit, imperat, ſubditiſque vt membris leges ſtatuit, concordiam firmat, publicæ paci communique ſaluti neceſſaria exequitur; communicat commercia, actiones & amicitias convenientibus præceptis, quæ vel natura, vel neceſſitas ſuadet, inviolatas conſervat & hæ ſunt humanæ ſocietatis actiones, & munia, quibus vita civilis, & ſocialis vegetatur. Vita enim omnis in actione conſiſtit, vel ad actionem ordinatur; vt inter mortuos inactuoſus, & ocioſus meritò cenſeatur; nec efficacius eſt argumentum, quò aliquis vivere exiſtimetur, quàm ſi aliquo ſe motu, vel actione nobilitet, Cum ergo humana ſocietas corpus civile conſtituat, non inanime, vitæque & ſenſus expers, ſed vivum ſenſitivum, imò & rationale; vt pote ex partibus uiventibus, ſenſitivis, & rationalibus, hominibus videlicet, conflatum; & ad vitam beatam, tanquam ad finem ordinatum; quæ vita in actione conſiſtit, ut dicit Philoſophus, ſua debet munera exſequi, propriaſque actiones exercere, ut ſic propria vitâ frua tur, quæ in regimine civili verſatur: hoc autem ex Imperantium recta adminiſtratione, parentium obſequio, mutuoque ſodalium civiumque amore, pace & concordia fœderatur.

CAPVT X.

Quibus modis humana ſocietas conſervetur, vel deſtruatur.

ILlud ante omnia patet, ait Philoſophus, 5. polit. c.8. quod ſi ſciamus per quæ humanæ corrumpantur ſocietates, ſcimus etiam per quæ conſervantur: contrariorum enim contrarii ſunt effectus: corruptioni autem conſervatio eſt contraria. Humana verò ſocietas diruptâ membrorum ſive partium, ex quibus coaleſcit, compage, illico corrumpitur. Cùm enim corpus ſit collectivum, ſive multitudo in vnum collecta, cujus forma, ſpirituſque veluti vitalis, nihil aliud eſt quàm ordo, vt ſupra declaravimus; ordo verò ſit parium, diſpariumque graduum diſpoſitio, ſub uno, & in unum collecta; pereat omnino humana ſocietas neceſſe eſt, ſi vinculum, per quod cohæret, diſſolvatur. Triplici autem vinculo, ſive nexu ipſius membra fœderantur, Religione, juſticiâ, & mutuo animorum conſenſu. Religione, Deo omnium ſocietatum auctore, tum principes, tum ſubditi colligantur; juſticiâ inferiores ſuperioribus per obedientiam, inferioribus ſuperiores per æqui regiminis rationem cohærent: concordiâ denique mutuoque amore æquales inter ſe conciliantur,

Hæc ergo ab humana ſocietate ſi abſint, corrumpitur; ſi adſint conſervatur. Vt inſra fuſè demonſtrabitur lib. de civili ſocietate.

QVÆSTIO II.

DE SOCIETATE CHRISTIANA.

CAPVT PRIMVM.

Chriſtus, tum humana, tum Angelica Societatis reſtaurator & Chriſtianæ fundator.

AVDISTIS quid à Domino hæres ille bonorum petierit mundanorum. Magiſter, ioquit, *dic fratri meo, vt dividat mecum hereditatem.* Præceps eupiditas, & incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipſum ſæculi cognitorem, & eum fieri voluit diviſionis auctorem, qui ad reſtituendam venerat humani generis unitatem! *Magiſter?* hic non Magiſter quæſtus eſt, ſed amoris.

Dic fratri meo vt dividat, & non poteſt dicere fratri, divide qui per Prophetam docuit; *ecce quàm bonum & quam jucundum habitare fratres in vnum. Dic fratri*: cum dicit, *dic fratri meo*; præmiſit quod charitatem moveat, quod interpellet naturam, quod pulſet affectum. *Vt dividat hereditatem.* Quæ major hæreditas, quæ melior quàm divinæ vinculum Charitatis?

Quia hæreditas aliquando perit, *Charitas* dicente Apoſtolo, *nunquam excidit.* Quiſquis ergo ille es, qui Dominum *tali petitione compellas*, Dominum provocas, Dominum producis ad litem, cùm quo tibi Apoſtolus hæreditatem docet, & oſtendit eſſe communem. *Heredes*, inquit, *Dei ſumus, coheredes autem Chriſti.* Hic tibi fic hæres eſt; hic eſt tibi frater, qui naſcendi ſorte, conditione creſcendi, vivendi ordine, moriendi exitu, per omnia tibi voluit ſimilis inveniri. Nam cùm eſſet & ſolus Dei hæres, & filius unicus per naturam, te participem ſibi, te cohæredem ſibi voluit, & fecit eſſe per gratiam, qui eras miſer, & ultimæ ſubjectus ſervituti. Hactenus Chryſologus ſerm. 16. Ad hoc enim in terram è cœlo Dei filius deſcendit, vt novam inter homines, Chriſtianam conderet ſocietatem, cui & ipſe adſcribi dignatus eſt, vt lepide declarat Bernardus in hæc cantic. verba, vox turturis audita eſt in terra noſtra. Serm. 59. adverte, inquit, quantæ ſuavitatis eſt, Deum cœli audire dicentem, *in terra, terra noſtra.* Quique terrigenæ, & filii hominum audite. Magnificavit Dominus facere nobiſcum. *In terra noſtra*, non plane principatum ſonat vox iſta, ſed conſortium, ſed familiaritatem: tanquam ſponſus hoc dicit, non tanquam Dominus. Quid? Coditor eſt, & conſortem, ſociumque ſe putat. Amor loquitur, qui Dominum neſcit. Amat Deus: quos verò amat, amicos habet, non ſervos.

Neminem ſuſpicit amor; ſed nec deſpicit. Omnes ex æquo intuetur; nec modo pares, ſed unum eos facit; tu Deum forſitan ab hac amoris regula excipere putas? Sed qui deo adhærer, unus ſpiritus eſt. Quid miraris hoc? Ipſe factus eſt tanquam unus ex nobis. Minus dixi, non tanquam unus, ſed unus. Parum eſt parem eſſe hominibus, homo eſt. Inde terram noſtram vendicat ſibi; ſed quaſi patriam, non quaſi poſſeſſionem. Quidni vendicet? Inde illi ſponſa; inde ſubſtantia corporis; inde ſponſus ipſe; inde duo in carne una. Si caro una, cur non & patria una? *Cœlum inquit cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Ergo ut filius hominis hæreditat terram; ut Dominus ſibi ſubjicit; ut conditor adminiſtrat ut ſponſus communicat. Dicendo enim, *in terra noſtra* proprietatem profectò abnuit, ſocietatem non reſpuit. Quam ideo admiſit, vt novâ in terris fundatâ, veterem, nedum hominum, ſed & Angelorum reſtauraret; cui ipſe præficiendus, qui hominum redemptor eſt, & caput Angelorum, ut dicit Apoſtolus. Superterrena enim illa civitas, cœleſtiſque beatorum ſocietas, ex Angelis, & hominibus conſtat, inquit Gregorius homil 35 in evang. ad quam credimus tot humani generis aſcendere, quot contigir Angelos poſt lapſum aliorum remanſiſſe; ſicut ſcriptum eſt in cantico, Deuteron. *Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei.* Quidam enim cenſent, cum Auguſtino lib. 23. de civit, quòd homines reparentur juxta numerum Angelorum, qui ceciderunt; ut illa cœleſtis civitas ſuorum civium numero non privetur, juxta illud, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.

CAPVT II.

Chriſtianæ ſocietatis ſupra cæteras hominum ſocietates privilegia & Dignitates.

COnquerebantur olim de Chriſtianis Gentiles quòd nocturna agerent conventicula, cœtuque coacto in unum congregarentur: quibus occurrens Tertulianus in apolog. duplicem illis cœtum, & aggregationem proponit, licitam, & illicitam; quæ potius factio, quàm cœtus dici debet. Ni fallor, inquit, prohibendarum factionum cauſa de providentia conſtat, ac modeſtia publica; ne civitas in partes ſcinderetur: quæ res facile comitia, conſilia, curias, conciones, ſpectacula, etiam æmulis ſtudiorum compulſationibus inquietaret; cùm jam & in quæſtu habere cœpiſſent venalem, & mercenariam homines violentiæ ſuæ operam. At nobis Chriſtianis, omni gloriæ & dignitatis ardore frigentibus, nulla eſt neceſſitas hujuſmodi cœtus, nec ulla magis res aliena quàm publica. Vnam omnes Rempublicam cognoſcimus mundum. Atque ſpectaculis veſtris intantum renunciamus, inquàntum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cum ipſis rebus, de quibus exiguntur, prætterimus. Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu, cum inſania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xiſti vanitate. Edam jam nunc ipſe

negocia Chriſtianæ factionis, vt qui mala refutaverim, bona oſtendam. Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ veritate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum, & aggregationem, vt Deum quaſi manuſactâ precationibus ambiamus orantes. Hæc vis deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, ac poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad literarum divinarum. commemorationem. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam Præceptorum inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura divina.

Hæc ergo eſt Chriſtianorum ſocietas, quæ reliquos hominum cœtus variis titulis antecellit. Primò ſui dignitate, imo & deitate auctoris: Chriſtus enim illam è cœlo in terras invexit, cujus & ipſe prima jecit ſundamenta; & ob hoc Chriſtiana appellatur. Secundò, quia ſanctior; firmiorque illius nexus, divinæ nempe vinculum Charitatis; quæ adeo inter Chriſtianos viget, ut notam nobis meruerit penes quoſdam, ſubdit Tertullianus. *Vide*, inquiunt, *vt invicem ſe diligant*: Ipſi enim invicem non oderunt: *Et pro alterutro mori ſunt parati*; illi verò ad occidendum alterutrum paratiores. Sed & quod fratres nos vocamus, non aliâs (opinor) inſaniunt, quàm quòd apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. Fratres etiam veſtri ſumus jure naturæ, matris unius; & ſi parum homines vos; quia mali fratres. At quanto dignius fratres, & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt; qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis: qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expiraverunt veritatis: ſed fortaſſe minus legitimi exiſtimamur; quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat; vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus; quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque qui animo, animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia denique indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. Nec deſunt inter nos comeſſationes, & convivia, quibus ſocietas noſtra fovetur, & quidem ſanctiora, quàm quæ inter gentiles celebrantur. Non enim, u Megarenſes, quaſi craſtinâ die morituri obſonamus; nec tribubus & decuriis ructantibus aceſcit aer; Nec cœnaturis creditor eſt neceſſarius: Nec Herculanarum decimarum, nec Pollinctorum ſumptus ſtabularii ſupputabunt: nec vt Dioniſii miſteriis Atticus coquorum delectus indicetur; nec ut ad fumum cœnæ Serapicæ Sparteoli excitabuntur. Malè ergo cœnulas noſtras, nullo ſcœlere infames, vt prodigas ſuggillatis; & iniquè de ſolo Chriſtianorum triclinio retractatur. Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. vocatur enim *agape* quòd dilectio penes græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum: ſiquidem inopes quoſque cœnâ juvamus; non quam penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, ſub auctoramento ventris, inter contumelias ſaginandi; ſed penes Deum major eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt: convivii noſtri reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate, qui eſt de religionis officio; nihil vtilitatis, niſi modeſtiæ, admittit. Non prius diſcubitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur: editur, quantum eſurientes cupiunt; bibitur quantum pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina, provocatur vnuſquiſque in medium deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Atque oratio convivium dirimit. Inde diſceditur, non in catervas ceſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint quàm diſciplinam. Hæc ſocietas & coitio Chriſtianorum; de qua nemo queri poteſt. In cujus enim perniciem aliquando convenimus? Hòc ſumus congregati, quòd & diſperſi. Hòc univerſi, quòd & ſinguli; neminem lædentes, neminem contriſtantes. Cùm probi, cùm boni coeunt; cùm pii; cum caſti congregantur, non eſt factio dicenda, ſed curia, ſed eccleſia. Huic præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti; neque enim precio ulla res Dei conſtat. Etiam ſi quod artis genus eſt, non de oneraria ſummâ quaſi redemptæ religionis congregatur. Modicam unuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cùm velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac pupillis ac parentibus deſtitutis, ætateque domitis ſenibus; item naufragis, & ſi qui in metallis, vel in inſulis, vel in cuſtodiis dumtaxat ex cauſa dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ ſunt. Quàm ergo honeſta Chriſtianorum ſocietas.

Tertiò ſupra alias excellit Chriſtianorum ſocietas dignitate, & præſtantia finis. Non enim ab bene dumtaxat, beateque in hac vita mortali vivendum ſed vt æternam, fœliciſſimamque vitamque in cœlo conſequantur, in unum Chriſtiani Congregantur. Fœlix qui ad hanc adeo ſanctam pervenire meruit ſocietatem; ſed fœliciſſimus, qui in illa uſque ad finem perſeverat.

CAPVT III.

Hortatio ad vitam ſocialem Chriſtianam.

FVge multitudinem; fuge paucitatem; fuge, & vnum. Vnus pro populo mihi eſt, & populus pro uno. Mihi ſatis eſt unus, ſatis nullus eſt. Hoc Seneca gentilis Philoſophus ſuadet ſibi contrarius, qui alibi ſolitudinem ſugiendam, & amplectendam monet ſocietatem. Omnia enim mala ſuadet ſolitudo. Nemo eſt, cui non ſanctius ſit cum quolibet eſſe, quàm ſecum. Rectius profectò de ſocietate humana cenſuit Tullius, cùm ait. nihil Deo, qui hunc mundum regit, in terris acceptius quàm concilia, cœtuſque hominum jure ſocietatis. Nàm, ut præclarè Philoſophus. Qui abſque ſocietate eſt per naturam, non per fortunam, aut nequam eſt, aut potior, quàm homo; & ut canit Homerus, qui *ſine tribu eſt, ſine jure, ſine domo*; ſimilis eſt belli cupido, qui nullo retinetur jugo. Qui in communi ſocietate nequit eſſe, nullaque pars eſt civitatis, aut beſtia eſt, quæ ſine lege vivit; aut Deus, qui nullius indiget propter ſufficientiam. Societas à natura eſt; omnibuſque ad hujuſmodi ſocietatem naturalis eſt appetitus: præcipuè verò homini, qui animal

mal eſt civile, & ad ſocietatem natum. Habet certe exemplum homo ſectandæ ſocietatis, & à ſeipſo, & ab omnibus rebus, in quatum ſocietate aliquomodo participat; quià totius mundi eſt epilogus, microcoſmos, ſeu paruus mundus; ut nulla illi relinquatur excuſationis occaſio, cùm ſceleſtiſſimus creaturarum omnium ſit, ſi hanc ſocietatem, & humanam communitatem averſetur. Habet enim in ſeipſo corporis unius Phyſici membra, quæ ſi à ſocietate ipſa diſcedant animæ unius, corruunt, & intereunt. Videt quatuor illa prima elementa, totiuſque corporalis compoſitionis principia; quamquam ferè contraria facultatibus; inter ſe tamen quadam viâ mediâ colligari, ut terra frigida, & ſicca, aquæ per frigiditatem ſocietur; aeri aqua, aer igni; ſicque in Republica illa elementari, quædam viget ſocietas. Idem in plantis, & arboribus advertet. Nec à ſocietate animantes, etſi exleges omnino abhorrent. Nullæ quippe feræ ſunt, quæ communem aliquam vitam non ſervent. Apes intra ejuſdem aluearii ſcepta ſimul collectas, & conviventes videbit; formicas ſub eodem tecto degentes. Unde Chryſologus ſerm. 32. Homo, quid aliud te Deus docuit in tuo corpore, aut ſic diviſa conjunctio, aut tam conjuncta diviſio; niſi ut ex multis unus, & unus in multis viveres? Eſt membrorum commercio ſalutari prætioſus oculus; ſed ſi perſeverat in corpore; alioqui, ubi corpori defuerit, ſibi non aderit. Debent illi membra omnia ſuæ lucis obſequium; ſed & ipſe oculus ſentit corpori ſe debere quod lux eſt, qui utique cum omnibus membris miniſtratum membrorum provideat, evulſus à corpore, nec ſibi videt. Quiſquis ille eſt, qui ſe putat eſſe aliquid, tali inſtitutus exemplo, maneat in Eccleſia; maneat in ſocietate, ut ſit aliquid; alioquin ubi defuerit illi, ſibi eſſe mox deſivit. Lex eſt data, non uni, ſed omnibus. Chriſtus non pro uno, nec ad unum, ſed ad omnes, & pro omnibus venit, ut redintegraret omnes in unum. Solum bonum, ſolum jucundum propheta futuri præſcius, ſic proclamat; *Ecce quam bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*, quia Deo non ſingularitas eſt accepta, ſed unitas; Spiritus S. Apoſtolis in unum congregatis ubertate totâ ſui fontis illabitur. Amittit ergo divina munera, perdit gratiæ largitatem, charitatis fraudatur bonis, qui ex defectu ſuo ſtultè ſibi ſufficiens extra Eccleſiam, hoc eſt extra Chriſtianam ſocietatem, vitam quærit.

CAPVT IV.

Sectanda bonorum, fugienda impiorum ſocietas.

QVid tibi præcipuè vitandum exiſtimes, quæris? Turbam, ait Seneca. Nunquàm illi tute commiſeris. Nunquàm à turba mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo quòd compoſui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugavi, redit. Inimica eſt virtuti multorum converſatio: nam aut aliquid vitii nobis ingerit, aut commodat, aut imprimit. Quò major eſt populus, cui miſcemur, hinc periculi plus eſt. In hoc libenter Senecæ aſſentior, ubi cùm impiis ſocietas ineunda; nam ut idem docet; Convictor delicatus paulatim enervat, & emollit. Neceſſe eſt, aut imiteris; aut oderis; utrumque autem eſt evitandum. Rerum natura ſic eſt, inquit Chriſoſtomus ſuper Mathæum quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur; ſed ex malo bonus contaminetur: diverſitas enim nunquam poteſt habere concordiam, & multos ſollicitat ſocietas nefanda. Melius eſt habere malorum odium, quàm conſortium; ſicut enim bona multa habet communis vita ſanctorum (verba ſunt. Iſidori) ſic plurima mala ſocietas affert malorum. Fugienda ergo malorum ſocietas: ſed è contrâ bonorum convictus à nobis eſt ſectandus. Omnium enim, ut lepide Seneca, ſocietatum, nulla firmior, nullaque præſtantior eſt, quàm cùm viri boni, moribus ſimiles familiares ſunt conjuncti.

OECONOMICORUM

JUXTA CHRISTIANÆ DOCTRINÆ LEGES.

LIBER SECVNDVS.

OECONOMICI *regiminis jacta ſunt fundamenta lib. 1. de ſocietate, quæ baſis eſt totius familiaris gubernationis. Quia verò œconomia nihil aliud eſt quàm recta domus, ſeu familiæ gubernatio, ut ipſum nomen ſonat; οικος enim græce domum, Nomos legem ſignificat; Ideo de domo, ſive familia, quæ primam inter homines ſocietatem conſtituit, de ſocietate viri & uxoris, ſive conjugio, mutuiſque conjugum, & filiorum officiis in hoc ſecundo Oeconomicorum libro à nobis agendum.*

QVÆSTIO I.

DE DOMO, SEU FAMILIA.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit domus, ſeu familia, quænam ejus partes, quæ forma.

SOCIETAS hominum ait Ariſtoteles, domum facit, & civitatem;quia verò civitas ex domibus, & familiis conſtat, ſecundùm naturam & ordine finis:prius quidem eſt civitas quàm domus, & quàm ſinguli noſtrûm. Partes enim per ſe ordinantur ad totum, ſicut imperfectum ad perfectum, & media ad finem; peremptoque toto corpore, non erit pes, nec manus niſi æquivocè. Eſſe igitur civitatem naturâ,& fine priorem quàm domum & ſingulos,manifeſtum eſt. Verùm quia civitas ex domibus conſtituta eſt,ſive familiis;prius de domo,& familia, ejuſque regimine, adminiſtratione, & Oeconomia, agendum eſt. Rei domeſticæ partes ſunt, ex quibus domus eſt conſtituta:Domus autem perficitur ex conjugibus, ſervis, & liberis. Servos efficit fortuna, natura conjuges, & liberos. Inter liberos, vir & uxor, pater & filii, nec non dominus cenſentur.Sicque partes domus ſunt maritus, & uxor, pater & filii, Dominus & ſervus. Ex quibus Ariſtotelis verbis lib.œconom. facile innoteſcit, quid ſit domus, ſive familia; quales ejus partes; quæ denique forma. Domus, quædam eſt, hominum ſocietas & congregatio, liberorum ſcilicet, & ſervorum, tùm naturâ,tùm fortunâ in unum collectâ, unius nempè patris familiâs regimine, ad bene beateque in hac mortali vita vivendum. Et quidem primò dicitur. *Hominum congregatio, & ſocietas.* Cùm enim ſolua inter animantia veræ, perfectæque ſocietatis capax ſit homo, animal ſociale, & civile, ut ſupra demonſtratum eſt;ſolius hominis eſt veram & propriè dictam domum habere. Feræ quippe ſoveas quidem, volatilia nidos habent, domos minime; nec familiis deſtinguntur, quæ ex liberis, & ſervis componuntur. Adde quòd ſoli homines civitatis, & Reipublicæ partes, & cives eſſe poſſunt; omnis autem civitas ex domibus conflatur. Præterea; Domus ſocietas eſt in unum, ſub unius regimine ad bene, beateque vivendum collecta; quòd ſolis hominibus competere poteſt; non beſtiis; quæ nec beatæ vitæ ſunt capaces, nec imperii, & obedientiæ; in omni autem domo debent eſſe, & qui imperent, & qui pareant. Secundò, dicitur domus, *ſervorum & liberorum ſocietas*; cùm enim totius humanæ ſocietatis finis ſit bene beateque vivere; abſque verò neceſſariis nequeat vita beatè tranſigi; ſervis autem egeant Domini, ut illorum miniſterio, quæ ſibi ad bene vivendum neceſſaria ſunt, conſequantur, non abſque ratione, domus, ſervorum, & liberorum ſocietas appellatur. Ubi liberorum nomine, vir, & uxor, pater, & filius, Dominus adhuc intelliguntur.

Tertiò, additur, *tum naturâ, tum fortunâ in unum Collecta.* Domus enim, ſocietas quædam eſt à naturâ inſtituta, ut docet Ariſtoteles; quatenus ſcilicet ex viro & uxore per conjugium copulatis, & ex patre,filiiſque componitur; quatenus verò ex ſervis, & clientibus coaleſcit, hoc habet à fortunâ. Homo enim caſu, & fortunâ ſervus, naturâ liber eſt.

Quartò, dicitur, *ſub unius regimine.* Omnia quippe ſocietas, imperantium eſt & parentium congregatio; cujus vinculum eſt ordo;ordo verò parium eſt diſpatiumque ſub uno diſpoſitio. Quare in domo rectè ordinata debet eſſe qui imperet, & tegat, & qui tegatur, & obtemperet. Vir, pater, Dominus, imperant. Vir uxori, pater filiis, Dominus ſervis: uxor filii, ſervi reguntur, & parent. Ultimò additur, *ad bene beateque in hac mortali vita vivendum*, qui totius humanæ ſocietatis finis eſt, ut ſupra declaravimus.

Ex his colligi poteſt quænam ſiot domus & familiæ partes,hujuſque domeſtici corporis membra; nempe vir & uxor, pater, & filii, Dominus, & ſervi, quibus adduntur clientes, reſque omnes familiares, divitiæ, teditus, pecorum greges, agri, aliaque bona,quæ mobilia vel immobilia appellantur. Circa hæc enim ut pat eſt, regenda verſatur Oeconomia, ſive Domeſtica diſciplina, atſque familiæ gubernandæ, quæ cùm rectè adminiſtrantur, tunc præclarus ordo conſurgit, qui domeſticæ ſocietatis forma eſt, anima, ſpirituſque quodammodo vitalis, Et hæc prima eſt hominum ſocietas, civilis, aliorumque omnium ſocietatum fundamentum.

CAPUT II.

Domeſtica, ſeu familiaris ſocietatis origo, progreſſus, & perfectio.

DOmeſtica, & familiaris ſocietas, tres complectitur ſocietates; quarum prima ex viro & uxore; ſecunda, ex patre & filiis; tertia ex Domino, ſervis, & clientibus conſtituitur. Prima per conjugium; ſecunda per liberorum procreationem, & educationem; ultima per acquiſitionem initur. Illas natura ordinavit; hanc facit caſus, & fortuna. A prima Domus originem habet, à ſecunda progreſſum;à tertia complementum. Conjugium uxorem viro copulat, unde nomen accepit. Procreatio liberos parentibus ſociat, ſervitus mancipia dominorum ſubiicit poteſtati. Primò igitur neceſſe eſt combinare illos qui non poſſunt eſſe niſi ſimul: ſeu marem & fœminam generationis cauſâ, & hoc non ex electione, ut dicit Philoſophus,ſed veluti in cæteris animalibus, & plantis ex naturali & innato eſt deſiderio, quale ipſum eſt, tale alterum relinquendi. Et hæc prima eſt ſocietas per conjugium fœderata. Secundò congregandi ſunt & ſociandi filii cùm parentibus: & hoc adhuc non ex ele-

ctione, ſed naturâ; quæ ideo marem cum fœmina copulavit, ut ex mutuo eorum complexu, filii naſcerentur, quibus humanum genus propagaretur, & conſervaretur. Et hæc ſecunda hominum ſocietas, domeſticæque ſocietatis progreſſus. Tertiò, Dominorum Imperio ſubjiciendi ſunt ſervi, ut eorum miniſterio, quæ ad familiæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt, acquirantur, ſine quibus impoſſibile eſt vivere, & bene vivere. Servus enim, ut præclarè advertit Philoſophus, animatum quoddam eſt inſtrumentum, 1. politic. c.4. animataque poſſeſſio, qua pars eſt domeſticæ ſocietatis. Et hæc tertia hominum, liberorum ſcilicet, & ſervorum ſocietas, totius rei familiaris complementum, de quibus ſigillatim agendum.

QVÆSTIO II.

DE CONJUGIO PRIMA TOTIUS humani generis ſocietate.

CAPVT I.

Conjugium totius humanæ ſocietatis origo & fundamentum.

ALTE' quidem pro more, & quidem veriſſimè Ariſtoteles, 1. œconom. c. 3. cùm ait, *Naturalis ſocietas, maxime eſt inter fœminam & marem.* Natura enim rerum ſpecies propagare, necnon ſe conſervare per ſe primò intendit beneficio generationis; inde natura dicta, quaſi *naſcitura.* Fieri autem nequit, ut hoc abſolvat fœmina abſque mare, aut mas abſque fœmina. Vnde neceſſaria eſt horum ſocietatis conſtitutio. Atque ita primùm ſummâ cum ratione diſpoſitus eſt à numine divino tàm maris quàm fœminæ ſexus ſigillatim ad communionem, ſic enim diviſa ſunt omnia, ut non idem uſus ſit facultatis illorum; cum quædam in contraria vergant, quæ tamen contendunt eòdem. Etenim natura unum ſexum robuſtiorem, imbecilliorem alterum fecit, ut hic ad cuſtodiendas res propter timorem, ille propter fortitudinem ad propugnandum magis eſſet idoneus; itemque ut ille foris parta afferret; iſte intus conſervaret allata. Præterea voluit hunc ad opera facienda, eum qui aſſiduitatem præbere valeat; ſed & ad excubandum foris infirmum eſſe; illum ad quietem minus aptum, & qui bonâ valetudine ſit ad exercitationes, & motus. Ad liberos etiam quod attinet, ut ſit horum ortus communis, utilitas autem peculiaris. Illius enim eſt educatio; iſtius inſtitutio. Maris ergo & fœminæ ſexum natura diſcrevit; quò facilius, arctiuſque per conjugium inter ſe poſſent copulari, liberorumque procreationi vacare, quà humana ſocietas nedum conſervaretur, ſed & propagaretur. Hàc enim natura complet perpetuitatem vitæ, ſpecie nimirum; cùm nequeat numero. Quod & in cæteris quidem animantibus extat; quoad fert natura ipſarum, & procurandæ ſobolis gratiâ dumtaxat. In iis verò quæ manſuetæ ſunt & magis callidæ, atque prudentes, perfectius hoc eſt. Apparent enim in eis adjumenta mutuæ benevolentiæ, & operum communis labor. Sed in hominum genere maximè evidens eſt. Non enim in hoc tantùm maris, & fœminæ conjunctio efficax eſt, ut vita propagetur; ſed ut bene etiam degatur; ſicque liberorum procreatio non pertinet tantùm ad explendum munus naturę, ſed ad utilitatem quoque. Quem laborem enim Valentiores infirmioribus impendunt, ejus fructum recipiunt effeti in Senectute à Valentioribus. Hactenus Ariſtoteles ex quibus apparet maris & fœminæ, ſive viri & uxoris ſocietatem, quæ per matrimonium initur, maximè naturalem eſſe. Vnde nedum contra religionem, ſed & contra naturam ipſam peccare videntur, qui nuptias damnant. Has enim tum natura rerum omnium parens, tum ipſe Deus totius auctor inſtituit, ut fusè demonſtat Dionyſius Halicarnaſſenſis. lib. de nuptiis: Dii, inquit, invenerunt, oſtenderuntque hominibus nuptias. Iupiter enim, & Iuno, primi fuere conjungentes, & copulantes, proinde hic quidem omnium pater vocatur; illa verò juga nuncupatur; quòd marito fœminam conjungat; & ab iſtis Diis, reliquorum Deorum, qui in nuptiis celebrantur, cœtus in mortalium vitam prodiit, & nuptiæ ſunt cauſæ ut Dii iſti nominentur, & in maximo honore habeantur. In nuptiis quippe à conjugibus Iuno conjugalis invocatur. Præterea, naturæ opus eſt generare, concipere, & partum ferre. Idque per omnia ipſius opera, & animalia, & plantas apparet cum hoc diſcrimine, quòd in illis maris & fœminæ conjunctio ſine ratione fit; temerè enim & imprudenter miſcentur, ut etiam Ariſtoteles advertit: Homo autem ordinem quendam matrimonii, & inſtitutum invenit; non ut gregatim ferarum more laſcivire concedat, ſed qui duorum maximè commodorum conjunctionem, ſocietatemque per univerſam vitam excogitaverit. Ex quo facile poteſt intelligi, à ferâ homines, agreſtique ac erratica vita per matrimonium diſceſſiſſe, & ad humanum, manſuetum, ordinatumque victum deductos fuiſſe. Iniquè ergo, imò & ſacrilege nuptias Marcion prohibet, ipſo Apoſtolo conſtantior, ut illi improperat Tertullianus 5. adverſus Marcion. Etenim Paulus, etſi bonum continentiæ præferat, tamen conjugium, & contrahi permittit; uſui eſſe, & magis retineri, quàm disjungi ſuadet. Plane Chriſtus vetat divortium; Moyſes verò permittit; Marcion totum concubitum auferens fidelibus, repudium ante nuptias jubens; cujus ſententiam ſequitur Moyſis an Chriſti? Atqui & Chriſtus, cùm præcipit mu

lierem à vito non diſcedere; aut ſi diſceſſerit, manere innuptam; aut reconciliari viro; & repudium permiſit, quod non in totum prohibuit; & matrimonium confirmavit, quòd primò vetuit disjungi; & ſi forte disjunctum, voluit reformari, Apoſtolus verò præſcribens tantùm in Domino eſſe nubendum; ne quis fidelis ethnicum matrimonium contrahat, legem tuetur creatoris, Allophilorum nuptias ubique prohibentis. Habes ergo Chriſtum nuptiarum, quocumque velis latère proſpectorem, quas nec ſeparari vult prohibendo repudium; nec cum macula habere, tunc permittendo divortium. Erubeſce Marcion, non conjungens quos tuus quoque Chriſtus conjunxit. Erubeſce disjungens quos disjungi voluit. Denique prohiberi nuptias nuſquam omnino legimus, ut bonum ſcilicet: imo conjunctionem viri, ac fœminæ à Domino benedictam legimus, ut ſciremus generi humano, & replendo orbi, & inſtruendo ſæculo excogitandam; atque exinde permiſſam. Quare qui nuptias damnat, nedum Deo, qui conjugium inſtituit, ſed & naturæ, univerſoque humano generi injuriam facit: nam, ut præclarè Hetocles: Vniverſum humanum genus ad ſocietatem natum eſt. Prima verò & præcipua hominum ſocietas eſt, quæ per nuptias initur. Nam civitates ſine familiis eſſe non poſſunt; & familia innupta, manca eſt; integra autem, & perfecta illius qui conjungatus fuerit. Præterea ex nuptiis hanc conſolationem oriri Plato dicebat lib. 6. de legibus quòd naturæ perpetuitas inde promoveatur, & quòd filios filiorum, relinquendo, ſemper Deo miniſtros pro nobis relinquimus, vitam ſeu lampadem aliis poſt alios tradentes. Nec ad infamandam ſanctiſſimi conjugii dignitatem facit, quòd variis pateat ærumnis. Nam, ut Socrates adoleſcentulo, qui ab illo conſilium petierat, utrum uxorem duceret; hinc te, inquit, ſollicitudo; hinc orbitas; hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet; illinc perpetua ſollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium ſupercilium grave, garrula ſocrus, uxoris lingua, ſucceſſor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. Innumera quippe ex nuptiis bona ſcaturiunt, quorum ſuavitate tot ærumnæ dulceſcunt. Neque enim propter ſolam filiorum procreationem conjugium bonum videri debet, ait Auguſtinus lib. de bono conjug. ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Habet etiam id bonum, quòd carnalis, vel juvenilis incontinentia etiam ſi vitioſa eſt, ad propagandæ prolis redigitur honeſtatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. Suaviſſimus revera, ait Philoſophus, 1. œconom. conjugii fructus, totius vitæ conſociatio, & procreatio liberorum; quo precio neque majus eſſe, neque ſanctius poſſit; cùm adhuc ex ſolo conjugio fiat, ut homines conditionis mortalis ſucceſſione perpetuà immortalitatem conſequantur, quò vota omnium tendunt.

Sanctiſſimum ergo connubium, utpote res ſacra, & Sacramentum magnum, ut dicit Apoſtolus; cujus Deus ipſe primus auctor fuit, & Chriſtus confirmator. Vnde mirum, à Tertuliano, adeò parum æſtimari, ut illi ſtupro affine eſſe videatur, quoniam, inquit, ex eo conſtat, quod eſt ſtuprum. Tanta verò è contra apud gentiles dignitatis fuere nuptiæ, ut apud illos cœlibes mulctarentur. Spartæ tam cœlibi, quàm ſero, & malo marito legibus indicta pœna fuit. Lycurgus legibus mandaſſe fertur, ut qui cœlibes vixiſſent, à Ludis arcerentur, & per hyemem nudi forum circuire cogerentur. Idem Platonis legibus cavetur, ut qui ad quintum, & trigeſimum uſque annum cœlebs manſiſſet, nullo dignus honore, omnium poſtremus haberetur. Cujus rei cauſa Cretenſes, Iuvenes ad uxores ducendas vi & lege compellebant, Romani verò præmio propoſito inducebant. Vnde damnatur Thales, quòd juvenis adhuc interrogatus, cur uxorem non duceret, reſponderit, *quia intempeſtivum eſt*, & iterum ſenex, cum ad conjugium urgeretur, rurſus *intempeſtivum* dixit. Laudantur verò Pytagoras, Crates, Ariſtoteles, quòd conjugio carere noluerint, tot ſcilicet, nuptiarum delinimentis adducti; nempe quòd habituri eſſent in miſeriis ſolatium, in periculis adjumentum, ſociamque vitæ, etiam in calamitate. Adde mutua pignora thori genialis, ſoboliſque, quam ſibi quiſque poſtfuturam, & bonorum participem cernit, ingenitamque charitatem in filios, animoſque conſociatos, quæ ad civitatis & Reipublicæ præſidium, nec minus ad propagationem nominis valent ſempiternam. Et hæc, quod ad conjugii dignitatem, & utilitatem ſpectat, dicta ſufficiant.

Quantùm verò ad ejus originem, & inſtitutionem, miſsâ quam Polydorus Virgilius refert fabulâ ex Trogo. Cecropem Athenienſium Regem ante Deucalianis tempora matrimonium conſtituiſſe, hoc apud Chriſtianos pro rato habetur, conjugium, ipſius mundi exordio quodammodo coævum, Adami temporibus cœpiſſe, cujus & ipſe Deus orbis conditor, auctor fuit. An verò ante primi parentis lapſum, vel poſt, diſſidium eſt inter Doctores. Quidam, ut Joſephus, & alii exiſtimant, Adæ cum uxore nuptias, utriuſque peccatum præceſſiſſe: quod ſacræ Geneſeos hiſtoriæ ſatis conſonare videtur, ubi legimus, efformatâ Evâ è ſomno ſuſcitatum Adam ſtatim exclamaſſe, *Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Hieronymus verò docet Evam in Paradiſo virginem fuiſſe, poſt peccatum verò initium ſumpſiſſe nuptiarum. Ante offenſam, inquit, virgines fuere, poſt peccatum, & extra Paradiſum ſtatim nuptiæ.

Conjugii verò contrahendi ritus, & ceremoniæ, variæ apud Gentiles fuere. Apud Romanos, teſte Feſto, Patrini & Matrini, pueri tres, nubentem ducebant, unus qui facem ex alba ſpina præferret (nam noctu, ut ait Plutarchus in Problem. nubebant) duo qui ſponſam tenerent, & ad eam fax Cereris honore præferebatur. Spiceâ item coronâ, ſponſa redimitum caput, præſertim ruri, ducebatur, boni ominis cauſa, ſuper cujus caput triticum jaciebatur, quaſi inde conſecutura foret fœcunditas. Interim Talaſſii nomen ſæpe invocabatur, velut virginitatis aſſertoris, quòd ei in raptu Sabinarum Virgo obtigiſſet, vel ut lanificii admoneretur per Talaſſii vocem, qui dicitur calathus ad id aptus. Vnde olim, auctore Plutarcho, ſponſa colum lanâ comptam cum fuſo ſecum ferebat. Dabantur præterea, ante viri congreſſum, ignis & aqua attingenda, quòd iis elementis purgatio fieret, & per hoc ſignificabatur caſtam, ac puram futuram: vel quia duo hæc elementa, prima ſunt omnium generationum principia. Item ſponſæ introductæ potio porrigebatur deguſtanda de qua Ovidius.

Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver,
Sumere, & expreſſis mella liquata favis.

Tum

Tum ſupra caput naſtam de gladiatoris eorpore eductam ponebanr, tanquam promptum violati tori ſupplicium. Item Romæ, nubentes ſolebant aſſes tres ferre, atque unum quem in manu tenerent, tanquam virum emeturs, marito dare; alterum, quem in pede haberent, in ſoro larium familiarium ponere; tertium quem in pera geſtabant, in compito vicinali reponere. Denique præmiſsâ interrogatione, num ſeſe mutuò vellent, junctis inter ſe dextris, ſeſe oſculabantur. Deinde velo flammeo ominis eauſa, capiti impoſito (unde nuptiæ dictæ, à nubendo) ſponſa domus conjugalis poſtes adipe ſuillo ungebat, quòd ſic ab ea, mala cuncta depulſum iri exiſtimarent. Hinc ab ungendo uxor appellata. Vltimò non permittebatur tranſcendere limen, ſed tranſportabatur, perinde quaſi coacta pudicitiam amitteret. Hi fuere apud Gentiles nuptiarum ritus, quos indicat Tertullianus lib. de Virg. veland. his verbis. Atqui etiam apud Ethnieos velatæ virgines ad virum dueuntur. Si autem ad deſponſationem velantur; quia & corpore, & ſpiritu, maſculo mixtæ ſunt, per oſeulum & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritu, per commune conſcientiæ pignus, quò totam condixerunt confuſionem, quantò magis tempus illas velabit, ſine quo ſponſari non poſſunt. Nuptias verò hujus temporis eſſe, non futuri, aperte deelaravit Chriſtus, dieens: *In cœlo non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Quæ verba premens Tertullianus adverſus Marcionitas, qui nuptias damnabant: Vides, inquit, hujus quidem ævi filios nubere. Quia enim de ævo venturo quærebatur, in quo neminem nubere definiturus, erat præſtruxit, hîc quidem nubi, ubi ſit & mori. Nuptiæ enim ad hunc finem inſtitutæ ſunt, ut perpetuo generationum fluxu, fluida, & peritura hominum natura repararetur. Vnde execranda prorſus in humani generis propagationem Marcionis erudelitas, qui nuptiarum Sacramentum evertere eonatur. Sementem ergo generis humani compeſcere totum neſcio, ait Tertullianus, an hoc quoque optimo Deo congruat. Quomodo enim ſalvum hominem volet, quem vetat naſci, de quo naſeitur auferendo. Quomodo habebit, in quo bonitatem ſuam ſignet, quam eſſe non patitur? Quomodo diligit, cujus originem non amat? Timet forſitan redundantiam ſobolis, ne laboret plures liberando, ne multos faciat hæreticos, ne pejores habeat Mareionitas ex Mareionitis. Non erit humanior duritia Pharaonis naſeentium enecatrix, nam ille animas adimit, hic non dat. Ille aufert à vita, hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homieidio differt. Sub utroque homo interficitur, ſub altero jam editus, ſub altero edendus. Cur ergo Marcion Creatoris diſpoſitioni adverſatur, quòd marem & fœminam miſcuit, cum ex nuptiis natus ſit. Nedum in Religionem ſacrilegus, in naturam protervus, ſed & humanæ Reipublicæ bono infenſus. Reſpublica enim ex eivitatibus, civitates ex domibus & familiis, familiæ ex maris & fœminæ conjunctione pendent, quæ prima eſt hominum ſocietas, totiuſque humanæ ſocietatis fundamentum.

CAPVT II.

De poteſtate viri in uxorem ejuſque regimine.

APud Cartas in Aſſiria Templum fuit, in quo, qui lunæ ſupplicaret, uxoris Imperio ſubjici, qui verò luno Deo ſacrum faceret, uxori dominari tenebatur. Quibus etiam mos à Hemirame de traditus perdiu manſit, ut viris uxores dominarentur. Sauromatas etiam ferunt hoc habere præcipuum, ut viri ſub imperio uxoris eſſent. Spartanæ item mulieres animi minimè mulieribus viris Imperabant, apud quas rei domeſticæ eura omnis, & proeuratio pertinebat. De qua re fertur lepidum Gorgonis uxoris Leonidæ dictum, quæ eum ab hoſpite argueretur, quòd ſolæ ſpartanæ viris imperitarent, *haud immeritò*, inquit, *nam ſolæ viros pariunt*. Iniqua tamen fuit hæc conſuetudo, jurique tum divino, tum naturali contraria, quo decernitur uxorem viro ſubjici debere. Hoc enim ipſa juris naturalis ratio poſtular, ait Ariſtoteles, ut qui potentiâ, ſapientiâ, aliiſque tum corporis, tum animi dotibus cæteris ſupereminent, illis imperent. At viri præſtantiores ſunt vires, quàm fœminæ; (à viribus quippe vir appellatur) & in negotiis gerendis major ſolertia: uxori ergo vir imperare debet. Hinc apud Hebræos, vir *Bahal* appellatur, quod linguâ Hebraicâ Dominum ſonat. Apud Barbaros autem, ut refert Ariſtoteles, 1. polit. c. 2. fœmina, & ſervus eodem gradu habebantur; cauſa vero hujus eſt, quoniam, inquit, quod naturâ dominetur non habent, ſed fit eorum ſocietas ex ſervo & ſerva. Quare Socrates dicere ſolebat viros oportere civitatis parère legibus; uxores verò maritorum, quibuſcum vivunt, moribus. Norma enim eonjugis, vir eſt. Æquitas igitur docet, ut viro tanquam capiti uxor obtemperet juxta illud; *vir caput mulieris*. Propter quod ait Salvator mundi, *relinquet patrem, & matrem, ut viro adhæreat*. Veteres mulieres, ait Aleaander ab Alea. 4. genial. c. 8. propter infirmitatem conſilii ſub parentum tutela eognatorumque eſſe voluerunt, donec viro deſponſatæ conjugali eopulâ jungerentur, tunc enim à tutela liberæ, in virorum manu, non in ſervitio erant. Hæc eujuſdam mulieris apud Plutarchum in laconicis verba extant: cùm adhuc virgo eſſem, & puella, patris legibus obtemperabam: Nunc viro deſponſata, morem illi gero. Imperfecta perfectis ſubſunt: fœmina mas eſt occaſionatus, ut dicit Ariſtoteles, & homo quodammodo dimidiatus, ſive viri·portio: ut potè ex viro extracta: ſub viri ergo manu & poteſtate eſſe debet, penes quam non reſidet jus imperandi in re domeſtica, multò minus in Republica, à cujus regimine procul arcetur apud Gallos lege Salicâ. Pro monſtro haberetur corpus, cui duplex caput præficeretur, Familia ex viro & uxore; ex patre & filiis, ex Domino & ſervis eompoſita, corpus quoddam domeſticum conſtituit, ſicut Reſpublica corpus eivile. Plures ergo non capit Rectores familiaris ſtatus, & ut in aliis, unus imperet, neceſſe eſt: Pater nempe eſt familiàs, cui cætera hujus eorporis membra debent obtemperare. Penes ergo virum plenaria reſidet in uxorem poteſtas. Nam, ut præclarè Philoſophus, 1. polit. c. 12. Triplex eſt in re domeſtica poteſtas; dominica, paterna, & conjugalis, quæ familiæ rectori tribuenda eſt, juxta triplex illius in ſubditos munus. Servis Imperat, ut Dominus; uxori præeſt & filiis, tanquam liberis quidem ambobus; ſed non eodem imperii modo; uxori civiliter; filiis autem Regie: Maſculus enim quam fœmina naturâ principalior eſt; niſi alicubi contra naturam conſtiterit; & quod antiquius eſt, & perfectum juniore, & imperfecto. At vir fœminâ origine prior eſt, ſicut & pater filio. Fœmina viro imperfectior, ſicut

filius patre. In civilibus autem principatibus plerumque commutatur is qui præeſt, & is qui ſubeſt: Nam æquales eſſe volunt ſecundùm naturam, nec quidquam differre: attamen cum hic quidem præeſt, ille verò ſubeſt, requiritdifferentiam, & figuris, & ſermonibus, & honoribus. Verùm Maſculus ad fœminam ſemper ita ſe babet; quia naturâ perfectior; ergo & ſuperior; quare uxori vir præeſt quodammodo civiliter. Filiorum autem imperium regium eſt. Quod enim genuit; quodque per amicitiam præeſt, & per ætatem, idipſum eſt idem, quod ſpecies quædam Regii imperii. Ideo bene Homerus de Iove inquit: *Hominum pater, atque Deorum*: Sic appellans horum omniumRegem. Naturâ enim excellere Regem oportet, genere autem eſſe eundem, quod accidit ſeniori ad juniorem, & parenti ad natum.

Viri ergo in uxorem naturale quidem eſt imperium, nempe perfectioris in imperfectiorem, & antiquioris in juniorem, ſed civile: hoc eſt, ut Rectoris Reipublicæ in cives, non ut Domini in ſervos. Vnde Romuleæ leges ut refert Alexander ab Alea.

Vxoribus, nec molère, nec coquere, aut alio ſervili munere fungi permiſere; nuptaſque pecuniarum, & fortunarum viri, ſacrorumque ſocias eſſe juſſere; eoſque qui in uxorem, aut liberos violentas manus intuliſſent, veluti ſanctiſſima Deorum templa violaſſent, impios, ſacrilegoſque duxerunt. Cavendum ergo eſt ne uxoris imperio maritus agatur; nam illum deſpectum ſine mora præcipitem ageret. Vnde damnatur Imperator Iuſtinianus, quòd in ſanciendis legibus, uxoris conſilio uteretur. Cato verò Romanos ridet, quòd cum gentibus, armis imperarent; uxoribus parèrent contra divinam legem quæ uxorem viri ſubiicit poteſtati. *Sub viri*, inquit *poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*, & alibi: *mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino.* Cujus ſubjectionis naturalis rationem adducit Apoſtolus; *quia*, inquit, *Adam primus formatus eſt, deinde Eva: & Adam non eſt ſeductus; mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Imperioſum eſt genus muliebre, ait Ariſtoteles, & quod mores hominum ſibi ſubigere valde deſideret. Quare, *mulier ſi primatum habeat, contraria erit viro ſuo, ut dicit ſapiens. Mulier* inquit Apoſtolus, *debet velare caput ſuum, quia non eſt imago Dei, ſed ut oſtendatur ſubiecta, & quia prævaricatio per illam inchoata eſt.* Hinc nec docere, nec teſtis eſſe, neque fidem dare, neque judicare poteſt, multo minus imperare, utpote quæ nullam habeat auctoritatem: quare viro ſubiici debet; major enim dignitas eſt in ſexu virili, etiam cujuſque plebei, quàm in nobiliore quaque muliere, ſecundum Vlpianum.

Natura molles mulieres edidit, imbecillioris animi, & virium, ad imperium minus idoneas, minuſque animoſas, ut ſcribit Ariſtoteles, ut pote quæ ad edendos pueros, & fovendos magis accomodas natura fecerit. Imó nullum evidentius ſignum eſt corruptæ gubernationis, quàm ubi mulieres imperant, juxta illud: *Populum meum exactores ſpoliaverunt, & mulieres Dominatæ ſunt eis.*

Sic tamen viri poteſtati mulier ſubiici debet, ut tanquam libera, non ut ſerva ei obtemperet. Quare fecit Deus mulierem ex ipſius hominis, non alterius ſubſtantia, nec ex pedibus, ut inferior eſſet quaſi viri pedibus conculcanda: nec ex capite, ut illi imperaret: ſed ex latere, ut quaſi ipſius regiminis ſocia, rem familiarem intra domus ſepta curaret. Quare nec ex levibus cauſis à viro repudianda, nec male tractanda: nec in ipſam penes virum jus necis eſt, & vitæ: quod ſoli Reipublicæ rectori conceditur.

CAPVT III.

Mutua viri, & uxoris ad invicem officia.

IMperium in re familiari unius eſt, ut ſupra diximus, nam *ab uno* regitur omnis domus, à patre nempe familias. Prima verò hujus regiminis cura circa uxorem verſatur. Primùm igitur legibus cautum eſt, ne uxoribus injuria inferatur. Huc lex communis deducit; quemadmodum Pythagorici aiunt; omnem injuriæ, & violentiæ opinionem abeſſe debere ab ea, quæ ſupplicis inſtar ſit, & tanquam à foco deducta. Eſt autem injuria, quam facit maritus, in conſuetudine cum extraneis. Summo in honore haberi debet, ſacro ſanctum, & honorabile conjugii Sacramentum; ſummaque cura adhibenda eſt, ne in eo divinum numen negligatur, quo præſente ſacra nuptiarum facta, & ducta uxor eſt, eique ſe vir tradidit; cui poſt ſuos parentes honorem haberet præcipuum. Habetur autem maximus honor caſtæ, & pudicæ mulieri; ſi illa virum ſe ſolâ contentum, & ſuam ſibi intergritatem conſervare, & perſuaſum habere intelligat, quòd uxoris erga ſe amor, & fides ſit ſingularis. Quò enim magis, & fidelius à viro ſe diligi uxor agnoſcet, eo accuratius officio ſuo fungi ſtudebit. Suo ſe honore ſpoliari unuſquiſque graviter ferre conſuevit: nec tam gratum eſt, tribui aliena, quàm moleſtum ſua ſibi adimi. Nihil autem magis ſuum & proprium eſt uxoris, quàm inviolata, & ſancta conjugii neceſſitudo. Quocirca indignum eſt homine non vecorde, vulgò, & promiſcuá libidine liberos quærere; ne concepti ab improbis, atque futilibus, legitimè genitis inſerantur, per uxoris contumeliam, & injuriam liberorum, & ad omnia infamiam viri. Vxori vito ita conſueſcendum eſt, ut appareat temperantia, atque modeſtia, in dictis verecundia, in factis jus & fas, in convictu fides, & frugalitas, parvis delictis, quamvis voluntariis venia dabitur. Ignorantiæ peccata admonendo corrigentur. Non perterrefaciet vir uxorem metu amiſſi pudoris, & verecundiæ. Id enim fieri in amoribus meretriciis ſolet. Ea vir eliget, quibus ſibi animum uxoris conciliet, illamque totam devinciat, propriamque poſſideat, ut ſive præſens ſive abſens ſit, eadem percipiatur utilitas atque ſi ipſe coram adeſſet, & omnia curaret. Nihil igitur verò prætermittendum eſt eorum omnium quæ ad benè inſtituendam uxorem pertinent, ut quàm optima ſit diſciplina domeſtica, & ea præſtantiſſima conjuge liberi procreentur. Nam & agricola omnibus modis operam dat, ut ſolum maximè fertile, & diligentiſſimè cultum conſeratur; quôd ita demum uberrimos ſe fructus percepturum eſſe confidat. Atque etiam hoſtili vi imminente, propugnare pro ſolo ſuo, & vitæ periculum adire non dubitat, ut à vaſtitate illud defendat. Quod ſi ita mortem oppetat, mors ea laudem maximam meretur. Cum autem tantùm curæ ac laboris ſuſcipiatur pro victu, quo corpus alitur, quid pro liberis, eorumque matre, atque nutrice faciendum. Nunquid omne protectionis ſtudium, ac cura adhibenda?

Conjugio enim ſolo fit, ut homines conditionis mortalis, ſucceſſione perpetuâ immortalitatem conſequantur ; & huc vota omnia parentum tendunt.

Hactenus Ariſtoteles lib. 1. apolit. c. 12. ex quibus apertè conſtat quo modo ſeſe vir erga uxorem gerere debeat; nempè ut illam, ſe tanquàm in rei ſamiliaris regimine ſociam ſummoperè diligat, veneretur, fidem ſervet ; nec illi, ut ancillæ, ſed ut liberæ, civili quodam imperio dominetur. Nunc ad ea quæ uxoris ſunt tranſeo.

Probam mulierem, ſeu matrem familias, omnium quæ in domum inferuntur, dominam eſſe, eorumque curam ſuſcipere convenit, certis quibuſdam legibus. Non admittet hæc externum quenquam viro non jubente. Quod in ædibus, & intra domeſticos parietes fieri debet, id notum erit ipſi. Virum enim in ea, quæ domi, & intra parietes geruntur, inquirere non decet ; ſciatque non minus dedecere virum domeſtici operis aliquid efficere, quàm mulierem ſcrutari exteriora, quæ de rebus publicis nihil audire debet. Mulieri convenit ut viro ſit morigera; quæ ſi bene inſtituta ſit, exiſtimabit, legem eſſe ſibi, ingenium, moreſque viri ſui, latam divinitus, eo tempore, quo nuptiæ junctæ, & vitæ ſors conſociata fuit. Quòd ſi illa æquo animo viri mores feret: admodum facilis erit domeſtica adminiſtratio ; ſin minus perquam difficilis : Quamobrem, non modo rebus ſecundis & fortunâ proſperâ concordiam ſervabit firmam, & obſequetur voluntati viri, ſed triſtibus etiam, atque duris temporibus. Si rerum forte neceſſariarum penuria ſit, ſi morbo laboretur, ſi vehementior perturbatio exiſtat, & animi inpotentia, tolerentur omnia, & mos geratur viro, niſi ſorte turpitudo aut indignitas in re inſit. Si quid animo commoto vir egerit, atque deliquerit, ejus ſtatim obliviſcatur, aut interpretetur in bonam partem, imprudentiæ, negligentiæ, aut ægritudini adſcribendo. In cæteris uxor marito obtemperabit, non aliter, quàm ſi in illius familiam veniſſet empta ancilla. Et reverà magnum impenſum eſt precium, vitæ totius conſociatio, & procreatio liberorum, quo precio neque majus eſſe aliud, neque ſanctius poſſit. Præterea, ab uxore honorem viro haberi, & quidem ſummum par eſt ; quem ut Dei imaginem, totiuſque rei familiaris Dominum, ac principem debet venerari. Vxor honeſta virum, ut æquum eſt, pudicè, & amare, & vereri debet. Formæ enim timoris duæ ſunt: una, quæ adjunctam habet reverentiam, ac pudorem ; qualis eſt erga patres proborum liberorum : & benè moratorum civium erga magiſtratus, quibus ſe eſſe curæ ſentiunt. Altera non caret alienatione animi, & odio ; & ita timent ſervi Dominos, & qui injuſta potentia oppreſſi ſunt tyrannos. Vxor verò virum, ut parentem, & principem caſte debet amare, & vereri. Neque enim Homerus amorem, timoremque immoderatum, & inverecundum probavit, ſed ubique cum amore, præceptum modeſtiæ ac pudoris conjunxit. Atque ita ab Helena Priamum timeri ait, compellante eum ut ſocerum ; cum reverentia cùm pudore, & obſervantiâ cum timore reveretur. Quem timorem Scilicet eſſe charitatem cum reveretur, & pudore ſignificat. Hinc fiet, ut virò juratam fidem integerrimam præſtet ; nec ab illo, unquam avelli ſe permittet. Modeſtia adhuc in uxore ſummopere deſideratur. Neque enim corporis nitor, & veſtitus pulchritudo ; vel formæ ſpecies, aut multiplex aurum tantoperè commendat hunc ſexum, quantoperè modeſtia in rebus omnibus, & ſtudium vitæ honeſtæ, ac pudicæ ; hæc vera animi ſunt ornamenta pro cæteris expetenda. Nam compta, & ornata corporis ſpectes, nihil differt à Tragœdorum in ſcena verſantium ornatu. Et hæ ſunt uxoris rectè inſtituendæ leges juxta Ariſtotelem.

Præ cæteris autem in hac prima hominum ſocietate, quæ per conjugium ſœderatur, perfecta, perpetuaque requiritur inter conjuges concordia. Unde Poëta in oratione ad Nauſicam habita, maxime approbat, conjugium caſtum, ideſt pudicam & concordem uxoris atque viri ſocietatem. Precatur enim Deos, ut ipſi tribuerent maritum, ac domum, & concordiam ; non vulgarem illam quidem, ſed laudabilem, atque bonam. Nam pronunciat, nihil evenire hominibus poſſe melius, neque præſtabilius, quàm concordiam inter uxorem, atque virum, & conſentientem voluntatem in domeſtica conſuetudine. Tali enim inter virum & uxorem vigente concordiâ, malevoli magna afficiuntur triſticia, benevoli lætantur. Quo verò arctiùs inter illos hujuſmodi concordia firmetur, omnis primò turpitudo procul eliminanda eſt. Neque enim inter conjuges de rebus turpibus, & à pudore ac verecundia alienis convenire debet ; ſed de honeſtis, atque caſtis ; de quibus concordantes alter alterius voluntati inſerviet. Secundò, mutui inter illos amoris affectus vigere debet; hoc enim firmiſſimum eſt totius ſocietatis vinculum. Ardebit verò hæc mutui amoris flamma, ſi morum habeant ſimilitudinem, & ætatis, conditioniſque conformitatem, quæ amoris ſomes eſt, & incentivum. Æqualem vxorem ducendam eſſe ſuadebat Cleobulus. Si enim ex ſuperiori ſamilia duxeris, non affines tibi, ſed Dominos comparabis : ſi ex inſeriori, tot pauperes alendos habebis, quot cognatos. Pauperem alere difficile eſt, ditiorem ſe, ac nobiliorem ferre, tormentum.

Tertiò : perfecta erit perpetuaque inter conjuges concordia, ſi unum ſit utriuſque velle, unum ſapere : ſicut una eſt domus, unus thorus, una menſa, unum nomen, una hæreditas. Neſas enim inter ſe mente dividi, qui corpore adeo arctè conjunguntur, ut ſint duo in carne una. *Quos ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Viro uxor ſemper adhæreat ex cujus latere ſumpta eſt. Vir uxorem totius vitæ ſociam niſi graviſſima de cauſa, adulterii nempe, vel veneni propinati non repudiet. Vliſſis fidem in amanda uxore conſtantiam imitetur, qui rogante Athlantis filia ſecum ut remaneret, ac immortalitatém promittente, non ideo ; ut refert Ariſtoteles, prodere voluit charitatem, amoremque & fidem conjugii, inſtar tantus graviſſimi ſupplicii, immortalitatis quoque munus, in conſcientia perfidiæ, & ſceleris. Apud Circem quoque noluit remanere, quamquam illa ſalutem ſociorum polliceretur : imò hoc reſpondit nihil ſibi ſuâ patriâ, quamvis aſpera, & inculta videri dulcius : Optatiuſque ei ſuit mortalem uxorem, atque filium aſpicere, quàm adipiſci immortalitatem. Hæc in amore erga uxorem conſtantia, meritò ab eadem paria reportavit, ſummoque ab illa amoris affectu diligi meruit, qui caſtiſſimam Penelopem adeò dilexit. Viro, & uxori amicitia eſſe à natura videtur ait Ariſtoteles; homo enim conjugale magis, quàm civile animal eſt, quantò prior, magiſque neceſſaria eſt familia, quàm civitas, & filiorum quoque procreatio animalibus

eatenus communieatio eſt; at homines non ſobolis procreandæ tantummodo, ſed rerum etiam, quæ ad vitam ſpectant, comparaudarum cauſâ habitant & ut ſibi mutuo opitulentur.

CAPVT IV.

Errores antiquæ gentilium œconomiæ circa leges matrimonii.

TVrpiſſimè eitca œconomieæ diſciplinæ præcepra lapſi ſunt Gentiles Philoſophi, quorum præcipuos errores placet hîc in medium proferre; & quidem *primò* in his quæ ad matrimonium ſpectant. Hæc enim prima eſt œconomicæ diſciplinæ pars; primaque totius humani generis ſocietas.

Circa hanc graviſſime peccavit Socrates in Republica Platonis, ubi decrevit oportere communes eſſe filios, & mulieres. Porro innumeras continet iſta mulierum communio confuſiones, ut fusè demonſtat Ariſtoteles.p.poli.cap. 2. Hâc enim ſemel admiſſâ funditus ruit venerandum conjugii Sacramẽtum. quæ enim nubendi neceſſitas, vel utilitas, ubi nulla eſt uxorum diſcretio? Conjugium ad hoc tùm lege naturæ, tùm jure civili inſtitutum eſt, ut cuilibet viro propria ſit uxor. Inde conjugium appellatum, quòd marem & fœminam, prolis generandæ, & educandæ cauſâ ſimul conjungat. Quæ verò conjunctio, quæ unio, ubi vagâ libidine unicuique virorum licet cum omnibus mulieribus paſſim canum more commiſceri. O miram Platonis æquitatem? ubi eſt igitur virtus caſtitatis? Vbi fides conjugalis, quæ ſi tollas, omnis juſticia ſublata eſt. Huic tam juſto, tam æquo viro regnum dares, vel familiæ regimen, qui aliis ſua abſtulit, aliis donavit aliena, proſtituitque pudicitiam fœminarum? quæ nullus unquam non modo Rex, ſed nec Tyrannus quidem fecit. Cùm verò intulit rationem turpiſſimi hujus conſilii, ſic inquit, civitas concors erit, & amoris mutui conſtricta vinculis, ſi omnes omnium fuerint, & mariti, & patres, & uxores, & liberi. Quæ iſta confuſio generis humani eſt? Quomodo ſervari charitas poteſt, ubi nihil certum eſt quod ametur? Quis enim vir mulierem, aut mulier virum diligat, niſi habitaverint ſemper unâ? Niſi devota mens, & ſervata invicem fides, individuam fecerit charitatem? Quæ virtus in illa promiſcua voluptate locum habet? Item ſi omnes omnium liberi ſunt, quis amare liberos, tanquam ſuos poterit, cùm ſuos eſſe, aut ignoret, aut dubitet? Quis honorem; tanquam patri deferet, cùm unde natus ſit, neſciat? Ex quo fit, ut non ſolum alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno. Quid, quod uxor poteſt eſſe communis, filius autem non poteſt, quem concipi non niſi ex uno neceſſe eſt? Perit ergo matrimonii communitas, ipſâ reclamante naturâ. Supereſt ut tantummodo concordiæ cauſâ, uxores velit eſſe communes. At nulla vehementior diſcordiarum cauſa eſt, quàm unius fœminæ à multis maribus appetitio: ut exemplis certe poteſt admoneri, unitorum etiam animalium, quæ ob hoc vel acerrime pugnant: Quorſum ergo matrimonia communia? Scilicet ut ad eandem mulierem multi viri tanquam canes confluant, & is utique obtineat, qui viribus vicerit; aut ſi patientes ſint, ut Philoſophi, expectent, ut vicibus tanquam lupanar obeant. Præterea, ſummopere totius Reipublicæ bono nocet, fœminarum hæc communio: quæ ex recta filiorum educatione maxime pendet. Vbi enim certa ſunt matrimonia: ſinguli proprios partus majori ſollicitudine educant: in hac vero uxorum communione filiorum educatio negligeretur: quod enim commune plurium eſt, ſolet à pluribus contemni. Perperàm ergo Socrates, inductâ hac iniquiſſimâ fœminarum communione, putavit ſe inveniſſe juſticiam, quàm prorſus evertit. Tulit inſuper temperantiam, & caſtitatem: tulit verecundiam, pudorem, & modeſtiam: luxurioſos effecit homines, & ex uxoribus meretrices, totiuſque humani generis Rempublicam in lupanar convertit nec humanam vitam ad ſimilitudinem volucrum, ſed pecudum, & belluarum redegit. Nam volucres penè omnes matrimonium ineunt & paria junguntur, nidoſque ſuos tanquã genitales toros, concordi mente defendunt, & fœtus proprios quia ſunt certi, amant, & ſi alienos objeceris, abigunt. Ita Lactantius lib. 3. cap. 21.

Contra conjugii adhuc ſanctitatem peccavere Lycurgus, & Solon; quorum ille lege ſanxit, ut ad ſenioris uxorem, juvenis florente ætate, tollendæ prolis cauſâ admitteretur; hic verò legem tulit, ut illius qui ad generationem minus eſſet aptus, uxorem, propinquus ſibi vindicaret. Quod à Græcis, & Romanis pariter factitatum novimus, ut uxorem alteri daret uſuariam. Sic Cato Martiam uxorem amico dedit, & Socrates Xantippem. Quæ omnia matrimonii honeſtati, fideique adverſantur. Nec minus illi repugnat Polygamia, quæ quidem olim in ipſo mundi naſcentis exordio licita fuit, ad humani generis propagationem Novi autem teſtamenti lege, jureque tum canonico, tum civili ſub pœna mortis prohibetur; Nec immeritò. Conjugium enim magnum evaſit Sacramentum, ex hoc præcipue, quòd Chriſti cum Eccleſia connubii figura ſit, & imago. Chriſtus verò non bigamus, ſed Monogamus, uniuſque Eccleſiæ ſponſus fuit; cujus unitati adverſatur qui plures ducit uxores. Præterra, Polygamia conjugii paci, & concordiæ ſummopere nocet. Vbi enim multitudo permittitur mulierum, minor eſt amor viri in omnes. Invidia adhuc inter uxores exſurgit, ut liquet ex Rachele & Lya Iacobi, & ex Sara, & Agar Abrahami uxoribus.

Iniquiſſimæ adhuc antiquæ Gentilium œconomiæ leges circa repudium; quod inter illos leviſſimis ex cauſis admittebatur; nempe ex clavium adulteratione, vinique potatione. Q. Antiſtius uxorem, quòd cum libertina fabulari viderat, repudiavit. C. Sulpitius, quòd invelato capite foras prodiiſſet. P. quoque Sempronius, quòd ludos ſe inſcito ſpectaſſet uxori repudium remiſit. Primus autem omnium inter Romanos P. Carnilius Ruga, uxorem ſolius ſterilitatis cauſâ repudiavit. Apud alios verò adeò arcto inter ſe conjuges vinculo jungebantur, ut alterutro è vivis deceſſo, ſuperſtiti vetitum eſſet ad ſecundas nuptias convolare. Quam legem, jam diu obſoletam, ex Chriſtianorum familia Tertullianus revocare conatus eſt. Cæteras taceo conjugii leges, tum juri naturali, tum divino contrarias; nempe quòd ſororibus fratres, filiabus patres commiſcerentur; qualis Athenienſium, Perſarumque mos fuit; quòd conſanguineis, cognatiſque omnibus una uxor eſſet, ad quàm per vices, quiſque ſuo ordine admitteretur; ut apud Arabes, Nabathæos, &

Britanoos

Britannos olim in uſu fuit, quòd nupturæ virgines Regi inprimis offerrentur, ut illarum pudicitiam ante nuptiarum ſolemnia delibaret; ut apud Andrimachidas Africæ populos, quòd ingenuas puellas ſervis delibandas darent; quod à Volſinienſibus quandoque ſervatum legimus: Quòd, eo fœdere ſponſa viro jungeretur, ut viro defuncto ſub eadem pyra ſepeliri juberetur, eodemque igne abſumeretur; ut apud. Catheos, & Indos: quòd uxor viro imperaret, ut apud Ægiptios; denique quod prorſus abſurdum eſt, rectæque œconomiæ legibus repugnans, ut mulier puerpera editæ prolis nullam curam gereret; ſed vir domi abditus, infantilis educationis onus ferret; quæ fuit Cyrnæorum conſuetudo; & apud Tibarenos, ut mariti poſt uxoris puerperium, capite obvoluto tanquam ipſi enixi fuiſſent, in lectulo decumberent. Hæc ex Alexand. ab Ale.

CAPVT IV.

Chriſtianæ œconomia de nuptiis præcepta, quibus Gentilium, & hæreticorum iniquæ leges emendantur.

C*Apite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas noſtras.* Ecce ego ad vulpes iſtas, ait Bernardus. Serm. 6. in cant. ipſæ ſunt, quæ prætergrediuntur viam, & vindemiant Eccleſiæ vineam. Non ſunt contentæ deſerere viam, niſi & deſertare vineam poſſint, addentes prævaricationem. Non ſufficit Hæreticos eſſe, niſi & hypocritæ ſint, ut ſit ſupra modum peccans peccatum. *Hi ſunt qui veniunt in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces.* Hi ſunt qui boni videri volunt, non eſſe; mali non videri, ſed eſſe volunt, ne ſoli ſint mali; mali videri timent, ne parùm ſint mali. Nec eſt apud eos virtutes colere, ſed vitia colorare quodam quaſi virtutum minio; denique ſuperſtitionis impietatem nomine religionis intitulant. In operientium turpitudinis, continentiæ ſe inſignire voto. Porrò turpitudinem in ſolis exiſtimant reputandam uxoribus; cùm vel ſola ſit ea, quæ cum uxore eſt cauſa, quæ turpitudinem excuſat in coitu. Hi ſunt, de quibus Apoſtolus; *in noviſſimis*, inquit, *temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium. Hi nubere prohibent.* In hypocriſi plane hoc, & vulpina doloſitate loquuntur, fingentes ſe amore id dicere caſtitatis, quod magis cauſâ turpitudinis fovendæ, & multiplicandæ adiuvenerunt. Res tamen adeò in aperto eſt, ut mirer, quomodo unquam homini Chriſtiano perſuaderi potuerit. Tolle enim de Eccleſia honorabile connubium, & torum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus; omni denique genere immundorum? Elige ergo utrum libet, aut ſaluari uniuerſa monſtra hæc hominum, aut numerum ſaluandorum ad continentium redigi paucitatem. Quàm paucus in uno, quàm largus in altero? Neutrum horum competit ſalvatori. Quid? coronabitur turpitudo. Nihil minus decet honeſtatis auctorem. Damnabitur univerſitas præter pauculos continentes? Non eſt hoc eſſe ſalvatorē. Rara in terris continentia, neque pro tantillo quæſtu ad terras plenitudo illa ſemetipſam exinanivit. Et quomodo de illa accepimus omnes, ſi ſolis indulſit continentibus participium ſui? Quidam verò diſſentientes ab aliis, inter ſolos virgines matrimonium contrahi poſſe fatentur, & ſecundas nuptias damnant.

Hic Tertuliani error fuit. Hæretici, inquit Tertullianus lib. monog. nuptias auferunt, alii ingerunt. Illi nec ſemel, iſti non ſemel nubunt Quid agis lex creatoris? Non minus te lædunt qui nuptiis abutuntur, quàm qui non utuntur. Verùm nec continentia ejuſmodi laudanda; quia hæretica eſt; neque licentia defendenda; quia impudica eſt. Illa blaſphemat, iſta luxuriat. Iſta deſtruit nuptiarum Deum, iſta confundit. Penes nos, eſt cum licentia, verecunda continentia. Ambæ cum creatore ſunt. continentia legem nuptiarum honorat; licentia temperat; illa non cogitur, iſta regitur. Illa arbitrium habet, hæc modum. Vnum matrimonium novimus, ſicut unum Deum. Hæc Tertullianus hæreticus adverſus ſecundas nuptias ventilat, quæ non ex Chriſtianorum, ſed Gentilium ſchola; Non ex ſpiritu veritatis, ut ſibi falſò adulatur, ſed ex ſpiritu erroris hauſerat: ſed neſcio quid ſe in Evangelio inveniſſe ſuſurrant, addit Bernardus, quod ſuæ ineptiæ fruſtra exiſtimant ſuffragari. Geneſis, *& creavit hominem Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, maſculum, & fœminam creavit illos*; poſtea intulit: ergo *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Hoc, inquiunt, conjunxit Deus quia virgines ambo erant, & jam non licuit ſeparari. Quis tibi dixit propterea à deo conjunctos; quia virgines erant? Nam hoc ſcriptura non loquitur. An non virgines erant, inquiunt? Erant; ſed non eſt id ipſum, copulatos virgines, & copulatos quia virgines. Quamquam neque hoc quidem nominatim dictum invenies; quòd virgines eſſent, quamvis eſſent. Sexuum planè expreſſa diverſitas eſt, non virginitas, cùm dictum eſt; *Maſculum, & fœminam creavit illos*, meritò quidem. Non enim maritalis copula, corporum requirit integritatem, ſed ſexuum aptitudinem. Bene proinde ipſam inſtruens ſpiritus S. ſexum expreſſit, & virginitatem tacuit; nec dedit occaſionem venandi verbum inſidioſis vulpeculis. Quid enim ſi dixiſſet, virgines creavit illos? Num propterea continuò obtinuiſſes ſolos virgines licere conjungi. Et tamen quomodo exultaſſes ex ſola verbi occaſione? Quomodo exſufflaſſes ſecundas, & tertias nuptias? Quomodo inſultaſſes Catholicæ Eccleſiæ ſcorta, lenoneſque, adinvicem tantò libentius conjungenti, quantò proinde eos de turpi ad honeſtum tranſire non dubitat? Fortaſſis & reprehenderes Deum Prophetæ præcipientem, fornicariam ducere. Nunc autem & occaſio deeſt, & libet gratis hæreticum eſſe; nunc autem audi quod ex toto aut confundit, aut corrigit, & hæreſim tuam prorſus conterit. *Mulier, ait Paulus, quanto tempore vir ejus vivit, alligata eſt viro; ſi autem dormierit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri, ut cui vult nubat, tantùm in Domino.* Paulus eſt, qui concedit viduæ, ut cui vult nubat; & tu è contra præcipis, nulla præter virginem nubet; & hoc non niſi virgini; ut non cui vult nubat, vel ipſa. Quid manum Dei abbrevias? Quid largam benedictionem nuptiarum reſtringis? Quid proprium vindicas virgini, quod indultum eſt ſexui? Non concederet hoc Paulus, niſi liceret. Quod licet, & expedit, hæreticus Tertullianus prohibet? Nihil ex hac prohibitione perſuadebit, niſi quòd hæreticus eſt.

Vnum inquit, matrimonium novimus, ſicut unum Deum. Sed perpetam Matrimonii unitatem ad ſolas ptimas nuptias teſttingit, quaſi ſolæ illæ licitæ ſint, illicitæ ſecundæ, & tertiæ. Vnum eſſe debet matrimonium, non ſecundarum nuptiarum excluſione; ſed quòd vir unius debeat eſſe uxotis; uni tantùm, non pluribus ſimul & ſemel conjungi. Hác unitate, Polygamia evertitut, monagamia ſtatuitur; ſecundæ verò nuptiæ non damnantur. Polygamiam damnant Chriſtianæ œconomiæ leges, Monagamiam decernuut; vagos concubitus, promiſcuam libidinem, mulierum communionem prohibent, matrimonium ſanciunt, utpote Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia; quod intra quoſdam gradus conſtringunt, ut nec patri filiæ, nec fratri ſorori commiſceri permittant: adulterium, quod etiam apud Gentiles pœnâ mortis mulctabatur, condemnant: ad mutuam fidem, honeſtatem, pudorem, & continentiam, conjuges hortantur. Viduis denique ad ſecundas nuptias, imò & tertias convolare concedunt, dummodo in Domino nubant.

Quid autem ſit nubere in Domino, hoc ſenſu, & quidem optimo interpretatur Tertullianus lib. 2. ad uxorem, licet alibi Hæreticus; nempe ut Chriſtiana gentili non nubat. Ex hoc enim connubio plurima naſcerentur pericula, & vulnera, non carnis tantùm, verum etiam ipſius ſpiritus moleſtiſſima. Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores, confabulationes malæ, quantò magis convictus & individuus vſus? Quævis mulier fidelis Dominum obſervet, neceſſe eſt. Et quomodo poteſt duobus dominis deſervire, Domino, Marito; adde gentili: gentilem enim obſervando, gentilia exhibebit, formam, extructionem, munditias ſæculares, blanditias turpiores, ipſa etiam matrimonij ſecreta maculoſa; non ut penes ſanctos officia ſexus cum honore ipſius neceſſitatis, tanquam ſub oculis *Dei*, modeſtè & moderatè tranſiguntur. Sed viderit qualiter viro officia pendat. Domino certè non poteſt pro diſciplinâ ſatisfacere, habens in latere, diaboli ſervum, procuratorem Domini ſui ad impedienda Fidelium ſtudia & officia. Vt ſi ſtatio facienda eſt, maritus de die condicat ad balneas; ſi jejunia obſervanda ſunt, maritus eadem die convivium exerceat. quis ſinat conjugem ſuam viſitandorum fratrum gratiâ, vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, à latere ſuo eximi, libenter feret? Et alia hujuſmodi: è contra verò, ſi fidelis vir fœminæ fideli jungatur, Deus, bone! quanta hujus matrimonii fælicitas, quod Eccleſia conciliat, confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, Pater ratò habet. Nam nec in terris filij ſine conſenſu patrum ritè & jure nubent. Quale jugum fidelium unius ſpei, unius voti, unius diſciplinæ, ejuſdem ſervitutis? Ambo fratres, ambo conſervi, nulla ſpiritus carniſve diſcretio. Atquin verè duo in carne una. Vbi verò caro una, unus eſt ſpiritus. Simul orant, ſimul volutantur, & ſimul jejunia tranſigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes. In Eccleſia Dei pariter, in connubio Dei pariter. In anguſtiis, in refrigeriis neuter alterum cælat, neuter alterum vitat; neuter alteri gravis eſt. Liberè æger viſitatur, indigens ſuſtentatur, Eleemoſinæ ſine tormento, ſacrificia ſine ſcrupulo, quotidiana diligentia ſine impedimento. Non furtiva crucis ſignatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; ſonant inter duos pſalmi, & hymni, & mutuò provocant, quis melius deo ſuo canet. Talia Chriſtus videns, & audiens gaudet. His pacem ſuam mittit. Vbi duo, ibi & ipſe; ibi & malus non eſt. Non licet aliter fidelibus nubere, & ſi liceret (ut hodie apud nos in Gallia permittitur) non expediret. Quæ tamen intelligas velim, ubi de novo matrimonium contrahendum eſt. Verba enim Apoſtoli dicentis, *ſi quis frater infidelem habet uxorem, & illa matrimonio conſentit, nec dimittat eam, ſimiliter mulier fidelis, infideli nupta, non dimiſerit eum: ſanctificatur enim infidelis vir à fideli uxore, & infidelis uxor a fideli marito*: Hæc inquam, Apoſtoli verba fideles deſignant, qui in matrimonio gentili inventi à Dei gratia fuerunt. *Si quis* enim, inquit, *fidelis uxorem habet infidelem*; non dicit, uxorem ducit ſed habet; ut oſtendat iam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratiâ Dei converſum perſeverare cum uxore debere. Quod enim Deus conjunxit, homo non ſeparet. Gentilium verò matrimonia, vera ſunt & legitima; quare nullo modo dirimenda.

Et hæ ſunt Chriſtianæ œconomiæ, circa primam conjugii ſocietatem leges, quibus Gentilium, & hæreticorum perverſi mores, & dogmata emendantur; nempe excluſâ penitus mulierum communione, uxorumque multitudine; vetito adulterio, vagoque concubitu, viro fideli licere cum muliere fideli conjungi inito matrimonio, quod revera magnum eſt Eccleſiæ Sacramentum; Nec ſoli virgini, ſed & viduæ, iteratis ſæpius nuptiis; cum modeſtia, pudore, & continentia, quæ ſanctos decet; ita ut uxor viro in omnibus obediat, non ut ſerva, ſed ut libera,

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

DE SECVNDA REI FAMILIARIS Societate, parentum Scilicet & filiorum; eorumque recto regimine.

CAPVT PRIMVM.

Liberorum procreatio nedum rei familiari, ſed & publicæ utiliſſima; imò & abſolute neceſſaria.

TAPIRORVM, qui adjacent Hircanis, mos olim ſuit, ut ſuſceptis liberis, proprias uxores aliis, quætendæ prolis gratiâ commodarent, ſicuti Catonem Portium Hortenſio indigenti, Martiam uxorem eſſe impertitum veteri urbis more, poſt alios cecinit lucanus; quo aperte innuitur quanta ſit hominum propagandæ prolis cupiditas, ut etiam honeſtatis obliviſcerentur, quæ potior eſt matrimonii dignitas. Barbarum hunc morem Chriſtianæ œconomiæ leges penitus abrogaruot: & quidem juſtiſſimè, nec non ad totius Reipublicæ utilitatem accommodatiſſime. Quia, ut ſupra oſtenſum eſt, nihil humani generis propagationi, liberorumque procreationi, ex qua Reipublicæ bonum pendet, adeò adverſatur, quàm uxorum communio. Siquidem, ut dicunt medici, ex frequenti hominum conſuetudine, vagoque & illicito concubitu, conceptio impeditur: & ſi quando naſcaotur ex illis liberi, exiſtimandum eſt de tali meretricum commixtione degeneres populos, & ignobiles, fureoteſque libidine ſore procreandos, in Reipublicæ damnum, & infamiam potius quàm in ejus honorem, & utilitatem. Sanctiſſima ergo eſt conjugii inſtitutio, nec noo Reipublicæ utiliſſima, quæ ad hoc tùm jure naturali, tum divino inita eſt, ut ex unius viri, uniuſque fœminæ boneſta copula, liberi ſuſcipiantur; qui nedum parentibus, ſed Reipublicæ etiam naſci dicuntur; nempe quòd ex illis conſletur, & quotidie deficiens populus reficiatur, & quodammodo remaneat immortalis. Vnde Reipublicæ olim moderatores, de civium propagatione ſummopere ſtudioſi, cœlibes pœnis mulctabant, eos verò qui uxores ducereot, prœmiis afficiebant. Lycurgus cœlibes à ſpectaculis pellebar, & quamvis ſenibus, honorem haberi noluit. cenſoriâ quoque notâ apud Romanos, qui matrimonium non contraberent, adigebantur. Immunitates verò variaque privilegia plures liberos ſuſcipientibus fuere conceſſa. Rex Perſarum munera ei mittebat ſingulis annis qui plures ſuſtuliſſet liberos. Steriles verò infœcundi & ad filiorum procreationem inepti, oedum apud Gentiles, ſed & Hebræos contemptui habebantur. Nec mirum; cùm & ipſe Deus, de virtute prolifica ſummopere glorietur. Ego, inquit, qui alios parere facio, ſterilis ero? Prima & univerſaliſſima totius naturæ propenſio ad hoc tendit, ut individuorum generatione rerum ſpecies cooſerventur; tuncque animal perfectum exiſtimatur, cùm poteſt generare ſibi ſimile.

Quæ ergo pietas major, ait Ariſtoteles, aut quod debeat ſtudium eſſe ulli acrius, quàm ex optima, laudatiſſimaque conjuge, totius vitæ ſociâ, liberos ſuſcipere, qui quaſi quoddam ſint ſenectutis pabulum, pareotumque amborum præſidium, atque tutela? Vinculum adhuc ipſorum eſſe filii videntur, quod citiùs, qui liberis carent, diſſolvere conſueverunt: quippe cùm filiis commune bonum ambobus ſit: quod autem commuoe eſt, couoectit.

Verùm quia non ſufficit prolem Reipublicæ multiplicem procurare, niſi quoque ea talis ſit, quæ uſui, & utilitati ſit; proinde additæ ſunt leges de recto liberorum regimine, eorumque educatiooe.

CAPVT II.

De poteſtate patris in filios; juxta Chriſtianæ œconomiæ leges.

MAgna procul dubio patris in filios poteſtas; ipſi propemodum Regum in ſubditos auctoritati adæquanda, nec mirum: cùm ex meote Philoſophi, patris erga filios ſocietas figuram regni habeat: quippe quòd patri cura filiorum ſit. Vnde etiam Homerus Iovem patrem appellat, eo quòd regnum, pateroum quoddam imperium eſſe debeat.

Hinc reges, patriæ, populorumque patres appellantur, civili enim, oon tyrannico, ſive deſpotico & ſervili imperio filii à parentibus debent gubernari. Tyrannicum imperium, ut præclare advertit Philoſophus, heri eſt erga ſervos: io eo enim id quod hero utile eſt, agitur. Quare iniquiſſima, & quodammodo Tyrannica fuit Perſarum Dominatio, apud quos pareotes propriis filiis, ut ſervis utebantur. Ao verò penes patrem jus ſit vitæ & necis in filios, dubitari poteſt; quia ut ex mente Ariſtotelis ſupra oſteoſum eſt, æqualis eſt parentum io filios, ac Regis in ſubditos, & Reipublicæ in cives poteſtas; nec diſpar regiminis forma. At Reges jus vitæ & necis habent in populos ſibi ſubditos, ut infra demouſtrabitur: Nec ſine cauſa gladium portant, ut pote Dei miniſtri; ideoque ſummopere timendi. Poterunt ergo parentes proprios filios pœnâ mortis mulctare; quod & apud Romanos in uſu fuit. Filios enim ſuos Tyrannidi faventes, comprehenſos, ipſemet Iunius Brutus pro tribunali ſedens interrogavit,

dicens; quid vos ad etiînina hæc? ubi ter interrogatis, nihilque reſpoodentibus, tum ad lictores converſo vultu, jam reliquæ, inquit, veſtræ partes ſunt. Eorum deinde ſupplicia fixis oculis eſt intuitus. Vbi Valerius maximus; exuit patrem, inquit, ut conſulem ageret; orbuſque vivete, quàm publicæ vindictæ deeſſe maluit. Sed fotte quis dicet junium Brutum, uoo patris tunc, ſed conſulis, & judicis perſonam ſuſtinuiſſe. Verùm A. Fulvius filium, in Catilinæ caſtra properantem, ex itinere retractum occidit dicens: Ego te non Catilinæ adverſus patriam, ſed patriæ adverſus Catilinam genui.

De Damatria Lacœna teſert Plutarchus, quòd cúm accepiſſet filium ita ſe gerere in bello, ut tali matre videretur indignus, domum redeuntem propriâ manu obtruncavit; maluitque filium habere morruum, quàm bello inutilem. Verùm hæc propiùs ad barbaricam accedunt immanitatem, quàm ad veram juſtitiam. Apud Celtas olim, Gallos, & Hiſpanos ſummum fuit penes patrem in filios jus vitæ & necis, quod Conſtantini magni tempore parentibus, juſtiſſimis de cauſis ereptum, ad Iudices, & Reipublieæ præſides fuit tranſlatum. Nefas Chriſtianæ Reipublieæ Imperatori viſum fuit, patrem filio necem inſerre, qui filio vitam dedit. Non eſt unum imperandi genus, ait Seneca lib. 1. de clement c. 16. Imperat Princeps civibus ſuis; pater liberis; præceptor diſcentibus, Tribunus militibus. Nonne peſſimus pater videbitur, qui aſſiduis plagis liberos, etiam ex leviſſimis cauſis compeſceret? Quid, ſi illos interficit? Poteſt tamen imò & debet piiſſimus pater in filios delinquentes animaduertere, adhibitâ etiam ſeverâ caſtigatione. Eàque ratione Romani apud Dionyſium Halicar. Poteſtarem vitæ & necis parentibus in liberos dederunt; non ut eà abuterentur, ſed ut metu filii, auctoritatem patris revererentur, parentum juſſa exequerentur. Poterant olim parentes filios Diis devovere, teſte Alexandro ab Alex. Nec ab hoc penitus abhorruit Iudæorum lex, apud quos parentibus fuit conceſſum, filiis paternam benedictionem, vel impartiri, vel denegare, ut S. Patriarcharum exemplis innoteſcit. Qui verò à parentibus benedicebantur, fœliciſſimam vitam agebant; qui maledicebantur, infœliciſſimam, Phrygibus familiare fuit proprios vendere filios, victus, neceſſitatiſque cauſâ, quibus ut ſervis utebantur.

Supereſt, ut pauca de alio paternæ poteſtatis in filios jure ſubiiciamus, nempe abdicationis, cujus triplex genus apud Gentiles fuit. Prima, quæ fiebat à Græcis, graviſſima, protſuſque inhumana, ex qua negabatur filius eſſe filius, & pater eſſe pater. Violenta nimis hæc abdicatio, & ipſi naturæ adverſa eùm jus agnationis, & ſanguinis, nullo jure civili tolli poſſit; imò & Romani aliquando potius maluerunt vitæ neciſque poteſtatem in filios permittere, quàm illam abdicationem, in cujus locum, exhæredationem ſubrogaverunt Acerbiſſima etiam præter modum viſa eſt abdicatio, per quam abdicatus, exutus veſtibus, ſeu ſpoliatus, dimittebatur, ut nullus eum recipere auderet, niſi læſæ Reipublicæ reus dici vellet; quamvis pater eum poſſet ſibi reconciliare. Sed crudelior viſa eſt abdicatio, ſeu expoſitio infantium. Siquidem non erat abdicatio filiorum permiſſa, etiam inter Græcos, præterquam in cauſis, quibus æſtimabatur filius præter modum patrem offendiſſe; ut ſi filius noctu foris cubuiſſet, ſi comeſſaretur, ſi libidini incumberet, ſi paternæ voluntati repugnaſſet, vel ob aliam ingratitudinis cauſam: quemadmodum nec licet exhæredare filios niſi ob juſtas cauſas, in jure ad id expreſſas. At dum infantes exponuntur, pro derelictis à parentibus habentur: quæ ſumma illorum eſt crudelitas erga eos, quos Deus illis curandos conceſſit, qui nullum adhuc ingratitudinis ſpecimen edere poſſunt, ex quo mereantur ita à parentibus deſeri. Vnde Valentiniani hujuſmodi reſcriptum habetur; unuſquiſque ſobolem ſuam nutriat; quòd ſi exponendam eam putaverit, animadverſioni, quæ conſtituta eſt, ſubjacebit. Thebanorum etiam lex ſanctiſſima olim erat poſita, ne civi Thebano liceret infantem exponere, neque in ſolitudinem abiicere, ſub capitis ſupplicio. Verùm ſi in extrema mendicitate eſſet conſtitutus pater, cogebatur ſtatim ipſum infantem ad magiſtratum cum ipſis faſciis adferre: apud Chriſtianos verò in pauperum domo alendi reponuntur. Qui verò filios audent exponere cæſareo, & pontificio jure, parricidæ dicuntur, & ut tales puniendi; infans verò, hoc ipſo à patria liberatur poteſtate. Obiiciet quis legem Romuli, quâ ſanxit maſculinam tantummodo prolem, & ex filiabus primogenitam, conſervandas, reliquam verò prolem exponi permiſit; maximè ſi quid mutilum, aut monſtroſum natum eſſet. Verùm Romulus & reliqui, qui tales expoſitiones permiſerunt, plus rationem habuere corporum ad arma idoneorum, quàm animarum, adhuc rudes, Deiq; veri mandata ignorantes, quorum uno ſcriptum eſt, *non occides.* Quare ſummoperè laudatus fuit Ceſetius, Eques Romanus, qui cùm à Cæſare filium abdicare juberet; citiùs, inquit, tu mihi filios meos eripies, quàm ego ex his unum domo expellam mea.

Caveant ergo Patres maximè Chriſtiani, filios leviſſimis de cauſis, vel abdicare, vel exhæredare; & quod crudeliſſimum eſt, exponere, vel interficere. Paterna enim poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere, ut reſpondit Iuriſconſ. Marcianus; ſed & Imperatores, Valentinianus, Valens & Gratianus, attentaſſe necare Infantem, crimen exiſtimarunt capitale: Si quis, inquiunt, necandi Infantis piaculum aggreſſus ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum. Omitto graviſſimas pœnas, impoſitas Parricidijs, & his qui liberos occiderunt, veluti in monſtra, quia nec belluæ ferociores partus ſuos lacerant aut exponunt; quæ de filiis etiam adoptivis intelligenda ſunt.

CAPVT III.

Paternæ pietatis in filios officia; Parentes filios in Chriſto diligant primum paternæ pietatis munus.

INterrogatus Anacharſis, quà de cauſa operam non daret proli, reſpondit; quia nimis amaturus eſſem liberos. Vnde cùm Socrates ab Alcibiade eum Lamprocio filiolo ludens deprehenſus, & vehementer deriſus fuiſſet; non eſt inquit, ut me parentem cum filio ludentem videas, qui ignoras parentum in filios affectum. Tacebis itaque, donec & ipſe liberos genueris, ſimilia tentaturus, & fortaſſe magis puerilia.

Charitas, & Chryſologus ſerm. 54. dolum non habet, fraudem pietas, & affectio non recipit falſitatem. Si pater eſt, non poteſt, non amare.

Ideoque

Ideoque te Deus patrem fecit; ideo à te voluit hominem procreari, qui utique quòd de terra fecerat, poterat feciſſe quamplurimos: ſed egit, ut generando ſcires, quanta eſſet generantis affectio, & in te amorem tui tantùm probares auctoris; quantum ipſe auctor pignoris, tuo pignori conaris impendere. Certe non ſolùm in te, quid eſſet generantia affectio, ſentire te Deus voluit, ſed & in feris, & in pecudibus, & avibus, hoc Deus voluit te videre; quæ cùm de terra produxerit ſolâ iuſſione; poſtea laborem ſentire compulit generandi; mutare patrias; loca cubilibus aſtu conquirere; fœtus locorum difficultatibus communire; gemitibus edere; maximis laboribus enutrire, ac ſe morti, ſi natos ſuos capi viderint, non negare. Vnde ſi non hominis; vel ferarum comparatione, pecudum ſimilitudine, exemplis avium diſce, quanta ſit in paterna charitate ſinceritas. In Chriſto verò parentes filios ſuos diligant, ita ut ex inordinato eorum amore, nihil contra Chriſtianæ Diſciplinæ leges agant.

CAPVT IV.

Parentes, quam filiis, vitam generando dedere, tueri, & conſervare tenentur.

Secundum paterna pietatis munus.

PRoducit fœtus ſuos natura, non abiciit, ait Seneca epiſt. 12. multo adhuc minus extingnit. Quid enim atrocius, quàm huic necem inferre, cui vitam dederis. Parentes nedum filiorum generationi, ſed etiam conſervationi, & defenſioni vitæ illorum natura præfecit, quod & in ferocioribus belluis videre eſt, quæ adeo pro ſalute catulorum ſollicitæ ſunt ut pro tuenda illorum vita, morti ſe obiiciant. Quàm ergo à paterna pietate alienum, liberis vitam cripere, pro quorum ſalute propria vita exponenda eſt. Hanc tamen Chriſtianis Ethnici falsò immanitatem improperabant.

Dicimur, inquit, Tertullianus in Apolog. ſceleratiſſimi de Sacramento infanticidii. Dicimur tamen ſemper; nec vos, quòd tandiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut ervite, ſi creditis; aut nolite credere, qui non eruiſtis. Quis unquam taliter vagienti infanti ſupervenit? Quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum, & ſyrenarum ora judici reſeravit? Vnde hoc ergo noſtis? ea ſama publica. Fama malum, quo non aliud velocius ullum. Fama, ut plurimùm, mendax; quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, ſine mendacii vitio eſt, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Meritò igitur fama tandiu conſcia ſola eſt ſcelerum Chriſtianorum. Hanc judicem adverſus nos profertis, quæ quod aliquando jactavit, uſque adhuc probare non valuit: ſed adverſus eos, qui talia credenda eſſe præſumunt, ipſius naturæ fidem appello. Qui iſta credis de homine, potes ne facere? tu homo es & ipſe, quòd Chriſtianus. Tu ne infanticida; tunè tuorum liberorum Carnifex & Vorator? Qui non potes hæc facere, non debes credere? Homo eſt enim & Chriſtianus, quod & tu. Sed & infantes penes Affricam legimus à parentibus Saturno immolatos. forte quia nec propriis filiis Saturnus pepercit: ideoque ipſi parentes filios offerebant, & liberos exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lachrimantes immolarentur; & tamen multùm homicidio particidium differt. Nobis verò Chriſtianis, homicidio ſemper interdicto, etiam conceptum in utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci. Nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentium diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus: etiam fructus omnis jam in ſemine eſt.

Hæc Tertullianus adverſus fœminas, quæ proprios fœtus in utero ſuo enecant. Abſit ergo à Chriſtianis inhumanitas quæ nec in ferocioribus belluis invenitur. Si pater filium occidiſſet apud ægiptos lege cautum erat, ut continuo triduo circa defunctum corpus genitor aſſiduus filii ſpectator eſſet; nullâ juſtiore pœnâ, quàm facinoris conſcientia ipſum puniri arbitrati. Feræ proprios fœtus non abjiciunt, ſed fovent, nutriunt, ac ſe morti, ſi natos ſuos capi viderint, non negant; ut pelicani exemplo comprobatur, qui proprio cruore pullos ſuos alit, & feræ, quæ in India occidua naſcitur, quæ intra veſicam, ventri ad extra adjacenti catulos incluſos ſecum defert.

Diſce homo, vel ferarum, aviumque exemplis tuos amare liberos. Quæ enim, & ſi immanis bellua proprios unquàm fœtus dilaniavit, vel abjecit? *Sed & Lamiæ nudaverunt mammam* ait Dominus Hieremiæ Trenorum 4. *& lactaverunt catulos ſuos; filia verò populi mei crudelis, quaſi ſtruthio.*

Sola enim inter volucres ſtruthio, ubi ova pepetit, abiicit, ſoliſque radiis fovenda ſæpiuſque prætereuntium in via pedibus conculcanda derelinquit. Struthione verò, crudelior Chriſtiana fœmina, conceptum in utero fœtum ſæpe hauſto medicamento diſſolvit; filium prohibet naſci; propriâque manu nato vitam eripit, O naturæ monſtrum! & hoc Chriſtianæ matris facinus! naturæ inviſum, & apud Ethnicos inauditum. Quanta enim in educandis filiis, Gentilium cura, quantâ in fovendis & conſervandis ſollicitudo? Cùm enim editus infans primam lucem hauſiſſet, Romanis erat in uſu, ut ab obſtetrice exceptus, humi ſterneretur, quaſi divinatione futuri exitus inde auſpicati, lectoque *Pilumno*, vel *Picumino* in ædibus parato, ita augurabantur ut iis præſidibus Diis vitalis foret; neve Sylvanus in domum irrepere valeret (quem vexare pueros opinio erat) ad fores ædium tres viros, qui pervigiles domum circuirent, advocabant; quorum primus limen ſecuri, alter pilo feriebat; tertius verò ſcopis everrebat. Deinde cum potu & cibo eum initiantes, *eduſia* & *potina* ſacra faciebant, poſtea Adoleſcentæ Maiæ: quæ *Fatua* dicta eſt, à fando, ac *ſcatano*, & *fabulino* immolabant. Fuitque etiam receptus mos, ut in teſtudineis alueis, calidâ pueros abluerent; mox oleo & butyro perungerent. Spartani quoque mero abluebant, quòd vino admoto reſolvi ægritudines putarent. Nonnulli ſale, & aquâ. Galli prægelido amne, ut à teneris, calores, & frigora pati ediſcerent. Fertur Cato cenſorius tam accuratè procurandis liberis ſtuduiſſe, ut niſi ſe ſpectante, nunquam infantem ablui, aut velamentis obvolui ſinerit; neve pueri recens editi è cunis forte deciderent, & terrâ corpuſcula affligarentur, calcitras juxta cunas undique ſternerent, ut inde excepti innoxii fierent, Quot denique numina à Gentilibus inventa, quot adorata, ut pueris recens editis opitularentur? Apud Romanos quæ uterum ferebant, antequam partum ederent, *Poſtuerta*, & *Proſa*, quibus duæ aræ dicatæ erant, ne partus perverſi fierent, neve fœtus præpoſterè exiret, immolabant, *Egeriaque Nymphæ*, & *fluonia*, *Iunoni*, *Lucina*, *Cunina Potina*, *Maja*, *Fatua*, *Eduſa*; *Item Pilumno*, *Stabilino*,

Statano, Fabulino. Ex quibus tum Auguſtini, de ciuitate Dei, tum Alexandri ab Alex, & Tertulliani verbis apertè conſtat, ad hoc inprimis patentes eniti debete,ut editorum à ſe in lucem liberorum vitam ab omni mortis periculo, tueantur. Quare damnanda prorſus Cathæorum, & Brachmanotum conſuetudo, qui filios aliquo corporis vitio laborautes, vel in conſpectu hominum occidebant, vel in ſylvas exponebant.Nec approbanda lex illa Ariſtotelis, quâ nihil orbatum naturâ decetnitur educandum, & ne filiorum numerus ſupra modum excreſcat, præpediendam eſſe conceptionem.

CAPVT V.

Parentes filios alant. Tertium paterna pietatis munus.

PRæcipua paternæ pietatis cura, huic debet incumbere, ut filii propriis, congtuiſque,juxta varios ætatis gradus, cibis alantur, Educatio enim liberorum eſt naturalis;cujus & feræ ſollicitudiuem habent,& ideo crudeles meritò habiti, qui abjiciunt ita partus, ut eis alimenta denegent: cùm uon minus neeare videantut prolem, qui alere nolunt; quàm qui pattum ſuffocant; maxime, quando adhuc teneri, & recenter nati ſunt infantes; qui ſeipſos nutrire non poſſunt. Animantium enim alia, ut refert Ariſtoteles, lib. ptoblem. ubi primum in lucem edita ſunt, nutriri pet ſe ipſa poſſunt, alia nequeunt. Ex his homo, omnium licet præſtantiſſimus, & ad imperium natus, hujuſmodi adeò infirmitati obnoxius eſt, ut toto ferè infantiæ ſpatio, ab alio egeat nutriri; cui ſi mater alimentum deneget, vitam eripit: & in hoc caſu veriſſimum eſt; quod dixit Ambroſius; *ſi non paviſti, occidiſti.* Quare inter perſonas, quas utiles, & neceſſarias rei domeſticæ nedum,ſed & publicæ ducimus, ſunt nutrices; quatum cum lacte, pueti, puellæque ſugunt & naturam, & mores earum, & couſuetudine aſſiduâ diſcunt cum verbis, etiam virtutes,aut vitia, aut ſaltem ad illa propenſiones. Nec minus ad fiugendas animi, atque corporis ſimilitudines valet lactis ingenium, & proprietas, quàm ipſa natura. Remum, & Romulum latrociniis addictos aliqui putant,quòd expoſiti, lacte lupæ fuerint nutriti; & Hagis Rex Curetum à cerva enutritus, eximiâ præditus fuit velocitate,ut cervos in currendo adæquaret. Sieut ergo ſæpe videas atborem lætam in locum alium tranſlatam, ex extorris terræ ſucco deperire; ſic & nati infantis animus, & corpus, quamvis bene ingenitis primordiis inochatum, inſitivo, degeneri que lactis alieni alimento corrumpitur; præſertim eum adhibetur nutrix,ſerva, impudica, temulenta, barbara; aut ejuſmodi malis moribus prædita. Quare fœliciorem eſſe nutritionem infantis ex lacte, & conſuetudine propriæ matris,quàm alterius mulieris, fusè demonſtrat Gellius, & Alexander ab Alexandro. Vnde Romani olim infantem apud comptas nutrices educari, & alieno lacte nutriri vetabant; cùm ingenuitas à matre ſola, non à patre proficiſcatur; aut ſi permiſiſſent; magnâ curâ optimæ conſtitutionis, beneque morigeratas nutrices admovebant; quia propter lactis, & educationis vitia ſæpe infantes degeneraſſe compertum eſt. Quod æquè Germanis eſt habitum nefas, apud quos mater filium ſuo lacte alit, nec nutrici educandum delegare licet.

CAPVT VI.

Recta filiorum, educatio quantum ad corpus, quartum paternæ pietatis munus.

Vbi & alii errores antiquæ Gentilium œconomiæ declarantur, & impugnantur.

MEgarenſium inertiam Diogenes olim acerrime arguebat, pecora ſollicitè curantium,iuventutem minime; dicebatque ſe Megarenſis alicujus arietem eſſe malle, quàm filium: Profectò non ſufficit, prolem Reipublicæ multiplicem procurare, eamque,congruis cibis alere, niſi quoque & ea talis ſit, quæ uſui, & utilitati ſit,atque honeſta, & non damnoſa: proinde præcipua patris familias cura filiorum aducationi debet incumbete; & quidem primò quantum ad corpus.

Fateor nos gerere corporis noſtri tutelam, ait Seneca, epiſt 15. nec indulgendum illi, ſed ſerviendum nego. Multis ſerviet, qui corpori ſervit; qui pro illo timet; qui ad illud omnia refert. Honeſtum ei vile eſt, cui corpus ſuum nimis charum eſt. Illius nimius amor nos timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, & contumeliis objicit.Agatur ejus deligentiſſima cura; ita tamen, ut cùm exigit ratio, cùm dignitas; cùm fides, mittendum in iguem ſit. Sic uos gerere debemus, ut non tanquam propter corpus vivere debeamus; ſed tanquàm non poſſimus ſine corpore vivere. Corpori tantùm indulgeamus, quantùm bonæ valetudini ſatis eſt. Parens ergo magnificus, filiorum corpora durius educat; in deliciis non habet; experitur, indurat; ſibi,totiuſqae Reipublicæ bono illa præparat; quod Gentiles minime latuit.

Spartaoi enim, infantes primùm editos, ut labore firmarentur, rigidiſſimâ aquâ fovere, nudoſque in patientia laboris enutrire, nihilque ſomni cauſâ ſternere ſolebant.

Confert enim ait Ariſtoteles, politic. ſtatim à pueritia eos frigori aſſueſcere; quod ad ſanitatem, & ad res bellicas utiliſſimum eſt.Qua propter apud Barbaros conſuetudo eſt, vel gelido amne natos immergere, vel paruâ veſte amicire, ut faciunt Galli. Ad cuncta enim, ad quæ poſſibile eſt, ſtatim ab initio melius eſt aſſueſcere: eſt autem apta puerorum natura ob eorum calorem, ad frigus exerceri. Et hæc circa primam ætatem diligentia eſt adhibenda. Ne verò membra ob teneritudinem diſtorta fiant, utuntur adhuc gentes aliquæ organis quibuſdam, & machinis,quæ corpus à talibus illæſum conſervant. Sequenti verò ætate uſque ad annos quinque; quia nondum ad diſciplinam aliquam ſunt admovendi, neque labores perferre cogendi, ne creſcere impediantur, motus ſolummodo quoſdam ſuſcipere debent, quò pigritiam corporis evitent: qui motus præparandi ſunt illis, & per alios actus, & per ludum. Ludi verò neque illiberales, neque laborioſi eſſe debent, ut ſint imitationes eorum, quæ poſtea seriò erunt facienda. Lucani liberos à prima infantia ſine veſte, aut miniſterio ſervili, in duritie & parſimonia educabant in ſyluis, quibus præda venatica erat cibus, potus verò ſontium liquor. Athiopes editos infantes in fronte inurunt, & Stygmate notant, quo

capitis, & oculorum humor eaſiccetur. Hiberni pueros ita educant, ut inter arma, cædeſque verſentur aſſiduè; matreſque naturâ immites, ingenio barbaro, primos cibos infanti gladio admovere ſolebant. Tenet fama apud Baleares matres infantes pueros ab ipſis vitæ incunabilis, his diſciplinis aſſuefacere, ut niſi oblatum cibum baculo, aut fundâ petierint prius, cibo veſci prohibeantur. Ægiptii verò filiios his diſciplinis eaercebant, ut niſi centum Octoginta ſtadia prius confecerint curſu, veſci cibo, nullomodo ſinerent: qnos à pueritia, & primis annis, nudis pedibus ingredi jubebant, ne delicatior cultus corpora emolliret, eneruaretque. Perſæ editum infantem ante ſeptennium in conſpectu parentum non adducebant: Hedui verò, & Germani niſi poſt pubertatem filios à parentibus conſpici non ſinebant.

In his, nihil quod rectæ Oeconomiæ rationi adverſetur, invenio, Alia verò quæ refert Alexander ab Alexandro, iniquiſſima prorſus cenſeo.

Et quidem primò, quod apud Spartanos Lycurgi lege ſancitum erat, infantem poſt menſes duos à die natali, in medium producendum, ut cujus indolis & formæ futurus eſſet, decerneretur, & ex facie corporiſque ſpecie, & ſi pace, vel bello bonus, & an vita, vel morte dignus indicaretur: & ſi cujus indolis probaretur, bonis ille formabatur doctrinis: qui verò minus, morte afficeretur. Item quod ſpecioſus puer, & forma liberali publicè educaretur: maneus vero, & deformis in loca vaſta, & prærupta exponeretur, vel in ultimas terrarum oras ablegaretur. Item quod legibus Romuli à primo ortu urbis conſtitutum ferunt, ut ſi mancum quid, aut monſtroſum naſceretur, ſtatim à partu in flumen, aut mare, proiiceretur. Præterea, quod de Athiopibus fertur, editos pueros apud ipſos, avibus imponi, eoſque cujus ſperi futuri ſint, periculo internoſcerent Nam ſi volantes intrepidi manent,, veluti generoſos; & ſe dignos magnâ educant curâ, ſi verò conſternantur animo tanquam degeneres in loca deſerta abjiciunt: & exponunt. Quod & de Phyllis quoque proditum eſt, qui partus objiciendo ſerpentibus, ſi illæſi manerent, an ſuæ originis eſſent, hujuſmodi eaperimento probabant.

Hæc rectæ puerorum educationi penitus adverſantur: quæ illorum ſaluti, non damno debet incumbere, Nec minus illa contraria Indorum iniquiſſima conſuetudo, apud quos, parentes propriis filiis, ut ſervis utebantur; ut eam ſortem experti, quantum poſtea decus libertatis foret, agnoſcerent: ſicut; & Phrygum: qui filios, nedum ſervilem in modum educabant, ſed & aliis vendebant. Sanctior apud Chriſtianos educandæ prolis diſciplina ab his omnibus abhorret. Apud nos enim pasentes filiis, non ut ſervis, ſed ut liberis imperant quos etſi mancos, claudos, cæcos nutriunt, & ad hæréditatem paternam admittunt, optimis diſciplinis inſtruunt. Et ab his Perſarum non abhorruit œconomia, qui liberos tam ſanctis motibus imbuebant, ut illorum diſciplinæ nihil addi poſſe videretur. Siquidem per omnes ætatis gradus hæc illis rudimenta fuere, juſticiam colere, æquum ab iniquo dignoſcere; tum iaculari, tum equitare, arcu, & curſu contendere, natare, & præcipue vera loqui. Cibus verò tam frugalis, & modeſtus, & adverſus famem & ſitim tantummodo paratus ut juventus nauſturcio, pane, aqua, & ſale, velut exquiſitis valde obſoniis veſceretur.

CAPVT VII.

De recta filiorum institutione quoad animi mores quantum munus.

QVæ patri familias pietas major eſſe poſſit, aut quod illi acrius ſtudium eſſe debeat, quàm in recta liberorum inſtitutione, quâ ſublatâ, pereat Reſpublica, neceſſe eſt? Agricola omnibus modis operam dat, ut teneriores plantæ, & arbuſta, diligenti culturâ fœliciter adoleſcant: quod ut facilius conſequantur, ſtatis temporibus ea irrigat, frondiumque luxuriantium comam amputat. Eſt homo planta inverſa, habens ſurſum radices; in cœlum extollens caput, ut è cœlo, tanquam è proprio ſolo, corpori, & animæ neceſſaria hauriat: proinde ubi pueri ſanctioris diſciplinæ capaces evadunt, diligenter à parentibus in omni virtutum genere ſunt inſtituendi. Et ut prægnantibus, & parturientibus mulieribus prudentes adhibentur obſtetrices, quæ eis auxilio eſſe poſſint, facilemque partui exitum afferre; ſic animis juvenum prægnantibus & quibuſdam naturalibus propenſionibus in partum properantibus, adhiberi debent providi ingenii ductores, qui partus excipiant, & forment. Siquidem, ut ait Plato in convivio, omnium prægnâs gravidumque eſt hominum corpus, prægnans & anima; & cum ad certam ætatem pervenerimus, parere noſtra natura cupit. Et Philo; omnis hominis ab ipſa nativitate anima eſt gravida: quippe quæ bonum, & malum ex utriuſque imaginatione concepit. Præterea omnis ætas prona eſt ad malum ab adoleſcentia; idemque in pueris, ut lepidê olim docuit Socrates, quod in equis ſæpiſſime contingit, qui ſi ſtatim à primis annis recte inſtituantur, egregii, & ad omnem uſum accomodi evadunt; ſin minus, efferati, intractabiles, & ad nihil utiles: ſic fœliciſſima quæque & optimæ indolis ingenia, niſi optimis diſciplinis inſtituantur, corrumpuntur, & ex equis in aſinos commutantur.

Lycurgus apud Plutarchum, cum Lacædemonios ad temperatiorem vivendi rationem traducere vellet, duos educavit catulos, eodem patre eádemque matre progenitos: quorum alterum paſſus eſt domi lautioribus veſci cibis: alterum eductum venatibus exercuit. Deinde cùm ambos produxiſſet in forum, poſuit illic ſpinas ſimul & eſcas aliquas delicatiores: mox emiſit leporem, cùmque uterque raperetur ad aſſueta, alter ad eſcas, alter ad leporem cucurrit.

Quo facto, an non videtis, inquit, Lacædemonii, quantum pueros interſit ab ineunte ætate bonis inſtitui diſciplinis. Res quidem efficax eſt natura, ſed potentior eſt inſtitutio, quæ malam naturam corrigit, & vertit in bonam. Quales naſcantur liberi, nulli parentum in manu eſt; at ut rectâ inſtitutione evadant boni, illorum eſt poteſtatis.

Puerorum anima, veluti quædam eſt tabula raſa in qua quod volueris, ab initio facile eſt ſculpere, vel pingere: at ubi primos colores, ſive characteres exceperit, via illos eraſeris, juxta illud: quo fuerit imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diu, longeque majus beneficium eſſe bonam vitam, quàm vitam: cùm ergo parentum munus ſit, quod vivimus: ſuperſt, ut hoc illis etiam debeamus, quòd bene vivamus. Primum nobis confert generatio, ſecundum educatio. Neceſſaria ergo eſt, nedum rei familiaris, ſed & publicæ bono, recta pueroꝝ

rum, vel ad animi, vel ad corporis, vel ad fortunæ bona refertur. Supra de rectâ corporum educatione egimus; infra de hiis, quæ ad fortunæ bona ſpectant, diſſeremus; Nunc de Cultura animi, morumque Inſtitutione, à Nobis agendum.

CAPVT VIII.

Liberi à parentibus, diſciplinis liberalibus imbuendi.

QVOD igitur à Patre-Familiàs, imo & à Reipublicæ Moderatore maximè intendeudum ſit circa diſciplinam Iuventutis, nemo utique dubitabit, ait Ariſtoteles 1. Politic Nam ſi quidem neglectum, maximum affert, tum Reipublicæ, tum Reifamiliari detrimentum. Quare Plato parentes in primis ad rectè educandos filios adhortatur, ſciens, non poſſe genus humanum abſque optimis Gubernatoribus, vel boneſtè vivere, vel fœliciter gubernari. Propterea, nunquam fore bonos in Republicâ Principes, niſi à tenera ætate diligenter fuerint exculti. Vnde ſummopere in hoc laudati ſunt Ademonii, quòd plurimam circa puerorum Educationem, diligentiam facerent, & quidem publicè. Quænam vero iſta ſit diſciplina, & quomodo tradenda, latère non debet.

Primò, ergo indaganda eſt cujuſlibet Pueri indoles, oe quid diſcat, ut dicitur invitâ Minervâ, juxta Horatium.

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus & annis

Secuodò, in his exercendi ſunt, quæ utilia ſunt ad vitam, vel ad ea quæ ad virtutem tenduot, non in vilibus, quæ corpus, aut animum, aut mentem liberi hominis ad uſum, & opera virtutis inutilem reddunt: qualia ſunt cuncta mercenaria exercicia, ſive artes illiberales, quas ſordidas vocamus; quia mentem occupatam, vilemque reddunt. Sunt etiam quædam ex liberalibus ſcientiis, quas uſque ad aliquid diſcere honeſtum ſit, penitùs verò ſolis illis tradere, & ad extremum uſque proſequi velle, noxium illis eſſet.

Sunt autem ferè quatuor artes, quas diſcere juvenes conſueverunt, litteras, gymnaſticam, Muſicam; adduot verò quartam, figurandi, & pingendi peritiam. Litteras eos diſcere convenit; quia utiles ſunt ad vitam; cujuſcumque ea futura ſit profeſſionis. Scripta enim nos de omni re inſtruere, & erudire hominem poſſunt. Quare prima inſtitutionis cura, huic debet incumbere, ut juvenes ſcribendi; & legendi methodum ediſcant Gymnaſtica ad corporis magis, quam animi ſalutem, & robur pertioet; quæ ſi nimiùm exerceatur, Athletis melius conveuit, quàm ingenuis, & liberis. De Muſica verò ambigitur; nam oune quidem plurimi voluptatis gratià illam addiſcunt; veteres autem inter diſciplinas eam collocaverunt ex eo quòd natura quærit non ſolum in negotio rectè, verum etiam in otio laudabiliter poſſe verſari. Cato Cenſorius ſimpliciter cantare, non ſervile duxit opus. Philippi verò verbum fertur in Alexandrum, debere ipſum pudere, quòd tam pulchrè cancret. Non enim Iupiter caniat, aut cytharam pulſat ſecundum Poëtas imo illos quit alia faciunt, ait Ariſtoteles, appellamus viles. Hometus tamen cantum, & ſaltationem, inter liberalia ponit. Cretenſes verò pueri deorum hymnos modulatis vocibus decantabant.

Picturam quamvis artem liberalem, aliqui non valde neceſſariam dixerunt. Et bæc ſunt Ariſtotelis de puerorum inſtitutione præcepta, quæ rectæ Oconomiæ legibus non obſtrepunt; ſicut nec Cretenſium, apud quos pueri natare propter navalia bella diſcebant; & Athenienſium, qui filios Philoſophicis, & Mathematicis inſtitutis imbuebant, conductis ad hoc ære publico egregiis præceptoribus. Nec contra rectæ œconomiæ leges peccant, qui pueros artes mechanicas docent, quæ ad Reipublicæ conſervationem utiliſſimæ ſunt. Vnde æquâ Solonis lege ſancium fuit, ut ſi filius à patre nullam artem fuiſſet edoctus, nulla ei ſeoio confecto, deberet alimenta. Lacædemonii ſaltationem tanquam ad bella utilem inter quotidianas diſciplinas habuere.

Verùm iniquiſſima prorſus Mahomethanæ Oeconomiæ decreta, quæ pueros vetant ullâ Philoſophiæ, vel liberalium artium diſciplinâ imbui; exemplo forte Mitylenſium, qui cum maris imperium tenerent, ſociis qui deſciverant, haoc pœnam impoſuerunt, ut liberos ſuos, nec litteras, nec artes liberales docerent; vel Iuliani Imperatoris Apoſtatæ, qui edicto cauit, ne pueri Chriſtianorum ullo Pphiloſophiæ genere condirentur; hâc ratione ſperans forè, ut idiotæ remanerent; eoque facilius ad idololatriam deficerent, veluti adimendo arma, quibus ſe defendere, & impugnare illam poſſent. Sordiſſima verò prorſus fuit Syracuſanorum diſciplina, apud quos, ut refert Ariſtoteles, pueri ſerviles artes, coquinariam, & alias hujuſmodi diſcebant. Impiiſſima denique Ægiptiorum, Perſarumque, qui juvenum mentes Magicis artibus edocebant.

Æquior longeque ſanctior Chriſtianæ Oeconomiæ in pueris inſtituendis diſciplina; cujus præcipua hæc cura eſt, ut de his, quæ ad religionem ſpectant, diligeoter erudiantur, quod apud Gentiles etiam olim in uſu fuit. Druidæ enim in Gallia, referente Iulio cæſare lib. 6, prius de his quæ ad religionem pertinere; deiode quæ ad Rempublicam tractandam cooducere videbantur, juvenes edocebaot. Romani adhuc, ut ait Valerius Max. quot anois, Sex optimatum filios ad ſex Hetruriæ populos mittebant publico cum viatico, ut auguralem ſcientiam diſcerent.

CAPVT IX.

Puerorum mores in omni virtutum cultu à parentibus efformandi.

PArentes olim Diogenes acerrimè increpabat quòd pueros luctâ, aliiſque ludis ſedulò exercerent, parùm autem incumberent, ut probi, honeſtique reddereotur; cùm in formandis eorum moribus, emendandiſque ingenitis vittiis præcipuus parentum labor eſſe debeat. Quare piiſſimi patris familiàs primum munus eſt, à pueris materiam arcere peccati. Prima enim pars diſciplioæ, ait Ambroſius, lib. de viduis, culpam avertere: Secuoda virtutem inducere.

Quod & ab Ariſtotele prudenter admonetur lib. 8. Polit.

Providendum eſt, ioquit ab his, quibus puerorum cura publicè commiſſa eſt circa hujuſmodi educationem, ut quàm minimè cum ſervis verſentur. Rationabile enim eſt præcipuè in hac ætate, ut ab auditu, & viſu ſervilium rerum abſint.

Omnino

Omnino igitur obſcœnitas verborum, ut & quidquam aliud per patrem familiâs exterminanda eſt de domo: ex turpiter enim loquendi licentia ſequitur, & turpis actio. Potiſſimùm verò ſtatim à pueris, neque dicant, neque audiant quidquam turpe. Siquis verò dicere, aut facere quidquam turpe deprehenſus fuerit, is ſi liber ſit, honore privetur, & verberibus caſtigetur. Cùm verò dicere quidquam turpe interdixerimus, clarum eſt, quod & aſpicere aut picturas, aut actus deformes prohibemus.

Fertur lex Athenienſium de pædagogorum inſtitutione, ut conſuleretur modeſtiæ, & caſtitati puerorum; Doctores Scholam ne aperiant priuſquam ſol effulſerit; neque illam claudant antequam occidat; hiſque qui puerilem ætatem ſuperaverint, dum pueri in ludo ſunt, ne liceat ingredi, niſi præceptoris, aut ejus fratris filius, filiæve ejus vir ſit. Quod ſi quis contrarium egerit morte puniatur. Iuvenalis hac de lege videtur ſcripſiſſe, dum ait.

Nil dictu fœdum, viſuque hac limina tangant,
Intra quæ puer eſt: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis paraſiti,
Maxima debetur puero reverentia: ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos.

Pueros à puritate dictos, ait Bernardus Tract. de ordine; ideoque in illos congerendas eſſe virtutes, verecundiam, caſtimoniam, taciturnitatem, ſimplicitatem, ſobrietatem, innocentiam puritatem, virginitatem; quæ vel primis oculorum, & verborum telis læditur.

Quapropter, cùm puer paululum in ætate proceſſiſſet, prætextâ apud Romanos donabatur, & bulla aureâ figura cordis expreſſa, quæ innocentiæ, & nobilitatis erant inſignia.

Perſæ verò filios tam ſanctis motibus imbuebant, ut illorum diſciplinæ nihil addi poſſe videretur. Cibus verò tam frugalis, & modeſtus, adverſus famem, & ſitim tantummodo paratus, ut juventus nauſturcio, panè, aqua, & ſale, veluti exquiſitis obſoniis veſceretur. Tantique pudoris fuere, ut pro lege ſervaretur, ne in publico, aut naſum emungerent; neve in conſpectu parentum, niſi juſſi conſiderent. Et cum natalem diem Feſtum ſinguli, & præcipuum habeant, illis tamen indulgentiſſimi etiam parentes vino abſtinere, veluti immani ſcelere præcipiebant. Quin etiam fuit lacædemoniorum mos ſolemnis ut agreſtes, quos Hilotas vocant: quàm maxime poſſent, vino ingurgitarent; illoſque vino madidos in cœtum adoleſcentium introducerent, ut temulentiæ turpitudinem intuentes, quaſi pertæſi ignaviam, à vino, & luxu promptius abſtinerent; ac tam tetri aſpectus, tanquam dedecoris, non ſolum pigeret, ſed & puderet. Tantaque diſciplina fuit, juvenum corpora ne laſcivirent, ut ſtatis diebus apud Ephoros ea exiberent, nudoſque inſpicerent, ut ſi quid inſolitæ pinguedinis contraxiſſent, parſimoniâ, victuſque abſtinentia emendarent: ad atam verò ſic verbere afficiebantur, ut pleriſque ſanguis manaret ad necem. Apud Gallos quoque & Iberos Zonæ menſuram habebant Magiſtratus, quam ſi capere non poſſet puer obeſus, magoo probro afficeretur. Supra verò omnia, ab ocio arcebantur, quod juventæ maxime nocet. Quare lacones, efferatos laboribus reddebant adoleſcentes; quaſi hoc utiliſſimum ſit, maximè ad fortitudinem. In hoc verò contra rectæ puerorum inſtitutionis regulas turpiſſime peccarunt, quod illis latrocinari impune liceret, dummodo in ipſo furto minime deprehenderentur. Apud Chriſtianos verò, ut lepide Ambroſius lib. offic. honor. adoleſcentum eſt, timorem Dei habere; parentibus deferre: honorem habere ſenioribus, caſtitatem tueri, humilitatem non aſperoari, diligere clementiam, verecundiam; quæ ornamenta ſunt juvenilis ætatis. In ſenibus enim gravitas, in juvenibus alacritas, in adoleſcentibus verecundia commendatur. Rara profectò in juvenibus eſt humilitas, ideoque miranda; dum ætas viget; dum ſolicitudo neſcitur, dum ignoratur debilitas; dum lætitia frequentatur; dum ſe juvenilis extollit affectus.

CAPVT X.

Parentes filiis erudiendis idoneos Magiſtros eligant.

CItò nequitia ſubrepit, ait Seneca, virtus difficilis inventu eſt; rectorem, ducemque deſiderat. Etiam ſine Magiſtro vitia diſcuntur. Cùm ergo puerorum inſtitutio maxime euranda ſit à patre familiâs; danda illi erit opera, ut præceptores, & pædagogi tales habeantur, qui juvenes & docere, & inſtituere ſciant, poſſint, & velint; tales enim futuri ſunt diſcipuli, quales magiſtri, & inſtitutores. Quod à Græcis olim ſummo ſtudio ſervatum legimus; ut dum puerilis ætas prona eſſet ad vitia, magiſtros adhiberent probatiſſimos, magnæ, & expertæ virtutis; quorum convictu & domeſticis diſciplinis, exempliſque formarentur. Sic Achilles Chironem, & Phœnicem, Agamemnon Neſtorem, Hector Polydamanta, Thelomachas Menelaum, Alexander Ariſtotelem, Antigonus Zenonem, atque alii vitæ magiſtros habuere præclariſſimos. Pericles, cujus ſapientia præomnibus, ſuis temporibus celebrata eſt, familiaris fuit Anaxagoræ, quo doctore tantam conſequutus eſt ſapientiam; & Alcibiades, ingenio quidem ad virtutem multum deteriore, ex Socratis inſtitutione optimus evaſit. Timotheus propter inſtitutionem Iſocratis ſummam gloriam adeptus eſt. Architas Tarentinam Rempublicam præclarè adminiſtravit ex Platonis congreſſibus. Narrat Diogenes Laertius lib. 4. Polemonem, cùm adoleſcens eſſet, adeò fuiſſe impudicum, ut omnes vitiis ſuperaret: verùm cùm aliquandò ebrius coronatus in Xenocratis Scholam irrupiſſet, ſeipſum collegit, ita ut ſtudio & virtute cœteros poſtea vinceret; atque Xenocrati in regenda ſchola ſucceſſerit.

Tanta eſt præceptoris in efformandis diſcipulis vis, ait Clemens Alexandrinus 7. Stromat, ut ſi quis Iſchomacho ſtuduerit, agricola fiet; ſi Lampidi Nauclerus; ſi Charidemo Imperator; ſi Simooi eques; ſi Crobylo Coquus; ſi Perdici caupo; ſi Ariſtoteli Phyſicus; ſicque ad imaginem Magiſtri quiſque perficietur.

CAPVT XI.

idonei præceptoris characteres, & munia.

CAto Cenſorius tam ſanctè filium edocuit, ut non alium quæſierit Magiſtrum; ſed ſeipſum, quia pater erat, filiis exhibuerit præcepto-

rem. Auguſtus quoque Octavius, Cajum & Lucium, quos ſibi filios aſciverat, non alterius, ſed ſuâ ipſius doctrinâ imbuit. Verùm, quia ſæpe hoc parentes aliis Rei familiaris negotiis occupati facile nequeunt præſtare, idoneos filiorum inſtitutioni Magiſtros eligere dêbent, quod minus, ut pro dignitate impleant, tria deſiderantur, doctrina, mores, & diligentia. Doctrina quidem ſit ſana, mores probi, & exemplares; diligentia non perfunctoria. Præceptores eligi debent ſpeculorum inſtar; in quibus non ſit vitæ, vel doctrinæ macula; quia in illis Iuventus ſe ſe metitur, ſeſequè componit. Nulla res diſcipulo ita eſt perniciosa, ſicut vita magiſtri contumelioſa, ait Boetius: nihilquè fœdius præceptore furioſo qui cùm debeat eſſe manſuetus, inquit Auguſtinus in epiſt. ad Titum, errantes non tam à bono retrahit, quàm ad malum ſuà ſævitià præcipitat. Quare, magiſter, addit Boetius, ſit in ſermone verax, in judicando juſtus, in conſilio providus, in commiſſo fidelis, conſtans in vultu, pius aſpectu, virtutibus inſignis, bonitate laudabilis. Miſerum enim eſt eſſe Magiſtrum, qui nunquam novit ſe eſſe diſcipulum. Magiſter potius ſit opere & ſermone; pluſquam exemplo, quàm verbo doceat.

Apud Lacædemones ex lege Lycurgi nemo pro arbitrio ſuo alios inſtituere poterat; ſed omnes, ut ſeptimū ſaltem annum adepti; aut Centuriati erant in claſſe, ſub publici cura Magiſtri. Lex quoque erat Sophoclis, ut non liceret alium Philoſophum ſcholis præficere, niſi id ſenatus, ac plebs, ita decreviſſet: qui ſecus faceret, mors ei eſſet pro pœna. In Republica verò Chriſtiana abundè puerorum educationi, & inſtitutioni proviſum eſt, ubi tot ſunt Pedagogiæ, & Academiæ litterariæ inſtitutæ.

CAPVT XII.

Summus honor Magiſtris habendus.

DIjs, parentibus, Magiſtris nihil redditur æquivalens, ait Ariſtoteles. Præclariſſimum procul dubio magiſterii encomium, laus eximia, ut qui juvenum animos liberalium artium imbuerit, moreſque formaverit, eoſdem, qui Deo, & parentibus deferuntur, honores mereatur. Quidni? cùm in hac parte amborum munus impleat. Pater enim filio dat vivere; præceptor bene vivere; quod Dei opus eſt. Cùm ergo parentum munus ſit, quod vivimus; Pædagogi verò quod bene vivimus, quis dubitabit, ait Seneca, lib. 3. benef. c. 31. tantò plus nos debere huic, quàm illis, quanto majus beneficium eſt bona vita, quam vita? Quidquid pater præſtitit mihi, etiam ſi magnum ſit, infra æſtimationem muneris eſt, quod à magiſtro accepi. Non eſt bonum vivere, ſed bene vive re. At bene vivo; ſed potui & male. Ita hoc tantum parentis eſt; quod vivo. Si vitam imputat mihi per ſe nudam, egentem conſilii; & id ut magnum bonùm jactat, cogitet ſe mihi imputare muſcarum, ac vermium bonum. Plus ergo à magiſtro, quam à patre accepi; hujus enim muneris eſt quod ſimpliciter vivo. Illius beneficio habeo, quod benè vivo. Iſte vitam dedit mihi conſummatam, perfectam; ille me expertem rationis genuit, onus alienum, me mihi rudem & imperitum dedit; magiſter talem reddidit, qualem ille me genuiſſe gauderet.

Idem ergo à diſcipulo, magiſtro ſuo, qui patri, qui Deo honor habendus eſt. Tanquam pater ab illo colendus eſt, quem lingua formavit, & quodammodo genuit; juxta illud; *filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* Vnde apud Hebræos, Magiſtri patres vocantur, magiſter tanquam Deus honorandus; quia dedie bene vivere, quod ſolius Dei munus eſt. Hinc Magiſtri olim ut Dij adorati. Siculi Ariſteæ publico literarum Profeſſori aram poſuèrunt. Antipater Severi Imperatoris filiorum præceptor, Deorum ſtella & inſtitutor, eſt appellatus. Denique, *qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt, in perpetuas æternitates.*

CAPVT XIII.

Sic Efformantis puerorum moribus parentes ſe gerant, ut nec illis, nimium indulgeant; nec ſeveriori caſtigationis cenſurâ in illos deſæviant.

IMpunitas incuriæ ſoboles eſt, ait Bernardus lib. 3. de conſid. mater inſolentiæ, radix impudicitiæ, tranſgreſſionum nutrix. Semper enim ſcelera inquit, Chriſoſtomus, dum non reſecantur, in augmenta facinorum proſilitur, quoties ſecurâ impunitate peccatur. Dum enim in Abſalon fratris occiſi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur; iniquitaſque mortalium more putredinis ſine fine vagaretur, addit Caſſiodorus, ſi eam medicinalis increpatio minimè diſſecaret. Quare accurrendum eſt nè tractu temporis impunita malitia convaleſcat, & vires iniquitati diſſimulatio, vel indulgentior gratia ſubminiſtret; ſed clarius audita correctio doceat imperitiam, & compeſcat audaciam.

Summopere ergo rectæ filiorum inſtitutioni nocet nimia parentum indulgentia. Imò, ut rectè Leo Papa, facientis procul dubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare; nec caret ſcrupulo confeſſionis occultæ, qui manifeſto facinori deſivit obviàre. Primus innocentiæ gradus eſt odiſſe nefanda. Latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate conſenſum; & nihil prodeſt alicui, non puniri proprio, qui puniendus eſt de alieno peccato. Sibi, propriiſque filiis Heli injuriam fecit, cùm illorum peccata corrigere neglexit. Non ergo ſempee filium pater oſculari debet, ſed aliquando caſtigare; imò quando caſtigatur, qui diligitur; tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cùm amarius inferuntur. Dulcior enim eſt religioſa caſtigatio, quàm blanda remiſſio. In hac verò caſtigatione modus adhibendus eſt. In correptione quippè vitiorum, ait Gregotius, lib. 20 moral. ſubeſſe debet iracundia, non præeſſe, ut executione juſticiæ non dominando præveniat; ſed ſimulando ſubſequatur. Objurgationi ſemper aliquid blande comiſceri debet: facilius enim penetrant verba mollia, quàm aſpera, Contra rectæ correctionis regulas olim peccabant Lacædemonii, qui filios protervos, ad aram verberibus ſic afficiebant; ut pleriſque ſanguis manaret ad necem,

Nimium è contra filio indulſit Themiſtocles, cui nihil unquam auſus eſt denegare, unde ille ſupremum in Grœcos filii ſui Dominium hoc

argumento demonſtrabat; Athenienſes dominantur Græcis; ego Athenis; mihi mater; matri filius; filius ergo meus Græciæ dominatur.

Chriſtianæ Oeconomiæ diſciplina, ſic paternæ correctionis cenſuram temperat, ait Gregorius, ut regat diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem; & ſic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta. Foris terribilis perſonet increpatio; intus lenitatis teneatur dilectio. Chriſtianus parens, piiſſimi illius Samaritani exemplo fervidi zeli vinum cum oleo manſuetudinis miſcere debet, inquit Bernardus Serm. 44. in cant. puſillanimes conſolari, ut corripiat inquietos. Quò forte ſponſa reſpexit dicens: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis engaddi.* Botrus cypri vinum fundebat, vinea Engaddi balſamum. Botrus ergo cypri dilectus meus in vinei Engaddi, hoc eſt zelus juſtitiæ, amor dilecti mei in affectibus pietatis. Vinum eſt fervidiſſimus zelus iſte, expreſſum de botro cypri, & calix inebrians chriſti amor. Habens itaque ex paterno oleum manſuetudinis, & ex divino amore vinum æmulationis, ſecurus accede ad ſananda filii vulnera, qui incidit in latrones; piiſſimi Samaritani optimus imitator.

CAPVT XIV.

Ægrè peccantem filium pater corrigere poterit, quem pravis exemplis ad peccandum inducit.

NOn debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus fuerit involutus: improbum enim eſt arguere quicquam in alio, quod adhuc reprehendit in ſeipſo. Summopere ergo parentes cavere debent, ne pravæ alicuius actionis exemplo filiorum mores inficiant. Quare antiqua fuit, apud Gentiles etiam conſuetudo, ut parentes bonis exemplis liberos educarent; maximaque dabatur opera, ne quid inſolens, minuſque decorum coram infantibus pater faceret; aut diceret. Hinc Cato Cenſor Manilium è ſenatu eliminavit quòd interdiu præſente filiâ uxorem oſculatus fuiſſet Hieronimus Epicharum Comicum pœnâ mulctavit, quòd coram filia laſcivos edidiſſet verſus.

CAPVT XV.

De recta puellarum educatione.

DIſpar puellarum, & puerorum inſtitutio, quia diſpar ſexus, diſpar conditio, & ad diſſimilia vitæ munera ordinantur. Etenim, ut ait Ariſtoteles, natura unum ſexum fecit robuſtiorem, imbecilliorem alterum, ut hic ad cuſtodiendas res propter timorem, ille propter fortitudinem ad propugnandum magis eſſet idoneus; itemque ut ille foris parta efferret, hic intus conſervaret allata. Quare diverſas invenio utriuſque regiminis, & educationis leges. Apud Romanos aliqua eligebatur matrona inſignis, ſpectatæ virtutis, toto generi propinqua, cujus ſanctitate, & moribus puellæ imbuerentur. Puellæ domi, pueri in publicis gymnaſiis educabantur; periculoſa enim eſt virginum, & maſculorum cohabitatio, ut optime monet Plato. Vnde antiquum illum morem non approbo, ut in ludum litterarium, non ſolùm ingenui pueri; ſed & virgines nondum adultæ litteris, & bonis diſciplinis formandæ ventitarent. Indecens eſt puellas foras vagari. Quare ingenioſè quidem Ægyptii puellarum pedes & crura, cùm adhuc in cunis eſſent, faſciis adeò fortiter ſtringebant, ut attrito nervo gradiendi facultas minus expedita foret. Apud quos in uſu etiam fuit, ut mulieres calceis non uterentur, quò facilius ſeſe domi continerent. Phydiæque laudatur ſolers prudentia, quòd veneris ſtatuæ teſtudinem, Palladiſque ſimulachro Draconem appoſuerit; ut hinc tacitâ ambage innueret, virgunculas pervigili curâ indigere, quò pudor caſtus illibatus ſervetur. Hinc quædam nationes velatas, & inconſpectas intra domorum ſepta virgines habent. Has verò artes, quæ ad rei domeſticæ utilitatem aptæ ſunt à juventute edocendæ ſunt, nempe nendi, ſuendi, texendi, acu pingendi, & domeſtica curandi. Vnde Miror Lycurgum, virum aliàs ſapientiſſimum legem tuliſſe, ut corpora virginum Spartanarum curſu, luctâ, diſcorum, & telorum jactu exercerentur, quò fœtus validum in valentibus corporibus exordium germinaret melius; atque illæ ſtrenuè partus excipientes, bene, & facilè adverſus puerperii decertarent labores. Hæc enim fœmineo ſexui naturâ infirmiori parum congruunt, viris aptiora, quàm fœminis. Solebant, & alibi quidam antiquitùs puellas liberalibus artibus erudire; Galienique Imperatoris temporibus puellæ Plotini Philoſophi ſcholam diſciplinæ cauſâ frequentabant, quod rectæ puellarum educationi minimè convenit. Vbi verò negotiantur mulieres, ſic poterunt puellæ inſtitui, vt legere, ſcribere, & numerare probè noverint. In aliis verò, maximè quæ ad morum honeſtatem, & religionis cultum ſpectant, par erit puellarum, & puerorum inſtituendorum ratio. Major tamen cura circa pudicitiam, & modeſtiam in ſexu fœmineo quàm in virili eſt adhibenda; ſublatis omnibus, quæ virginum animos corrumpere poſſunt Quare inprimis edocendæ ſunt, ut choreas illicitas, publicas hominum ſocietates, lenonum collegia, nimium ornatum, fucum, vagos diſcurſus, fugiant.

CAPVT XVI.

Caveant parentes ne filios à religioſo Dei cultu, & à ſacrarum Religionum ingreſſu, quibus ſe devoverunt, vel minis, vel paternis, aut maternis lenociniis avocent.

INfantes penes Affricam Saturno immolabantur, quos quidem ipſi parentes offerebant, ait Tertullianus in apologi. Et libentes exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur,

Quid Agamemnon? qui ut refert Cicero 3. offic. cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam. Morem adhuc aliquandò populi Iudaici adeo corruperat impia hæc ſuperſtitio, ut filios ſuos, filiaſque Dæmoniis immolaverint in valle Tophet. Iephte filiam, quam Deo devoverat, ad aram mactari juſſit. Rex verò Moab filium ſuum primogenitum ſuper murum idolo obtulit in holocauſtum. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Ad vos parentes Chriſtiani hæc vox non ſpectat, inquit Chryſologus. Serm. 10. filii Dei vocamini, juxta illud: *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Agnoſcite quò vos tulit

Digitized by Google

divina diguatio : quò paternitas extulir vos ſuperna, filios Dei gratia vos fecit, quos natura parentes hominum conſtituit. *Afferte ergo Domino filii Dei.* Videtis quia cœleſtis patεr ſentit doni, dati affectum, probar muneribus charitatem; & revera filium Dei ſe neſcit; ingratus eſt patri, qui auctorem vitæ ſuæ non obſequiis placat, non devincit cultu, muneribus non honorat. *Afferte Domino filios arietum.* Hoc eſt totum quod expetit, quod requirir? Vile terreni pecoris germen? forte judaicas victimas, ſacrificia cruenta, balantes ſub culteris oves requirit Deus? Et ubi eſt illud quod dixit? *Non accipiam de domo tua vitulos.* Et ſi iſta repulit, quos arietum filios ſibi depoſcit afferri? alias ſibi offerri hoſtias expoſcir Deus. Divino patri, ut divina ſoboles offeratur, admonetur. Afferte filios arietum? filios patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, quia facti ſunt ſicut oves occiſionis. Afferte patres filios veſtros baptizandos, afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura. Afferte ad aras, quos ſpiritus S. aflatus ad Dei famulatum impellit. Filium pater offerat; à Dei cultu non retardet, ut cui præſentem vitam præſtitit, conferat & futuram. Afferte filios veſtros, non immolandos, ſed ſanctificandos; non occidendos, ſed vivificandos. Filium tuum admove Dei ſecurus ad aram. Deus fidem, non mortem quærit; votum non ſanguinem ſitit; pacatur voluntate, non nece. Hoc probat Deus ad hoſtiam Abrahæ ſancti filium cùm propoſcit. Ad Abraham loquitur : *accipe filium tuum dilectum & offeres mihi in holocauſtum.* Paruit Abraham; ſed ubi ſe ad holocauſtum parabat, patris ſuſpenſa eſt dextera, patris gladius obſeptus eſt, quia non quærctiatur mors filii, ſed obedientia.

CAPVT XVII.

Filii à parentibus, non niſi graviſſima de cauſa, ab hæreditate paterna repellendi.

IVre divino, & humano æquum eſt, & receptum, ut qui habet liberos, hos extraneis præponat, quibus ex jure naturali, communi omnibus gentibus, bona paterna debentur. *Si ſemen Abrahæ eſtis ſecundum promiſſionem, & hæredes,* ait Apoſtolus, *quod ſi filius, & hæres per Deum.* Sicque Paulus juriſconſultus : Cùm ratio naturalis quaſi quædam lex tacita, liberis parentum hæreditatem adjiciat, velut ad debitam ſucceſſionem vocandum judicio parentis, niſi meritis de cauſis, ab ea ſucceſſione ſubmoveri non poſſunt; quare æquiſſimum exiſtimatum eſt, eo quoquè caſu, quo propter pœnam, parentis aufert bona damnatio; rationem haberi liberorum, ne graviore admiſſo plenam pænam lueret. Et Papinianus : Nou ſic parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur hæreditas. Parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit : liberos natura ſimul & parentum commune votum. Et Triphonius : omnia inquit, quæ noſtra ſunt, liberis noſtris ex voto paramus. Quod & ipſa ratio naturalis ſuadet; quia perſona patris per filium repræſentatur, ut ibi & eſſe, & ſtare dicatur, & filii vox dicatur vox patris : imò, pro eadem perſona habeantur, & una caro. Vnde Phyſici reddunt rationem cur pater plus diligere filium dicatur, quàm filius patrem, quòd pars patris remaneat in filio, non contra pars filii in patre. Quocirca mortuo patre, non omnino totus mortuus videtur ſuperſtite filio; reliquit enim ſimilem ſibi. Vnde ſicut pater ſibi bona parta eripere non debet; ſic nec filio acquiſitam denegare hæreditatem. Patrem enim, ut habetur in lege Valentis & Valentiniani, paternos honores, invidere non oportet. Quocirca arguuntur teſtamenta eorum, qui in illis vel liberos præterierunt, vel injuſtum judicium exhæredationis contra proprium ferentes ſanguinem, potius alienos inſtituerunt hæredes, ac ſi à mente captis, & contra officium parentum facta eſſent. Neque lex civilis auſa eſt privare ſucceſſione filios decedentibus inteſtatis parentibus; ſed ſine controverſia ratione ſanguinis, & proximitatis voluit pleno jure primùm filios, & ex his deſcendentes ad ſucceſſionem vocari. An verò pater primogenito juniores in hæreditate conſequenda præponere debear, vel poſſit, agitata aliquando eſt quæſtio. Verùm prudentiſſimus Imperator Alexander legem hanc tulit; quâ decernit parentibus arbitrium dividendæ hæreditatis non eſſe adimendum; quod variis probari poteſt exemplis. filius ergo tum jure divino, tum humano ad patris hæreditatem eſt vocandus, à qua repelli non debet, niſi graviſſima de cauſa, nempe parricidis; vel inobedientiæ.

QVÆSTIO IV.

FILIALIS PIETATIS ERGA parentes officia.

NIHIL grato animo honeſtius, ait Seneca, Epiſt. 82. Omnes hoc urbes, omnes etiam ex Barbaris Regionibus gentes conclamabunt, referendam bene merentibus gratiam; omnes uno ore affirmabunt: in his diſcors turba conſentiet. Imò Heſiodus jubet reddere Majori menſurâ, quàm acceperis utendâ; agrorum fertilium exemplo, qui multò plus reddunt, quàm acceperint. Cùm ergo ſummum omnium beneficium ſit illud quod à parentibus filij receperint; eſſe nempe, vivere, ali; & quod adhuc illis præcellit bene vivere ex rectâ vitæ, morumque inſtitutione; nedum ingratitudinis, ſed & impietatis arguendi, tantique ſceleris pœnâ plectendi eſſent filij, qui pro tot acceptis beneficiis, debita parentibus pietatis, reverentiæ, & obedientiæ non redderent obſequia.

CAPVT I.

Parentes à filiis in Chriſto diligendi. 1. filialis pietatis officium.

QUOD eſt in herbis, aut in arboribus humor, ait Chryſoſtom. ſupra Math. c. 19. hoc eſt in hominibus amor: ſicut enim herbæ ea humore naſcuntur, & creſcunt; ſic homines per amorem incipiunt, & augentur. Humor quidem de radicibus aſcendit in herbam, de herba autem non revertitur ad radices, ſed ſurſum tranſmittitur in ſemen; ſic & amor de parentibus aſcendit in filios; de filiis autem non revertitur ad parentes. Ideo parentes quidem & diligunt filios; ſed non ſic diliguntur à filiis; quia ſicut herba non deorſum, ſed ſurſum ad ſemen tranſmittit humorem, ſic & homo non ad parentes, ſed ad procreandos filios tranſmittit affectum. Ea quibus Chryſoſtom. verbis videtur poſſe concludi, parentes à filiis non eſſe diligendos. Verum iniqua eſſet hæc illatio, ut pote legi naturæ, rectæ rationi veręque amicitiæ legibus adverſa, quæ mutui amoris ab amato repoſcit affectum. Cum ergo parentes filios diligant, æquum eſt à filiis diligi; amor enim amoris illex eſt, faa, & incentivum. Nec aliud ab eloquentiſſimo Eccleſiæ Grecæ Doctore his verbis intendi credendum eſt, quàm quod apud omnes pro indubitato habetur, filios nempe à parentibus vehementivs diligi, quàm à filiis parentes: quia ut ſupra diximus, pars aliqua patris in filio remanet; non è contra pars filii in patre. Amandus ergo eſt pater à filio, qui à generante prius fuit amatus; æterni patris exemplo, qui ſingulari dilectione filium amplectitur; ſummus æqualem, æternus coæternum, unus unicum; ſed non minori ipſe à filio affectione adſtringitur, quippe pro cujus amore & moritur. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt creator, ait Hieronymus. Vnde ſi neceſſitas venerit, ut amor parentum amori Dei comparetur, & non poſſit utrumque ſervari; odium in ſuos, pietas in Deum ſervanda eſt. Vnde Chriſtus, qui non diligit me pluſquam patrem, & matrem, non eſt me dignus.

CAPVT II.

Parentes filii maximè honorent. 2. Filialis pietatis officium.

PRimus pietatis gradus, ait Ambroſius, in Math. eſt, ut quos auctores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequiis, non afficias contumeliis: tanta nec vultu quidem lædenda ſit pietas parentum; uam ut addit Hieronymus meretur cæcitatis ſuæ ſubire ſupplicium, qui parentum vultus torvo viſu deſpeaerit, & elatis oculis læſerit pietatem. Honorandos à filiis parentes jura omnia, tam divina, quam humana decernunt. Iure quidem divino hac lege, *honora patrem, & matrem, ut ſis longævus ſuper terram*, quæ ſecundo loco poſt præceptum de Deo adorando primæ Decalogi tabulæ inſcripta legitur. Iure adhuc humano. Leges enim civiles, tam Chriſtianæ, quàm Gentilis Juriſprudentiæ ſummo honore parentes colendos eſſe, ſub graviſſimis pœnis decernunr; à quibus antiqua Gentilium Philoſophia non diſcrepat. Ad eum qui patrem deſpiciebat, non te pudet, inquit Diogenes, eum contemnere, cui debes hoc ipſum, quod tibi places?

Quo verò honoris obſequio venerandi ſint parentes, diſſonant in boc antiquæ Gentilium Oeconomiæ, & Chriſtianæ leges. Illa æqualem honoris cultum Deo & parentibus decernit; itaut ambo à filiis æqualiter ſint adorandi. Diis & parentibus nihil redditur æquivalens ait Ariſtoteles. Et alibi. Honor parentibus quemadmodum diis exhibendus eſt. Quod & Plato prius docuerat. Vnde Piſidæ Aſiæ populi parentibus, ut Diis litabant. Quò ſpectans Valerius Maximus lib. 1. Iuſtiſſime, inquit, quàdam pari vindictâ parentum, ac deorum violatio expianda eſt. Fontium olim & fluminum capita, ſive origines adorabantur; quidam filii parentibus adoratione cultum exhibebant, quos primos ſuæ originis agnoſcebant auctores.

Sanctior verò, nec non rationabilior in hoc Chriſtianæ Oeconomiæ diſciplina, quæ parente non adorandos, quod ſoli Deo debetur, ſed hono

randos eſſe decernit; imo & Deo nedum in honore poſt ponendos, ſed & pro ejus cultu interdum deſerendos; juxta illud Chriſti, *niſi qui reliquerit patrem, & matrem, & ſorores, & fratres propter me, non eſt me dignus.*

CAPVT III.

Filij parentes revereantur, & timeant timore filiali, non ſervili.

FOrmæ timoris duæ ſunt, ait Philoſophus 1. Oeconom. 6. una quæ adjunctam habet reverentiam, ac pudorem; qualis eſt erga patres proborum liberorum, & bene moratorum civium erga magiſtratus, quibus ſe eſſe curâ ſentiunt: altera non caret alienatione animi, & odio; & ita timent Dominos ſervi, & qui injuſtâ potentiâ oppreſſi ſunt, Tyrannos. Patris in filios Imperium Regium eſt & civile, non deſpoticum, & tyrannicum; quare à filiis timeri debent parentes timore filiali, qui amorem non excludit, non ſervili, qui odio & alienatione miſcetur. Timendus à filio pater, quia ſummam habet in illum, ſicut Rex in ſubditos poteſtatem; apud Gentiles etiam vitæ, & necis. Phrygibus familiare fuit proprios vendere filios, ſervilemque in modum educare. Quod cum Cretenſibus, & Laconibus commune fuit, qui filiis pro ſervis utebantur; ita ut ingenuos filios ſervilia exhibere cogerent. Hæc tamen perfectæ œconomiæ, qualis eſt Chriſtianorum, legibus adverſantur, quæ filios à parentibus decernunt, ut ingenuos, & liberos eſſe tractandos. Quare ab illis reverendi potius quàm timendi: timor enim Domino; amor & reverentia Patri debentur. Reverendi autem ſunt, nec non timore filiali metuendi; quia æterni Patris, à quo omnis Paternitas derivatur, vices agunt; in quibus divinæ quidam radius emicat poteſtatis. Filios enim juſtiſſimis de cauſis poſſunt exhęredare, devovere, paternamque illis benedictionem denegare; qua quis caruerit æternâ cœleſtique ſæpe ſpoliatur hæreditate, ut ipſe agnovit Seneca Epiſt. 75. jam inquit, non admiror, ſi omnia nos à prima pueritia mala ſequantur: inter execrationes parentum crevimus: exaudiunt Dij quoque noſtram pro nobis vocem gratuitam. Tanti pudoris, tantæque reverentiæ fuere filii apud Perſas, ut pro lege ſervarent, ne in publico, aut ſpuerent, aut naſum emungerent; neve in conſpectu parentum, niſi juſſi conſiderent. Demetrius Phalereus adoleſcentes admonebat, ut in ſolitudine ſeipſos, in via obvios, & domi parentes diligenter revererentur. Quare filium Pittacus admonuit, ne cum patre in judicio litigaret; quia, inquit, ſi patri iniquiora dixeris, damnaberis; ſin æquiora, vel ob iſtud damnaberis.

CAPVT IV.

Filij juſtis parentum mandatis obtemperent.

DEcius Imperator cum filium Imperiali Diademate proponeret inſignire; venit filius, dicens: vereor ne ſi fiam Imperator, dediſcam eſſe filius. Malo non eſſe Imperator, ſed humilis filius, quàm Imperator, & filius indevotus. Imperet pater meus; meumque Imperium ſit parère humiliter Imperanti. Nam parentum affectum exuit, qui mole ſuperpoſita filium extinguit. Prius alendi ſunt pueri, quàm præceſſerint, ſi quoque præcedere debent, invite aſcendant. At vero dubitationem admittit, ait Philoſophus, 9. Ethic. c. 2. utrum patri omnia tribuenda ſint, & parendum in omnibus; quam dubitationem hoc modo ſolvit. Non omnia omnibus retribuenda ſunt, neque patri omnia; quemadmodum neque Iovi omnia Sacrificantur. In omnibus parentibus obtemperandum eſt, quæ vel civili, vel naturali, vel divinæ legi non repugnant. Vnde ſi quid filio pater præcipiat, quod Dei mandatis, vel rectæ rationi, vel Reipublicæ inſtitutis non conſonat, tunc à paterna lege filius ſolutus cenſendus eſt. Quò fortè reſpexit Seneca. Epiſt. 11. cum ait; ſurdum te parentibus tuis præſta; bono animo male precantur: Et ſi vis eſſe fœlix, ora Deum, ne quid tibi ex his quæ optantur, veniant. Non ſunt bona, quæ in te congeri volunt. Contemptum tibi omnium opto, quorum tibi parentes copiam optaverunt. Si te caro à patre ſeparat, tandiu noſcas carnis copulam, quandiu ille ſuum novetit Creatorem, ait Hieronymus, in Mathæum.

CAPVT V.

Filij parentibus infirmis, ſenioque jam confectis opitulentur.

QUæritur ab Hecatone, an beneficium dare filius patri poſſit. Sunt enim qui ita diſtinguant; quædam eſſe beneficia, quædam officia, quædam miniſteria. Beneficium alieni eſſe. Alienus eſt, qui potuit ſine reprehenſione non dare: Officium eſſe patris filii, uxoris, & earum perſonarum, quas neceſſitudo ſuſcitat & ferre opem jubet: miniſterium eſſe ſervi, quem conditio ſua eo loco poſuit, ut nihil eorum quę preſtet ſibi, imputet ſed ſuperiori. Quare juxta illorum mentem, nec ſervus Domino, nec filius patri, uxor; imò nec vir uxori, nec pater filio beneficium præſtare poteſt, quia vel neceſſitudinis vinculum, vel ſtatus conditio ferre opem jubet. Verum, ait Seneca lib. 3. de Benefic. Filium patri qui negat dare poſſe aliquando beneficium, ignarus eſt juris humani. Nulli enim præcluſa virtus eſt; omnibus patet; omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, ſervos. Poſſunt ergo parentibus filii beneficium præſtare, imò & debent lege gratitudinis, quæ mutui officii vices expoſcit. Quare tenentur filii parentibus opem ferre; ſenio confectis alimenta præbere, infirmos curare, ait Ariſtoteles, ipſorum etiam rationis expertium animalium exemplo. Ciconia enim parentes ad volatum ex ſenii infirmitate parum idoneos alis fovet, pennis ſublevat, paſcit: quam ob rem filialis pietatis ſymbolum habetur. Pudeat Chriſtianum hominem in hoc à volucre vinci. Summopere laudatur ſanctiſſimæ illius puellę pietas, quæ patri carcere clâuſo, fameque & inedia propemodum exangui ubera ſugenda admovit. Alia ex aliis, etiam gentilibus exempla ſubeunt eorum, qui parentes ſuos periculis eripuerunt, aluerunt. Æneas patrem, lene, tutumque geſtamen, gravem ſenio, per media hoſtium agmina, & per cadentis circa ſe urbis ruinas ferens, cum complexus ſacra, ac Penates Deos, religioſus ſenex non ſimplici vadentem ſarcinâ premeret, tulit illum per ignes. Et quid non pietas poteſt? pertulit, colendumque inter colendos conditores Romani imperii poſuit. Quid ſicuti juvenes, cum Æthna majore vi per arva, in urbes, in agros, in magnam Inſulæ partem

eſſet incendium, vexerunt parentes ſuos. Diſſediſſe crediderunt ignes, & utrimque flammâ recedente, limitem adapertum, per quem tranſcurrerent juvenes, digniſſimi qui magna tutò audeterent. Doces nos Chriſte, ait Chryſoſtomus, uſque ad ultimam reſpirationem, parentum diligentiam habere, quia in cruce mnriens matrem Diſcipulo commendaſti. Quod ſi ad matrem aliquando dixit, cum vinum defeciſſet, *quid mihi & tibi mulier*; quibus verbis matrem abnegare videtur, ſic reſpondit Chriſtus, inquit Bernardus, ſerm. in cantic. urique propter nos, ut converſos ad Deum jam non ſollicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Quandiu enim de mũdo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentum: at poſtquam reliquimus noſmetipſos multò magis ah eorum ſolicitudine liheri ſumus. Vnde alibi ad juvenem dixit, qui licentiam ab eo petierat ut patrem ſepeliret; *ſinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*: Oh amorem enim Chriſti nmittenda eſt patris ſepultura, ut dicit Hieronymus, pnſt cujus amorem nullus relinquitur inhumatus. Oeconomiæ tamen Chriſtianæ leges filio permittunt, ut clauſtro relicto pauperum parentuoi neceſſitati inſerviant.

Debent adhuc filii pro ſalute parentum propriam impendere vitam. Supereſt ultimum filialis erga pareotes pietatis obſequium, nempe ſepulturæ: Cujus varias apud Barbaros conſuetudines invenio. Eſſedooum traditur mos, ut parentum funera Cantibus proſequantur; mox cœtibus propinquorum advocatis: quod dictu, audituque fœdum eſt, ipſi cadaverihus immixtis ovillis carnibus veſcantur, quod ah Indis, & Maſſagetis uſurpatum ferunt, & apud Derbices Perſicam gentem commune fuit, ut parentes & affines, qui ſuccubuere, commediſſe pietatis maximæ munus putarent. Tradunt etiam Hyperboreos, eos qui longo ævo vixerant, poſt epulas, & familiare convivium ſertis redimitos, ex rupe abrupta in mare dare præcipites; Thraces vero incenſis rogis vivos objicere. Athiopes parenrum cadavera vitro operta; ita ut integra ſpectentur, & poſteris ſpectaculo fierent, aſſervabant. Apud Saitanos intra Templi ſepta ſepeliebantur, quod Chriſtianæ diſciplinæ legibus maxime conſonat. Gentilium verò mos fuit, ubi defunctorum corpora ſepulturæ mandabantur, oratinnes fundere, vina libari, eorumque manibus propinare, quæ parentalia ſacrificia feralia, & inferiæ vocahantur Teriniecto pulvere, levem illis terram, requiemque ter injecto optabant; ſepulchtis flores ſpargebât, in ſpemfuturę reſurrectionis. Romani menſe Februario mortuis dare inferias ſolebant. Delphi apud aram Epithymbiæ Veneris manes evocahant defunctiſque parentabant. Græci autem paucis à morte diehus feralia litabant defunctis obſequia. Apud Albanos verò manibus defunctorum parentare, aut juſta perſolvere nulli permittebatur, quod defunctos humanâ ope putarent non egere: qnod hodie Hærerici impie obſervant. Eſſedones purgatum defuncti caput inaurabant, illique quotannis boſtias mactare, juſtaque perſolvere ſolebant. Ægyptii dum maoibus defunctorum parentabant poſt preces oppleti lachrymis, tumulum amplexabanrur coronis impoſitis. Vnde mirum ab Hæreticis hujus temporis adeo parentum defunctnrum corpora negligi, ut nullas pro illis apud Deum preces fundant, Catholicos inſectentur, quod ſacrificia prn defunctis Deo offerant.

CAPVT VI.

Filij parentibus adhæreant, quibus piè conjungi ſalus, ab altis Avelli interitus.

AVelle à ſnle ſolis radium, & oon lucet, ait Petrus Ravennas, rivum à fonte, areſcit, ramum ah arbore, & exſicatur; membrum à corpore, & putreſcir: ſepara filinm à devotione paterna, non eſt filius, ſed extraneus, vel Diaboli filius. Teſtem hujus rei advoco filium illum prodigum. Luxurioſum filium, patriſque piiſſimi deſertorem, quæ pertulerint mala, Chriſtus diſerte refert, in parabola de filio prodigo; ubi enim à patre receſſit, & congregatis omnibus, quæ à patre receperat, pnfectus eſt in regionem longinquam; ibi diſſipavit ſuhſtantiam ſuam vivendo luxurioſe & ecce, inquit Chryſologus, Serm. 1. quemadmodum ſine patre cenſus, nudavit filium, oon ditauit: cenſus filium tulir gremio patris, ejecit de domo, exemit patriæ, ſpoliavit famâ, & caſtitate, quod vitæ, quod pieraris, quod libertatis, quod gloriæ, nihil reliquit. Civem denique in peregrinum; filium in mercenatium, in egenum locupletem, liherum mutavit in ſervum, junxit porcis piiſſimn à patre quem ſejunxit, ut ſerviret cœnoſo pecori, qui pietati paternæ parère recuſavit. Eſt peoes patrem dulcis conditio, libera ſervitus, abſoluta cuſtodia, timor rectus, blanda ultio, paupertas dives, ſecura poſſeſſio. Quàm miſerum, & quàm amarum, quietis paternæ beatitudinem amiſiſſe. His edocti exemplis maneamus in domo patris, matris in gremio perduremus, cognatorum cnnſtring amur amplexibus, viſcera nos paterna conſtringant, ne nos ad ſupradicta mala pertrahat adoleſcentiæ miſeranda libertas. Inter propinquorum lumina non valent delicta verſari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies eſt aſpectus matris; ſol rutilat in vultu patris. Vnde viventi inter tot virtutum duces, criminum tenebræ repelluntur.

CAPVT VII.

Parentes filius deſerat, ut Chriſtum ſequatur, cum ad illius in Religione famulatum vocatur.

P*Vtatis*, ait Chriſtus, *quia pacem veni mittere in terram? non dico vobis, ſed ſeparationem.* Quare? quia conjunctio cœleſtis eſt in iſta ſeparatione terrena, inquit Chryſologus. Nemo poteſt connecti terræ, & jungi cœlo. Grata ergo & chara ſit iſta terrena ſeparatio, quæ vos ſic à terrenis ſeparat, ut inſerat nos divinis. *Niſi quis patrem ſuum & matrem oderit*, addit Chriſtus, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Si neceſſitas venerit, ut amor parentum Dei obſtrepat amori, ſumma pietas eſt, patrem, & matrem odiſſe, inquir Hiernnymus, Epiſt. ad Heliodor. Cum ergo ad Dei cultum, vitamque religioſam vocaris, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ut ad Chriſtum confugias. Gladium tener hoſtis, ut me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? Plus diligere debemus Deum quàm parentes ait, Bernardus, lib. de ordine vitæ ſerm. 12. quare? Quia Deus fecit nos, & parentes noſtrns: majora tribuit nobis Chriſtus, quàm parentes noſtri. Ex Deo omnis paternitas ad homines deſcendit. Errat ergo, imò & gra-

viſſimè peccat, qui patentum amorem, amori, & cultui Dei præponit. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*, ait Chriſtus Maih. 10. ſi me ergo verè, & ut boni, piique pareotes diligitis, ait Helias Monachus Epiſt. 111. D. Bern. quid me patri omnium Deo placere ſatagentem, inquietatis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, retrahere cooamini: verè nunc agnoſco, quia inimici hominis, Domeſtici ejus. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc meos parentes noo agnoſco, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego vado ad patrem meum, & veſtrum, imò univerſorum patrem Alioquin quid mihi & vobis? Quid habeo à vobis niſi peccatum, & miſeriam. Cur miſericordiam quam à Chriſto accepi mihi invidetis? O durum patrem! ô ſævam matrem! ô parentes crudeles, & impios; imò non parentes, ſed peremptores, quorum dolor, ſalus pignoris; quorum conſolatio mors filii eſt, qui me malunt perimi cum eis, quàm regnare ſine eis? Quid me rurſum ad naufragium, unde tandem oudus exivis rurſus ad ignem, unde vix ſemiuſtus evaſi; rurſus ad latrones, à quibus ſemivivus relictus ſum; ſed miſerantie pio illoSamaritano aliquantum convalui revocare cooamini? &c.

CAPUT VIII.

Honeſta debet eſſe parentum & filiorum in exhibendis mutuis paterna & filialis pietatis officiis. ad invicem contentio.

QVæritur adhuc, ait Seneca, an aliquando liberi majora beneficia dare parentibus ſuis poſſint, quàm acceperint. Illud concedetur, multos filios, majores, potentiores extitiſſe, quàm parentes ſuos, atque meliores fuiſſe. Quod ſi conſtat, poteſt fieri, ut meliora tribuerint, cùm & fortuna illis major eſſet, & melior voluotas: ſed dices, quod dat patri filius, utique minùs eſt, quia hanc ipſi dandi facultatem patri debet. Ita nunquam pater beneficio vincitur, cujus benrficium eſt ipſum quod vincitur. Sed multa initium ab aliis trahunt, & tamen initiis ſuis ſunt majora. Semina omnium rerum cauſæ ſuut, & tamen minimæ ſunt partes eorũ, quæ gignuntur. Aſpice Rhenum, Euphratem omnes denique inclytos fluvios, majores ſuot fontibus quibus emanant Principia ſua ſemper ſequens magnitudo obruit. Sed inſtas, non potuiſſem quidquam conſequi, niſi beneficium parentum anteceſſiſſet. Quidquid ergo præſtiti patri, etiam ſi magoũ eſt, infra æſtimationem paterni muneris eſt, quia noo eſſem ſi non me genuiſſet. Sed illud quod natus ſum perſe intuere, quale ſit? Certe exiguum, & incertum, & boni, malique. Communem materiam, quod cum feris mihi, & animalibus quibuſdam, etiam ſœdiſſimis commune eſt. Vitam mihi pater dedit; ſed ego vitam illi ſervavi. Sic ergo mious illi. Vici, cùm ego dederim ſentieoti ſentiens me dare; vitamque illi dedi non voluotatis meæ cauſa, aut per voluptatem. Ego vitam dedi ſtatim uſuro;ille uſuro;pater neſcituro an viverem. Ego vitam dedi mortem timenti: pater dedit, ut mori poſſem non mihi pater; ſi idem præſto, plus reddo; quia non tantum ali, ſed à filio ali ſe gaudet. Certate ergo obſecro vos, certate parentes cum liberis, & liberi cum parentibus fœlices qui vicerint, fœlices qui vincentur. Quid eo adoleſceore præclarius, qui ſibi ipſi dicere poteſt, neque enim ſas eſt alteri dicere, patrem meum vici beneficiis? Quid eo fortunatius ſeoe, qui omnibus prædicabit, à filio ſuo ſe beneficiis victum? Quid autem fœlicius quàm ſibi cedere?

CAPVT IX.

Deteſtanda parricidarum impietas & condigna pœna.

INterrogatus Solon, cur nullas adverſus parricidas leges conſtituiſſet; quòd nullos, ait, tales extituros exiſtimarem. Horrendum enim, & nefandum, quodque hominum fidem ſuperet, crimen eſt particidium. Nedum apud Chriſtianos, ſed & apud Ethnicos exoſum, legeque tum divioâ, tum humanâ, tum naturali, tum civili ſub atrociſſimis pœnis prohibitum. M. Maleolus matre interemptâ, Romaoorum primus parricidii damoatus, inſutus culeo in mare præcipitatus fuit. L. Deinde Hoſtius, poſt ſecundum punicum bellum parricidii inſimulatus pari ſupplicio necatus pœnas dedit. Manſitque hæc pœna in parricidas ad hæc tempora. Culeo enim Gallus Gallinaceus, ſimia, & vipera cum homioe inſuitur, & in flumen, vel mare detruditur, ut in vita infenſorum animalium, & fœda laceratione corporis, ob tanti ſceleris immanitatem cruciatus vulnere interimatur; utque ab omni elemento repudiatum cadaver, irrequieto labore, perpetuiſque fluctibus agitetur. Ægiptii adeo parricidas inſectati ſunt, ut eos per ſingula membra acutis calamis impeterent; mox minutiſſimis ictibus cooſauciatos ſuper ſpinarum acervos comburerent. Perſæ patris occiſorem notum putant. Luſitani parricidas finibus ejectos ſaxis opprimunt. Eadem pœna in patricidas Regum, qui patriæ ſunt parentes merito detorquetur, quos Macedones ſaxis obruebaot; nec modo facinoris reos, ſed omnium devota erant capita, qui illos quovis gradu contigiſſet. Parricidii verò quoddam genus eſſe cenſetur omnis patri gravis illata injuria. Vnde parricidarum pœnâ mulctantur filii, qui patrem percuſſerint, ut variis exemplis demonſtrat Bodinus, maximè ex parlamenti Toloſani ſeutentia. Et apud Romanos Tullij ſervij Tullii filia parricidii rea damnata fuit, quòd ſupra patris defuncti corpus vulneribus affecti, carpento prætet vehens incedere non dubitaverit; ob quod inhumanum ſcelus, reique fœditatem, loco tanquam nefario, & conſcelerato, ſcelerati nomen impoſitum eſt.

CAPVT VLTIMVM.

Mutua fratrum adinvicem Chriſtiana charitatis & reverentia officia.

FRatrum ſocietas cenſipoteotiæ ſimilis eſt, ait Ariſtoteles; ſunt enim æquales, niſi quatenus ætatibus diſtaot. Vnde ſi looge ætatibus diverſi ſint, fraterna inter ipſos amicitia amplius non eſt. Ad patris vero familias juſtum, rectumque familiæ Regimen ſpectat, ut Religioſam hanc fratrum ſocietatem foveat; quæ tunc fœliciter, diuque perdurabit, ſi concors fuerit. Difficillima autem fratrum concordia, ex vitio invidiæ Nam ut eleganter Plinius; nihil eſt tam pronum ad ſimultates quam æmulatio, iu fratribus præſertim: ea porro maxime naſcitur ex conjunctione, alitur æqualitate: exardeſcit invidià cujus finis eſt odium; & quidem acerrimum

acerimum, ut doret Ariſtoteles. Magis enim irritatur animus contra familiares, & amicos quam contra ignotos, ſi contemptum ſe putet. Unde in proverbio dicitur, *fratrum contentiones, & iræ ſunt acerbiſſimæ, & qui ſe nimium amant, hi ſe nimium oderunt*. De filio illo ſeniori refert Evangeliſta; quod ubi agnovit fratrem illius iuniorem (qui totam ſubſtantiam diſſipaverat vivendo luxurioſè) à patre benignè fuiſſe receptum; & appropinquans domui, ſymphoniam audiſſet, *indignatus noluit intrare*. Ubi Chriſologus. Iunidum fugat ſymphonia pietatis, chorum Charitas excludit, & quem venire ad fratrem vocat ratio naturæ, hunc pervenire zelus non ſinit. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos! Et quid mirum? fecit invidia, ut Mundi tota duobus eſſet anguſta fratribus latitudo; namq; ipſa Cainum iunioris etexit in mortem, ut eſſe ſolum zeli livor faceret, quem primum fecerat lex naturæ. Frater quaſi ferè alter; quare eodem, quo quiſquis ſeipſum, fratrem amoris affectu proſequi debet. Nulla fratris amiſſi recuperatio, ut neque manus ablatæ, ait Plutarchus; quare majori quodammodo amore diligendus, quàm filius à patre, vel à viro uxor: pater enim alios procreare filios, vir aliam ducere uxorem poteſt, fratris autem amiſſio nequit recuperari. Non decet, ajebat Iſocrates, fratres ut lances in ſtatera, uno humiliato, alterum extolli; ſed inter illos aurea vigere debet æqualitas, quâ animorum concordia fortius ſtringitur, hæc verò totius familiæ columen eſt, atque firmamentum.

Quid ergo admirabilius exiſtimandum eſt, quam quod pluribus fratribus in una domo, parique fortuna nullum certamen, nulla contentio eſt. Suſpiciunt inuicem, inuicem cedunt, cumque patrem utrique effuſiſſimè diligant, nihil ſuâ putant intereſſe, quos ille magis diligat. Idem omnibus propoſitum, idem tenor vitæ, nihilque ex quo ſentias, plures eſſe. Inde moderatio: inde perpetua ſecuritas.

QVÆSTIO V.

DE TERTIA SOCIETATE Domeſtica, Dominorum ſcilicet, & ſervorum; horumque recto juxta Leges Chriſtianæ Oeconomiæ regimine.

CAPVT PRIMVM.

Dominationis deſpoticæ, & ſervitutis origo; natura, finis, & diviſio.

SERVITVTEM, teſte Plinio, primùm Lacædemones invenere: quando quidem Cliomenes Lacædomonius ex ſervis manumiſſis, bellatorum novem millia conſcripſit; qui quoniam in bello non necabantur, ſed vivi ſervabantur, ſervi appellati ſunt. Antiquior tamen ſervitutis, & dominationis origo, quæ apud Hebræos, vetuſtiſſimis re[...] temporibus in uſu fuit, ut refert Ioſephus, [...]anaan filio Cham, qui fuit unus ex filiis Noë profecta. Hic enim cùm patrem ebrium humique jacentem vidiſſet, nec honeſtè jacentem, illum irriſit: quâ de cauſa à patre Noë ſervitute mulctatus eſt his verbis; *Servus fratrum tuorum eris* genes 9. Hinc patet, quid ſit ſervitus, quid Dominatio.

Servitus, juxta Ciceronem in paradoxis, eſt obedientia fracti animi, & abjecti, arbitrio ſuo carentis; Dominatio verò deſpotica, quædam eſt veluti Tyrannica in ſervum poteſtas. Dominus enim, ut docet Ariſtoteles, politic. c. 4. ſervi eſt Dominus ſolùm, ſed illius non eſt, ſervus autem; ita Domini ſervus eſt, ut non ſit ſui ipſius, ſed alterius, ſcilicet Domini: ex quibus patet, quæ ſit Dominationis, & ſervitutis natura. Quicumque enim non eſt ſuipſius, ſed alterius, non eſt ſui juris, nec liberi: ergo eſt ſervus. Quare differt deſpoticum imperium à Paterno in filios, & à Politico, ſive Regio in ſubditos; quòd illud ſolius Domini gratiâ, & ad ſolam ejus utilitatem per ſe primò inſtitutum eſt, contingenter verò in commodum ſervorum; paternum verò imperium ad filiorum, ſicut & Regium ad ſubditorum utilitatem per ſe primò; ſecundariò verò ad imperantium commodum ordinatur.

An verò quidam naturâ ſint ſervi, vel tantùm ſorte, & fortunâ, diſſidium eſt inter Philoſophos. Non nulli cenſent eos omnes, qui à natura hoc habent, quòd ſint fracti, & abjecti animi, naturâ eſſe ſervos; quia inquiunt, in omni humana ſocietate ordinata, debent eſſe, qui aliis imperent & qui imperantibus obediât qui verò à natura hoc habent, ut ſint fracti, & abjecti animi, ad imperiam non ſunt nati; ergo nati ſunt ad ſervitutem, quæ à Tullio definitur, fracti animi, & abjecti humilitas; qui corporis viribus pollent, ad ſerviendum aliis, non ad imperandum naſcuntur, & conſequenter ſervi ſunt, non fortunâ, & caſu; ſed naturâ. Contrarium tamen communiter cenſent, qui rectè ſentiunt, Nulli, inquiunt, ex hominibus, naturâ ſervi dicendi ſunt, quæ omnes homines æquales gignit, quibus, & rationem, & liberum tribuit arbitrium; omneſque ad imperandum, potius quàm ad ſerviendum naſcuntur; niſi fortè in ſervitute, & ex parentibus ſervis naſcantur. Sola animantia muta, & bruta naturâ, pro-

priè loquendo, dicenda ſunt mancipia, & ad ſerviendum nata, ut pote rationis, & libertatis expertia. Homo verò naturâ liber, fortunâ, & caſu fit ſervus; cùm bello capitur, & vivus ſervatur à victore; vel à proprio Domino alteri venditur, vel in ſtatu paternæ ſervitutis naſcitur. Ita Auguſtinus, lib. 14. de civitat. c. 53. Rationalem, inquit, hominem, & ad imaginem ſuam creatum noluit Deus, niſi irrationalibus dominari, non hominem homini; ſed hominem pecori. Inde primi homines juſti, paſtores pecorum magis quàm Domini, Regeſque hominum conſtituti ſunt; ut ſic inſinuaret Deus, quid poſtularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe ſervitutis jure intelligitur impoſita peccatori. Proinde nuſquam in ſacris Scripturis legitur, hoc nomen *ſervus*, niſi in filio Cham, qui ob injuriam patri ſuo Noë illatam, ab eo ſervus fuit appellatus. Nomen ergo illud culpa meruit, non natura. Natura enim omnes æquales, & liberos gignit, culpa diſtinxit. Vnde nomen etiam Domini apud antiquos maximè exoſum fuit quia indignum eſt hominem homini deſpotice imperare; hominem homini ſervire: quamvis lege olim civili, jureque gentium, ſervitus dominique in ſervos deſpotica poteſtas legitima ſit, & juſta habeatur: ut ipſe fatetur Ariſtoteles, nec deſint inter eos, qui circa legem verſantur, qui hujuſmodi jus tanquam tyrannicum damnent, quod apud Chriſtianos penitùs nolevit.

CAPVT II.

Quot ſint genera ſervitutis.

VErùm pro hujuſce quæſtionis majori notitia, à nobis declarandum eſt, quot ſint genera ſervitutum. Et quidem excluſa illa, quam aliqui fingunt, naturali, ſeu à natura ſervitute; plures aliæ, tam ab antiquis, & gentilibus Philoſophis Platone, Socrate, Ariſtotele, ſervitutes proponuntur; & quidem prima, nempe jure belli, quando ſcilicet homines in bello capti, à victoribus vivi ſervabantur, hâc lege ut ejus perpetuò ſubjicierentur Dominio, & inde ſervi dicti, quia in vita ſervari, æquo enim judicio obſervatum eſt; cùm nihil in hac vita optabilius ſit, quam ſalus corporis & ejuſdem vitæ conſervatio, ut qui, vitæ uſura à victoribus donati fuerant, illis toto vitæ tempore inſervirent. Secunda ſpecies ſervitutis, illa eſt quam ſervus incurrit; quando à ſuo Domino alteri venditur. cùm enim Dominus poſſit ea, quæ ſub ejus Dominio ſunt, vendere poteſt & ſervos, ſuumque jus in illos ad alterum transferre, ſicut & alia ſuæ familiæ bona. Et hæc ſervitus dicitur jure venditionis, & emptionis: utraque verò jure civili approbata, & jure gentium; & ſecundum utriuſque juris leges. Lex enim quædam eſt populorum conſenſio. Tertia ſpecies ſervitutis illa eſt, quando quis, propriæ libertatis parùm cupidus, urgente paupertate; ſeſe ſub ſpe mercedis, alterius Dominio deſpotico ſubjicit, ut ſeipſum, uxorem, & liberos alat: Qualem apud Venetos, cùm eſſem in Candia, vigere animaduerti. Hos verò vocant *de bonà volia*, hoc eſt, ſervos voluntarios, qui neque bello capti, nec empti; ſed liberâ voluntate mercede conducti ad triremes ſe damnant; Hancque ſervitutis ſpeciem Chriſtianæ Oeconomiæ leges non damnant; uniuſque enim ſui juris eſt, ſuæque poteſt naturali libertati cedere. Et hæc ſervitus dicitur mercenaria: quæ aliquando juxta venditionis contractum perpetua eſt, interdum, & hoc ut plurimùm. finito enim ſuæ deditionis tempore, priſtinam recuperant libertatem, & ad ſuos revertuntur, proprioſque penates, ut ex pecunia, quam tempore ſuæ ſervitutis comparatunt, uxorem, & filios nutriant. Quarta ſpecies illa eſt, & hæc virorum ſolummodo proborum & eximiâ Charitate in proximum, qui abſque ullâ ſpe temporalis mercedis, ſeſe barbarorum, & Gentilium acerbiſſimæ ſervituti addicunt, ut captivos Chriſtianos ab eorum ſervitute redimant, & hâc eximiâ charitate S. Paulinus Epiſcopus Nolenſis; S. Dominicus Patriarcha noſter, S. Tereſia flagrarunt.

Quinta, & hæc omnium peſſima, qua quis inordinatis utriuſque ſui appetitus affectibus, peccato, & Dæmoni ſervit; quicumque enim lethaliter peccat, *ſervus eſt* peccati, imò & Dæmonis, ut dicit Apoſtolus. Servitus autem præſtantiſſima eſt Deo ſervire: ſervire enim Deo, regnare eſt.

Advertendum adhuc diſcrimen eſſe inter ſervos, ſervitutis turpiſſimæ, qualis eſt eorum, qui vel in bello capiuntur vivi, vel qui ex ſervis parentibus naſcuntur; vel qui venduntur, & emuntur; vel qui mercede conducti, ſuam vendunt libertatem; & mancipia, eis ſcilicet; qui ad aliis inſerviendum aliquâ mercede temporali conducti, proprias deſerunt domos, & ad Dominorum ædes tranſeunt Hi enim propriè loquendo, ſervi non ſunt dicendi, quales erant, qui in bello capti; vel à ſervis parentibus orti, vel venditi & empti, ſed famuli potius appellandi. Servos autem, qui ex parentibus ſervis nati ſunt, vel qui fracti, & abjecti animi, & ad imperium nullo modo ex defectu judicii, & rationis idonei. Ariſtoteles, & alii ſervos naturâ vocant, ſed impropriè. Nullus enim homo, cum ſit rationis, & liberi arbitrii capax; naturâ ſervus dici debet, quæ omnes æquales gignit, & ad imperandum natos; ſola culpa diſtinxit. Sæpiſſime enim, ut infra ex Senecæ mente declarabimus, qui in bello capti ſunt, ingenio & ratione maximè vigebant; ut Homeri, Epicteti Æſopi, Diogenis exemplo comprobatum eſt; & ex ſervis quamplures ad Regiam evecti ſunt dignitatem, & è contra multò plures è Regio ſolio ad ſervitutem redacti ſunt adverſa fortunâ.

Quòd verò, qui jure belli ſervi facti ſunt, teneantur Dominis ſuis ſervire; hoc jus nedum naturale, & civile, ſed etiam divinum ſtatuit. Nam Deuteron. 20. Iudæis hæc à Deo lex data eſt. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si eam receperit; & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo.*

Quo verò fine ſervitus inter homines introducta fuerit, declarat Ariſtoteles, politic. 1. c. 4. his verbis: cùm finis domeſticæ, ſeu familiaris, ſicut & politicæ ſocietatis ſit bene, ac ſufficienter; & quietè vivere; quod ſine rebus neceſſariis ad vitæ naturalis, & temporalis, impoſſibile eſt; eget homo inſtrumentis, quibus ſibi ad vitam neceſſaria poſſit comparare. Inſtrumenta verò, alia ſunt inanima, alia ſunt animata: alia conjuncta, alia ſeparata. inanima ſunt, puta Gubernatoris navis clavus, quo navem regat; animata ſunt miniſtri, qui in artibus locum inſtrumenti tenent. Si enim poſſent inſtrumenta inanima ad juſtum, vel nutum Domini opus ſuum conficere, quemadmodum Dædali, aut Vulcani tripodes (quos ut canit

Poëta, ſponte ſuâ divinum in certamen prodiiſſe fama eſt) ſic & pectines ſponte ſuâ texerent, & plectra Cytharas pulſarent: nec architecti miniſtris, neque Domini ſervis indigerent. Servi ergo ad hunc finem inſtituti ſunt, ut Dominis ſerviant ad ea, quæ beatæ, & quietæ vitæ neceſſaria ſunt, comparanda. Vnde animata dicuntur, & ſeparata Dominorum inſtrumenta. Servus enim quædam eſt pars Domini ſui. Pars, inquam, quaſi animata quædam corporis; ſed ſeparata. Pars verò ſui non eſt, ſed corporis, ad cujus bonum tota per ſe primò ordinata eſt: ſic ſervus non eſt ſui, ſed Domini, ad cujus utilitatem potiſſimùm per accidens verò & ſecundariò ad ſui bonum refertur: quod de ſervis proprie dictis intelligi debet, videlicet de his qui jure belli, vel emptionis, & venditionis Dominis ſerviunt, jure gentium, & jure civili. Nam qui vel mercede conducti ſunt, & ſub ſpe illius ſerviunt, ut famuli, vel Vaſſalli, qui à Dominis prædia receperunt hac lege ut aliquod illis, aut obſequium, aut Vectigal præſtent; hi poſſunt aliquam & propriam intendere utilitatem.

Circa verò hos omnes patris familiæ regiminis cura verſatur. Familia enim nedum ex viri, & uxoris, parentum, & filiorum, fratrumque ſocietate, ſed etiam ex Dominorum, ſervorumque conſortio coaleſcit: imò familia à famulis nomen accepit. Cùm ergo familiæ partes ſint, nedum filii ſed etiam ſervi; poſtea clientes, qui ſeſe principalibus familiis, vel fide, vel fœdere devinxerunt ut tributarii, vaſſalli, & alii hujuſmodi, vel illis ſe commiſerunt, vel bona, ut agros & colenda ab illis receperunt, ut coloni, horum omnium regiminis cura ad patrem familiæ ſpectabit.

Alio autem modo, ut fuſe declarat Iavellus noſter in œconomicis, regendi ſunt ſervi in bello capti, vel venditi, & empti, vel in ſervitute parentum nati; alio modo, qui ex libera voluntate, vel ſpe promiſſæ mercedis, vel ex amore, aliorum ſe ſervituti addixerunt: alio modo famuli, alio modo clientes, vaſſalli, coloni: illi durius, iſti ſuavius tractandi: nullis tamen quæ ad corporis nutrimentum neceſſaria ſunt, deneganda; promiſſâque mercede nulli ſunt fraudandi. Vitanda tamen nimia cum illis familiaritas, nec cordis arcana illis aperienda; nec ab illis capienda ſæpe ſæpius conſilia, ut pote, qui fortè brevi jugum ſervitutis excutient. Omnibus virtutum exempla præbenda, omneſque ad virtutem, & Chriſtianæ religionis cultum promovendi, nedum verbo, ſed exemplo; verba monent, exempla movent. Pravatum actionum exempla domeſticorum mores corrumpunt. Circa quod Ariſtoteles lib. 1. Oeconomic. c. 6. opportunè dictum fuit à Perſa & ab Affro; ille interrogatus, quid equum maximè pinguem faceret, reſpondit, Domini oculus. Affer verò interrogatus, quinam optimus eſſet fimus ad agrum impinguandum, reſpondit; Domini veſtigia. Debet enim pater familiâs ſervos continuò obſervare, & ab illis obſervari, & imitari, præmium adhuc ſervis à Dominis, finiſque ſervitutis proponendus, libenter enim, addit Ariſtoteles; laboratur propoſito, & promiſſo præmio, & tempore præfixo. Non poteſt aliquis eorum eſſe Dominus, quibus merces nulla promittitur, nec perſolvitur. Servi autem merces, cibus eſt, & veſtimentum. Cibus ergo, veſtis, opera, animadverſio adhibenda eſt.

Sic erga ſervos Dominus ſe geret, addit Ariſtoteles, Oeconomic. c. 15. ut neque petulantes, neque remiſſos eſſe patiatur: utque liberalioribus aliquid honoris impertiat; & operariis ciborum copiam præbeat. Tribus ergo ſervi egent, operâ, ne otioſi ſint; cibo ne, in opere deficiant; ut in libris proverb. & Eccleſiaſt. ſæpe ſæpius traditur. Si cibus ſuppetat ſine opera, & animadverſione, petulantia innaſcitur. Cibus verò ſit moderatus, nec vinum niſi aquâ delibutum illis propinetur: inter opera, & flagella cibum non habere, injuſtum eſt, & violentum. Elidit enim corpus cibi inopia, vireſque frangit. Sed et ſervis infirmis medicamenta ſuppeditanda. Vnde lege Pii Imperatoris cautum erat quòd ſiquis, ſervum dum ægrotaret, vel famis tempore non aleret, jure Dominii, & Patronatus privaretur. ad opera verò facienda, ſervorum natio maximè opportuna eſt; ea præcipuè, quæ neque ignava, neque nimis fortis ſit; ambæ enim injuſtæ, & improbæ ſunt. Nam nimis ignavi nihil tolerant, & nimis fortes, & animoſi difficulter reguntur & ad adverſus Dominum rebellant. Si verò *ſit tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, & inopem ne dimittas. Eccleſ.*

CAPVT III.

De poteſtate Domini in ſervos.

SVmma, ne dicam iniqua (ſummum enim jus interdum, ſumma eſt injuſtitia) & prope Tyranica, deſpotica apud Gentiles, Dominorum in ſervos poteſtas, quibus, non ut hominibus, ratione, liberoque arbitrio præditis, ſed ut viliſſimis jumentis abutebantur; ita ut illos more pecudum venderent, turpiſſimis miniſteriis addicerent, flagellis cæderent; & inter ſæviſſima tormenta; ultimum vitæ Spiritum efflare cogerent. Apud Romanos, ſervus nequam, & contumax, plauſtro ligneo, cui affixus erat timo-furca dicta, collo impoſita, eaque quaſi jugo ſubactus, manibus poſt terga revinctis, per plateas, & alia loca publica circumferebatur & à ſingulis circumſtantibus Furcifer vocabatur, tunc poſt verbera, & cruciatus, & vincula, nudus, compedibus, nummuliſque, cathenis, ferreis, nervis, pedicis, boiis excarnificatus, cruci affigebatur. Aliquando etiam ſervi piſtrinis addicebantur, agroſque boüm more excolere, & arare cogebantur; quorum frontibus, laminâ ardenti inuſtâ nomen Domini imprimebatur, Litteratique ſummâ infamiâ vocabantur. Vedius Pollo Romanus murœnas ſui vivarii ſervorum ſanguine ſaginabat, & poſtea in vivarium murœnis devorandos objiciebat. O hominem exclamat Seneca: lib. 1. de clementia c. 8. mille mortibus dignum, ſive ſervos ſuos murœnis objiceret devorandos, quibus eſurus erat: ſive ad hoc tantùm illas alebat, ut ſic eas aleret. Infœlicibus ſervis apud Gentiles nulla erat libertas. Quàm ergo miſeranda apud illos ſervorum conditio? qui capite quaſi minuti, quidquid acquirebant, Dominis ſuis acquirebant; quibus nec teſtari, nec filiis hæreditatem relinquere, nec libertatem donare licebat. Quos verò natura liberos fecerat, adverſa fortuna ſervos conſtituit. Servus, ait Innocentius Papa, cogitur pati, & nemo ſinitur compati; dolere compellitur, & nemo condolere permittitur. Quàm miſerum alienâ

vivere quadrâ ſervis, ait Seneca, Epiſt. 47. nec movere quidem labra, ut loquerentur, olim permittebatnt. Virgâ omne murmur compeſcebatur; tuſſis, ſternutamentum, ſingultus, vel minimâ voce interpellatum ſilentium verberibus luitur, noctéque totâ jejuni perſtaut.

Verùm Imperator Pius, aliique ſequentes Imperatores ſalubriter conſuluerunt, ne Dominis plus æquo in ſervos ſævire liceret; neve Domini ſervos quotidianis verberibus cæderent. Hadrianus Imperatot ſervos à Dominis occidi vetuit; Sed ſiquid deliquiſſent, Prætoris judicio, puniendos eſſe præcepit. Et Ambriciam Matronam, quæ in ſuas ancillas ſupra modum ſæviebar, in quinquennium ab urbe relegavit; quæ Romana Oeconomia, Chriſtianæ Oeconomiæ legibus conſonat. Chriſtiani enim Imperatores ſervitutem illam antiquam, quæ apud Barbaros Gentes vigebat, abrogarunt. Nec mirum Chriſtiani enim ſub lege gratiæ vivunt, quos Chriſtus ex ſervis fecit liberos.

Apage ergo crudelis illa, & penè Tyrannica Dominorum in ſervos Dominatio; apud Gentiles etiam, & Barbaros interdum exoſa, qui legis naturalis dictamen ſequebantur. Romani olim, Oeconomum, patrem familiæ appellarunt; ſervos familiares. Feſtum adhuc inſtituerunt; quo non ſolùm cum ſervis veſcerentur, ſed eodem tempore, honores illis in domo gerere, jus dicere permiſerunt, Domumque puſillam quandam eſſe Rempublicam judicarunt: inde Feſta Saturnalia ad honorem ſervorum inſtituta, quorum tempore Dominorum poteſtas vacabat; ſervorum autem vigebat auctoritas. Dicet nunc aliquis, ait Seneca, ubi ſupra, me vocare ſervos ad pileum. & Dominos de ſuæ Dominationis faſtigio dejicere eoquòd dixi; colant potius Dominos ſuos ſervi quàm timeant. Rectiſſimè tamen Lucili, te facere judico, qui ſervos tanquam contubernales, & familiares, & humiles amicos ad tuam menſam advocas, melius eſt quòd te ament, quàm timeant, qui enim à ſervis timentur, omnes timent. Servis Dominorum ſuorum vita, quies, bona omnia familiæ ſubjiciuntur; illi pro ſalute Dominorum, quando ab illis amantur, vigilant; pro ejus cuſtodia excubant, pro illis indefeſſe laborant. Securus eſt Dominus, quem Amor ſervorum tuetur.

CAPVT. IV.

Quomodò, ſe erga ſervos, juxta Rectæ nedum Chriſtianæ, ſed & naturalis Oeconomiæ leges, Domini gerere debeant.

Libenter ex his, quæ à te veniunt, cognovi, ait Seneca, Epiſt. 47. ad Lucilium, familiariter te vivere cum ſervis tuis. Hoc prudentiam, tuam decet; ſervi ſunt? imò homines. Servi ſunt? imò contubernales; ſervi ſunt, imò humiles amici. Servi ſunt; imò humiles amici. Quare arrogantiæ proverbium illud jactatur: tot eſſe hoſtes, quot ſervos. Non habemus illos hoſtes, ſed facimus, quibus non tanquam hominibus, ſed tanquam jumentis abutimur. Stare ante limen Calliſti Dominum ſuum vidi, Dominus Calliſtum vendidit: ſed Domino quàm multa Calliſtus? vis tu cogitare iſtum quem ſervum tuum vocas; ex eiſdem ſeminibus ortum; eodem frui cœlo eumdem aërem ſpirare, æquè vivere potes, quâm ille te ſervum. Mariau. c ade, quàm multos ſplendidiſſimè natos fortuna depreſſit? alium ex illis paſtorem alium cuſtodem caſæ fecit. Contemne nunc ejus fortunæ hominem, in quam tranſire, dum contemnis, potes. Et ego, inquis, nullum habeo Dominum. Bona ætas eſt, forſitan habebis. Neſcis quâ ætate Hecuba ſervire cœperit; quà Crœſus; quâ Darii Mater, quâ Plato, Nolo in ingentem me locum immittere, & de uſu ſervorum diſputare, in quos ſuperbiſſimi, crudeliſſimi, contumelioſiſſimi ſumus. Hæc tamen præceptorum meorum ſumma eſt; ſic cum inferiore vivas, quemadmodum te cum ſuperiore velles vivere. Quoties in mentem tuam venerit, quantum tibi in ſervum liceat, veniat in mentem tantumdem in te Dominum ſervo licere. Colant potius te quàm timeant. Idne parum Dominis erit, quod Deo ſatis eſt, qui colitur, & amatur. Servus eſt, inquis, oſtende, quis non ſit ſervus? alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni ſervit; omnes timori. Nulla verò ſervitus turpior, quàm voluntaria Nulla turpior, quam inordinatis utriuſque appetitus affectibus ſervire, quàm carni, & ſenſibus inſervire. Servi ſunt, inquis, ſed liberi ſunt animo. Errant, qui exiſtimant ſervitutem in totum hominem deſcendere. Pars melior ejus excepta eſt. Corpora ſubjecta ſunt, & obnoxia Dominis; mens verò ſui ſemper juris eſt, adeoque libera eſt, & vaga, ut nec ab hoc quidem carcere, in quo corpus incluſum eſt, teneri queat, quominus impetu ſuo utatur, & in cœlum tendat. Corpus ergo eſt quod Domino fortuna tradidit; hoc emitur: hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non poteſt. Ab hac quidquid venit liberum eſt. Præclara hæc omnia. & Chriſtianæ Oeconomiæ circa ſervorum regimen maximè conſentanea. Gentilibus enim Philoſophis rationis naturalis lumen non defuit, quæ prædicta omnia Senecæ præcepta dictavit. Numquid liber, imò liberrimus Diogenes ille apud antiquos adeo decantatus, qui cum ex libertate in ſervitutem venundaretur, eumque, quidam emptor interrogans, quam artem calleret, reſpondit Diogenes, novi hominibus liberis imperare. Quo audito, emptor eum manumiſit, filioſque ei tradens erudiendos, ait, liberos meos tibi trado, quibus imperes.

CAPVT V.

Servorum erga Patronos obſequia.

Qui negat, ſervum dare poſſe aliquando Domino ſuo beneficium, ignarus eſt juris humani, ait Seneca lib. 3. de benefic. c. 18. refert enim cujus animi ſit qui præſtat, non cujus ſtatus aut conditionis, nulli præcluſa virtus eſt; omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, liberos, ſervos, Reges, & exules. Non eligit domum, nec cenſum, nudo homine contenta eſt. Si non dat beneficium ſervus Domino, nec Regi quiſquam ſuo; nec Duci ſuo miles. Quid enim intereſt quali quiſque teneatur imperio, ſi ſummo tenetur: atqui dant Regibus ſuis beneficia ſubditi; dant Imperatoribus, ergo & ſervi Dominis. Poteſt eſſe ſervus juſtu; poteſt fortis eſſe & magnanimus: ergo & beneficium dare poteſt: nam & hoc virtutis eſt. Non eſt dubium quin ſervus dare poſſit beneficium alteri; Quare non & Domino ſuo dabit?

Beneficium, inquis eſt actio libera, ſervus autem

libertatem

libertatem amiſit : ſed corporis , non animi libertatem ſervus amiſit. Pars hominis melior eſt animus,beneficium autem eſt benevola animi actio Sed inſtas : non poteſt creditor Domini ſui fieri , ſi pecuniam illi dederit, alioquin quotidie Dominum ſuum obligat, peregrinantem ſequitur ; ægro miniſtrat, & labore ſuo colit. Omnia tamen iſta, quæ alio præſtaute, beneficia dicerentur, præſtante ſervo , miniſteria ſunt non beneficia. Beneficium enim eſt, quod quis dedit, cùm liceret & non dare ; ſervus autem non habet negandi poteſtatem : ita non præſtat beneficium : ſed ſolvit quod debet, & paret. Adde, quòd ſervus non eſt ſui juris, & quidquid acquirit, Domino ſuo acquirit. Etiam ſub iſta lege, addit Seneca vincam, & eo perducam ſervum, ut in multis liber ſit, & ſui juris, ſi tibi oſtendero aliquem ſervum pro ſalute Domini ſui, ſine reſpectu ſui dimicantem, & confoſſum vulneribus, reliquias tamen ſanguinis ab ipſis vitalibus fundentem, & ut ille effugiendi tempus habeat, moram ſuâ morte quærentem. Hunc tu beneficium negabis Domino ſuo dediſſe, quia ſervus eſt. Si tibi oſtendero ſervum, ut ſecreta Domini prodat, nullâ Tyranni pollicitatione corruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus victum, hunc tu negabis beneficium Domino dediſſe ; cui non naturâ, quæ omnes homines liberos fecit, ſed adversâ fortuna addictus eſt ; quem ſemper timet, â quo ſæpe immaniter flagellatur, & tanquam jumentum tractatur ; hunc tu beneficium, cum illa præſtitit, Domino ſuo dediſſe negabis. Forte, non ideo beneficium non eſt, inquis, quia à ſervo productum eſt, ſed ideo majus, quia deterrere ab illo nec ſervitus quidem potuit.

Certiſſimum tamen eſt juxta omnes tam naturalis, quàm Chriſtianæ Oeconomiæ leges, ſervos Dominis ſuis, innumera debere officia, & quidem miniſteria, obſequia, amorem, reverentiam, timorem, obedientiam ; ita tamen quòd nihil contra Dei cultum, & contra Rempublicam, Reges, & commodum publicum Domini ſervis præcipiant.

CAPVT VI.

Quomodo ſervi olim libertate donabantur.

O*Mnia ſi ferre potes, & debes ; pulſandum vertice raſo præbebis quandoque caput : nec dura timebis flagra pati ; his epulis, & tali dignus amico,* his verbis Poëta amicum hortatur, ut poſt duriſſimæ ſervitutis jugum ſeſe in libertatem vindicet, quâ olim ſervi à Dominis donabantur, libertique, ſive manumiſſi ex mancipiis fiebant. Fuit enim antiqui moris, ut qui ex ſervitute in libertatem vocaretur, raſo capitè, ad Prætorem iret ; apud quem bis, terque caput percuſſus, vel per lictorem percuti juſſus, virgulâ, quæ Vindicta dicta eſt aut feſtucâ in eum jactâ, cùm eum vertiſſet Dominus, prætoris juſſu, ſervitute eximebatur; quiſque libertatem eo modo nactus fuerat, manumiſſus vindictâ dicebatur. Quo genere manumiſſionis libertatem unâ, & civitatem Romanam aſſequebatur. A Vindicio autem Vitelliorum, ſeu Aquiliorum ſervo, qui primus ob detectam conjurationem, libertate, & civitate donatus eſt, hujuſmodi manumiſſio vindicta fuit appellata. Raſo verò capite, qui liberi fiebant, quaſi tempeſtatem effugiſſent, triumphantis currum proſequi conſuevere. Apud Lacædemones verò fronde coronati incedebant : templaque circumibant. Triplex adhuc apud Romanos erat libertatis & manumiſſionis ſpecies. Prima, quæ Prætoris auctoritate, modo ſupra à nobis explicato fiebat, major, & vindicta appellata, quâ liberati civitate donabantur. Secunda, quæ teſtamento in æde ſacra, vel ante Conſulem fiebat. Tertia, quæ cenſu acquirebatur. Quo etiam manumiſſionis genere civitatem Romanam aſſequebantur. Epheſi, qui ad Dianæ templum : Romæ verò, qui ad Imperatorum ſtatuas, velut ad Aſylum confugerant, mancipio ſolvebantur. Athenienſibus Theſei ſepulcrum id juris habuit, ut ſervi ; qui ad illud confugerent, nexu ſolverentur. Tiberius verò Cæſar, ne impunita forent crimina, immunitates aſylorum abrogavit.

CAPVT VII.

Acerbiſſima omnium ſervitutum, & maximè miſeranda eorum ſervitus, qui vitiis, peccatis, & Dæmoni ſerviunt.

S*I mei non fuerint Dominati, tunc immaculatus ero ; & emundabor à delicto maximo. Pſal* Hoc ex Regio Vate quotidie Deo canimus : qui verò ſint illi mei, ſeu domeſtici Domini, quodue ſit delictum maximum, à quo mundantur illi, qui ſuis non obtemperant. Variæ circa hanc quæſtionem ſacræ Scripturæ interpretum ſententiæ. quidam hæc Regii vatis verba ad parentes referunt qui ut liberorum pravis deſideriis annuant, adverſus Deum rebellant, ejuſque præceptis obtemperare detrectant ; ſed miſſis aliis interpretationibus, huic nunc adhæreo, per meos, intelligi debere proprios affectus, qui verè noſtri ſunt Domeſtici, & contubernales : his quicumque contra rectæ rationis dictamen, Deique præcepta parent, magnum, imò maximum delictum perpetrant. Et quidem primò ; contra legem naturæ peccant, quæ libero noſtro arbitrio utrumque appetitum noſtrum ſubdidit, juxta illud Genes. 2. *ſub te erit appetitus tuus.* Caro enim ad quam ſpectant uterque appetitus, cum omnibus affectibus, rationi naturali, tanquam ſuperiori debet ſubjici; maximum ergo delictum eſt, inordinatis carnis affectibus contra legem naturæ ſubjici ; contra Deum adhuc rebellat homo carnalis, qui legem naturæ inſtituit, & in ſingulis Decalogi præceptis, præclarum hoc ſupra inordinatos affectus Dominium nobis intimat.

Quàm ergo acerba, & miſeranda eorum ſervitus, qui inordinatis utriuſque appetitus affectibus parent ; tot enim ſæviſſimis, nedicam Dominis, ſed Tyrannis, adverſus Deum obtemperant ; itaut Deus ipſe, cùm impium deſerit, ſuis tradat deſideriis, tot veluti tortoribus cruciandum, *reliquit eum,* inquit ſacer textus, *in manu deſideriorum ſuorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. &c.* Prava enim deſideria impium ad omnia ſcelera perpetranda inducunt. *Qui* verò *facit peccatum, ſervus eſt peccati,* imò & dæmonis, qui peccatorum funibus illum conſtringit, juxta illud Pſal. *funes peccatorum circumplexi ſunt me ;* funes iſti longe acerbiores, quàm pedicæ, & cathenæ, quibus olim ſervi à Dominis ſuis conſtringebantur. Lugebam miſer, exclamat Auguſtinus, olim peccati ſervus, lugebam

Digitized by Google

non ferro, ſed ferreâ victus meâ voluntate. Velle enim meum tenebar inimicus Dæmon, & inde cathenam mihi conſtrinxerat &c. Vnde Regius Vates ad Deum quoridie clamabat, *ne tradas Domene ſceptrum his qui non ſunt. Servi Dominati ſunt noſtri.* Peccarum nihil eſt; mera enim eſt, quoad ſuum formale, ut docent Theologi, rectiudinis, & honeſtatis moralis privario. Dæmon ipſe poſt lapſum, ad nihilum redactus eſt: utriuſque appetitus affectus, naturâ ſunt ſervi, rationi enim naturali, tanquam ſuperiori ſuo ſubjici debent: his ergo qni non ſunt, ſerviſque noſtris ſubjicimur, quando inordinatis affectibus obremperamus, quando vitiis ſervimus, peccara perpetramus, & Dæmonum pravis ſuggeſtionibus non obſiſtimus. Miſeranda, & omnium ſervirutum acerbiſſima ſervirus, quâ inordinaris cordis deſideriis, quâ peccato & Dæmoni ſervimus: ferrea hæc ſervitus, & æternæ reprobationis præcipua nota: quos enim Deus æterno reprobationis & efficaci decreto à cœleſti, & æternâ gloriâ excluſit, hos in tempore, in manus ſuorum deſideriorum tradit, cruciandos, & in æternum damnandos.

Pudeat? pudeat homines naturâ liberos, quibus Deus Mundi ſummus Rector, omnia hæc ſub lunaria ſubjecit. *Subjeciſti*, inquit Regius Vates *omnia ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris: conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum* cui & ipſi Augeli inſerviunt, *omnes enim ſunt adminiſtratorii ſpiritus; propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis,* ut dicit Apoſtolus, pudear, inquam ingenuos, liberoſque homines, præ cœteris hominibus Chriſtianos, qui ſub lege gratiæ vivunt, & à Chriſto Domino verâ donatos libertare, infami, & acerbiſſimæ, tum viriorum, tum Dæmonum voluntariè, propriâque ſponte ſubjiei ſervituti, Gratias verò tibi Chriſte, qui nos à turpiſſima hac, & acerbiſſima liberaſti ſervitute, cui ſervire, regnare eſt.

CAPVT VIII.

Chriſtus ab infami, & acerbiſſima vitiorum, ac Dæmonum ſervitute nos redemit, veramque nobis attulit libertatem, cui ſervire, regnare eſt.

QVid ſervo, cathenis ſerreis, compedibuſque jam diu conſtricto, oprabilius, quàm ab illis abſolui, manumitti, ad pileum revocari, priſtinamque conſequi libertatem? libertate nihil pulchrius; ad illam vota omnium tenduot; pro illa, ſicur pro aris, & focis omnes pugnant: non enim *pro toto libertas venditur auro.* Iam à quinque mille annis totum Genus humanū ſub duriſſima & ſordidiſſima Dæmonis Tyrannide gemebar, cujus miſertus Dei filius, è ſinu patris in uterum caſtiſſimæ, & Sanctiſſimæ Virginis deſcendit, & humanâ carne indutus Dæmonem, qui mundi principatum uſurpaverar, in eruce vicit, noſque ab ejus ſervitute redemit.

Illi ergo ſoli, tanquam vero, & legitimo Principi, ac Domino ſerviendum Secundùm omnes juſtæ ſervituris leges, ſecundùm omnia rectæ Dominationis jura. Servi, ut ſupra declaravimus, alii ſunt naturâ ſervi, alii jure belli; alii jure emptionis, & vendirionis, alii jure ſpontaneæ deditionis. Naturâ illi dicuntur ſervi, qui abjecti ſunt, fractique animi, nec ad imperium nati: quare ſapientibus, & eximiâ virture præditis parère debent. Iure belli ſervi dicuntur; qui in bello capti, vivi ſervantur; jure emptionis, qui pretio aliquo redimuntur. jure ſponraneæ deditioois, qui vel ſub ſpe mercedis, quâ conducti ſunt, vel amore, aliorum ſe ſubjiciunt imperio; omnibus verò illis titulis, & juribus, Chriſti, tanquam legitimi Domini ſervituri omnes homines ſubjici tenentur: & quidem quia ſapienriâ, juſticiâ & ſanctitate cœteros omnes homines tranſcendit; jure belli, quia Principem hujus mundi Dæmonem, qui genus humanum, ſuâ ſub Tyrannide renebat captivum, in cruce debellavit, noſque liberos reddidit. Iure emprionis, quia pretioſo ſuo ſanguine nos redemit. Iure voluntariæ deditionis quia in ſacro fonte Bapriſmi eum publicâ confeſſione, fideique Chriſtianæ profeſſione Regem noſtrum, ac ſupremum Dominum elegimus, agnovimus, proclamavimus, Dæmonis Tyrannicum Dominum abdicantes, ejuſque fallacibus pompis renunciantes. Quis modo Chriſtianorum poſt ſolemnem hanc profeſſionem, quæ eximiâ non fruſtrabitur mercede, ſervire Chriſto recuſabit? ſervire enim Chriſto, regnare eſt. Quàm ampla hæc merces, quâ triplex eximia liberras, triplexque corona, triplexque glorioſum regnum comparatur. Triplex quidem libertas, videlicet à peccato, à Dæmone, & ab antiqua, jure gentium, & eivili approbara ſervitute. A peccaro quidem, quia Chriſtus in cruce pro à peccatis omnium ad æqualitatem, & de toto rigore juſtitiæ, Patri æterno ſatiſfecit. A Dæmone, quia in eadem cruce aëreas omoes poteſtates debellavit: ab antiqua jure gentium approbata ſervitute, quam Chriſtiani Imperatores, in gratiam, & gloriam Chriſti abdicarunt.

Chriſti adhuc honorificæ ſervituti addicti triplicem coronam, triplex que regnum comparamus: & quidem primò Dominium ſupra crearuras inanimes, & ſupra animaotia, quod Deus Adæ in prima ſua conſtiturione dederat dicens; *Dominamini omnibus beſtiis terræ, volucribus aëris, & piſcibus maris.* Apoſtolis enim, & innumeris aliis Chriſti ſervis creaturæ illæ obtemperarunt. Coronam alteram ſervi Chriſti conſequuntur, perfectum ſcilicet ſupra utrumque appetitum, ejuſque affectus Dominium, virtute gratiæ; quibus tertia in cœlo corona gloriæ ſervatur

Gratias ribi adhuc immenſas & immortales Chriſte omnium hominum Redemptor, totiuſque orbis Domine agimus, quos à turpſſima, & crudeliſſima vitiorum, Dæmonum, nec non Gentium Barbararum ſervitute, proprio tuo ſanguine redemiſti. Tu licet Rex Regum, & Dominus Dominantium, non ad imperandum aliis, ſed ad inferioribus ſervieodum è cœlo ad terram veniſti, *non veni*, inquis, *mineſtrari, ſed meniſtrare.* Tu Ioſepho, & ſanctiſſimæ ejus ſponſæ ſubditus ſemper fuiſti. Tu Pilato Iudici iniquiſſimo paruiſti. Tu Regno Iudæorum, quod triplici titulo tuum erar, ceſſiſti. Nos ergo, clemenriſſime Rex, in tuam familiam recipere digneris: ſervi tui ſimus, & de hac ſervitute gloriamur.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

DE REI FAMILIARIS, SIVE bonorum Domeſticorum regimine.

D*VÆ præcipuæ ſunt domus partes, homo ſcilicet, & res familiaris, ſeu facultates temporales, ait Ariſtoteles, juxta Heſiodi ſententiam:* Principio domum, & uxorem, taurumque jugalem. *Et inter homines ſunt vir, uxor, filii filiæque, ſervi & ancillæ; inter res familiares, & facultates, ſunt greges pecorum, armenta boüm, agri, ex quorum fructibus & carnibus familia ſuſtentatur, aliaque hujuſmodi bona terrena; ut merces, & nummi. Servi ab Ariſtotele inſtrumenta dicuntur animata, agri, merces, nummi inſtrumenta inanimata. Expeditis ergo, quæ ad hominum, uxoris ſcilicet, filiorum, & ſervorum regimen ſpectant, nunc de recta rei familiaris, ſeu redituum adminiſtratione, quæ curæ patris familiàs ſubjicitur, pauca ſubjicienda ſunt, quibus tractatus iſte de Chriſtiana Oeconomia abſolvetur.*

CAPVT I.

Quomodo Domus ſit conſtruenda, necnon conſervanda.

OLIM ſi fides ſit penes Senecam Epiſt.90. aureo illo ſæculo, non tecta aurea, cœnationum epulas receptura parabantur; nec in hunc uſum pinus, aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illis lacunaria auro gravia penderent. Furcæ utrimque ſuſpenſæ fulciebant caſam ſpiſſatis ramalibus, ac fronde congeſtâ, & in proclive diſpoſitâ, ut imbrium decurſus ſiſterentur: Vel ſub aliqua rupe ſuffoſſa, aut exæſæ arboris trunco habitabant, vel virgeâ crate propriis manibus contextâ, vilique oblitâ luto: deinde ſtipulâ, aliiſque ſylveſtribus operto faſtigio, pluviis per decurſum labentibus, hyemem fœlliciſſimi illi homines tranſiere ſecuri. Culmus liberos texit; ſub marmore atque auro ſervitus habitat: mihi crede Lucili Fœlix illud ſæculum ante Architectonas fuit. Iſta nata ſunt jam naſcente luxuriâ, in quadrarum tigna deciderunt, & ferro deſignata currente, certâ manu trabem ſcindere.

Ejectis ergo tot domorum ornamentis, utpote ſuperfluis, curabit pater familiàs, ait Ariſtoteles, 1. Oeconomic. c. 6. domum ad ſanitatem precipuè, jucundumque uſum aptam conſtruere. Quod ut faciliùs conſequatur, ſic illius ſtructuram diſponet, ut Æſtate ventis expoſita ſit, & hyeme ſoli. Quare Aquilonem ſpectabit, & non æquali latitudine, variis fontium irrigata fluentis; ubi & hortum fructiferis arboribus, pulcherrimis floribus conſitum habebit. Nec in arena, ſed ſuper firmam petram illam fundabit, ut monet ſapiens his verbis. Sapiens ille qui domum ſuam ſupra petram fundavit.

Domus autem non ſine cuſtodia relinquetur, ſed præficiendus illi janitor, ex eorum numero, qui non ſunt utiles ad opera facienda; ut ſalva ſint, quæ efferuntur, & inferuntur. Ad expeditum autem vaſorum uſum Laconica ratio multùm proderit: Nam cuncta ſuo loco debent eſſe repoſita; ſic enim, cùm requirentur, in promptu erunt. Vbi verò facultates ſunt exiguæ, utilis eſt Atticorum ratio in fructibus diſponendis: in magna autem rerum copia, diviſis impendiis annuis, atque menſtruis; itemque vaſorum uſu quotidiano, & rariore. Iſta deinde Præfectis tradentur; ut quælibet propriis incluſa locis melius ſerventur, & poſt certum tempus inſpicientur, ne ignoretur, quid ſalvum ſit, & quid deſideretur. Domus verò accommodanda eſt ad facultates, & ad ſanitatem, & ad incolentium jucundum uſum: ad facultates inquam, ut conveniant fructibus, & veſtimentis; itemque fructibus aridis, & humidis, quibus ſervandis loca perflabilia propria ſunt, item loca tum ſervis, tum liberis, tum mulieribus, tum viris, tum civibus, tum hoſpitibus, tum animalium habitaculis aptanda ſunt.

CAPVT II.

De recta facultatum, & redituum, aliorumque bonorum familiarum adminiſtratione.

QVatuor Ariſtoteles lib. 2. Oeconomic. c. 1. conſtituit domeſticæ circa res familiares adminiſtrationis formas; Regiam ſcilicet, Satrapicam, civilem & privatam, quæ quatuor politici regiminis ſpeciebus reſpondent. Regiam adhuc in quatuor formas ſubdividit, in nummulariam, in artem exportandarum mercium; & in artem importandarum in domum, & in rerum domeſticarũ impendendarũ. Satrapicam adhuc formam in varia genera dividit; videlicet, in agrorum rectam culturam; in pecorum gregum, & armentorum boüm curam, in curam congregandæ pecuniæ, in curam exigendi tributa, vectigalia, penſiones, & hæc regiones omnes, quæ ſub ditione Regum ſunt, reſpiciunt. Alia verò propria ſunt alicujus regionis, alicubi enim au-

tantur. De hac materia infra in politicis; quare hæc ſufficiant ad œconomicæ diſciplinæ notitiam.

CAPUT V.

De fœnore, ſive uſurâ, & an ad propriæ familiæ commodum perfecto œconomo liceat illâ uti.

Mercaturam inter artes ad acquirendas facultates idoneas, ſed ignobiles, Ariſtoteles reponit.1. Polit.c.11. Eamque in duas ſpecies dividit, ut una reali mercium commutatione, alia nummo exerceatur. Hæc adhuc duplex, una, quâ merces pro nummo commutantur, ſive emuntur, & venduntur, quæ propriè mercatura dicitur. Alia, cujus arte nummus ex nummo comparatur, quæ vulgo fœnus vel uſura appellatur: Prima laudabilis eſt, juri naturali conſentanea & ſocietati, tum domeſticæ ſeu familiari, tum politicæ neceſſaria, nec legibus Oeconomiæ Chriſtianæ contraria. Secunda tum lege naturali, tum divinâ, tum humanâ civili, & Eccleſiaſticâ prohibita, quam omnes Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores damnant, & ad eam à fidelium ſocietate eliminandam omnes divini Verbi concionatores, quotidie prædicant, etiam cum periculo vitæ hujus temporalis. Sic enim S. Ambroſius Sanſedonius, Senenſis, eximius ſacri noſtri Ordinis concionator, Senis prædicans Evangelium, cum adverſus fœneratores, & uſurarios, acerrimè invehcretur, rupta cordis venâ, ſpiritum ultimum vitæ emiſit, Martyr revera dicendus juſtitiæ, pro quâ vitam hanc temporalem amiſit, ut æternam in cœlo comparatet: fœnus, ſeu uſura legi naturæ contradicit; quare, & à gentilibus Philoſophis, qui legem naturæ ſequebantur minimè approbatâ, hanc enim Plato, Ariſtoteles damnant. Legi divinæ utriuſque teſtamenti adverſatur, ut patet ex omnibus ſacræ Scripturæ paginis. Contra illam Regius Vates in Pſalmis apud Deum exclamat: adverſus illam Concilia Eccleſiæ Romanæ, tam Provincialia, quàm Generalia inſurgunt. Illam S. Patres, & Eccleſiæ Doctores infamant; præ cœteris legatur Ambroſius, lib. contra fœneratores. Nec mirum. Odio certe ſummo abominanda eſt, quia nec ſecundum legem naturæ, nec ſecundum legem divinam, tam ſcriptam, quàm inditam introducta eſt, quoniam à nummo facit acquiſitionem, ad quam nummus non eſt inductus. Nummus enim ad ſolam commutationem fuit excuſus: fœnus autem ſeipſum majus fuit, unde & nomen accepit. Illa enim omnia quæ patiuntur, ſimilia ſunt gignentibus; in fœnore autem nummus nummi inductus fuit; quare præter naturam maximè eſt hic acquirendi modus; quia nummus ex natura ſterilis eſt, reſque infœcunda, nec ad alterius nummi generationem ordinata. Ergo ex natura ſua mala eſt, ut pote naturæ contraria, Deo, & probis hominibus exoſa.

Quare ab illa ſapiens Oeconomus, & perfectus pater familiàs debet abhorrere: aliæ enim ſunt honeſtæ, rationabiles, & licitæ viæ ad comparanda, quæ enutriendæ familiæ ſunt neceſſaria, ut Agricultura, & hæreditas paterna, & ſi neceſſe ſit, ipſa mercatura.

QUÆSTIO VII.

ERRORES OECONOMICÆ Diſciplinæ apud Gentiles.

CAPUT I.

OECONOMIA, ut ſupra demonſtravimus, nihil aliud eſt, quàm Regimen Domus, ſeu familiæ, Domeſticorum, & familiarium. Nam ut docet Ariſtoteles, 1. œconom. ſicut civitas, quæ ex domibus, & pagis componitur, indiget regulante, & imperante, ſic & domus. Unde dominium Reipublicæ, vel Regni, & Dominium domus ſive familiæ ſe habent, ut Dominium publicum & privatum. Domus autem, non prout ſignificat ædificium ex fundamentis, & parietibus, & tecto, ſed prout dicit plurium perſonarum in tali ædificio habitantium, & ſimul viventium ſocietatem, eſt ſocietas conſtituta primò ex duabus combinationibus perſonarum, ſcilicet ex mare, & fœmina, ſive ex viro, & uxore; ex qua procedit combinatio parentum, & filiorum, & ex dominante, & ſubdito, ut communicent in quotidianis actibus humanæ vitæ, ſine quibus homines ſervari non poſſunt, & hæc ſocietas eſt naturalis ad bene & fœliciter vivendum ordinata. Verùm ad bene vivendum, id eſt ad ſufficientiam vitæ humanæ, quamdiu in terris homines degunt, requiruntur ſervi, & poſſeſſiones fructiferæ, ſcilicet agri, & pecuniæ; quare præter combinationem viri, & uxoris, & combinationem parentum, & filiorum, alia deſideratur, ſcilicet Dominorum, & ſervorum; quibus quarta addi debet conſervativa domus, quæ communi nomine poſſeſſio appellatur. Domus autem præcipuæ partes ſunt homo, & poſſeſſio; per hominem intelligit Ariſtoteles, liberos homines, virum ſcilicet & uxorem, parentes, & filios; per poſſeſſionem, ſervos, jumenta, agros, pecuniam, & omnia acquiſita pro neceſſitate Domus, ſeu familiæ. Unde Heſiodum citat Ariſtoteles, paucis verbis pro recta œconomia hæc omnia contrahentem: *Adeſſe convenit domicilium in primis, virum, mulieremque, & bovem aratorem pro conſervatione vitæ.* Vir quidem, & mulier quia ex legitimo conjugio proveniunt liberi. Quare in Diſciplina rei familiaris, rectæque œconomiæ, oppottet primùm, ait Ariſtoteles, rectè diſponere quæ ad conjugium, & liberorum inſtitutionem ſpectant. Secundò, quæ ad ſervorum diſciplinam. Tertiò, quæ ad conſervationem poſſeſſionis, ſive acquiſitionem victus per agriculturam vel mercaturam, & uſum pecuniarum,

de quibus ſupra fusè diſputavimus toto hoc libro œconomiæ.

Circa verò hæc omnia turpiſſimè Gentiles errarunt; & quidem præcipuè circa conjugium ut Plato & Socrates, qui ſtatuunt uxorum communitatem; circa liberorum rectam adhuc educationem, nec non ſervorum diſciplinam, quorum errores ſupra retulimus & confutavimus. Nec mirum, cùm Deum, totius rectæ œconomiæ auctorem & ultimum finem ignorarent, veramque fœlicitatem, quæ finis eſt omnis ſocietatis, tam familiaris, quam politicæ. Quare è cœlo magnus animarum œconomus Chriſtus, pater novi ſæculi, Princeps pacis deſcendit, ut antiquæ gentilium œconomiæ errores corrigeret, novamque, ſcilicet Chriſtianam conderet œconomiam.

CAPUT II.

Chriſtus antiquæ Gentilium œconomiæ reformator, novæque Chriſtianæ conditor.

P*Arvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Eſaiæ 9. Hæc Eſaiæ Prophetia in Chriſto impleta eſt, quando ex Sanctiſſima Virgine natus, & in domo ſanctiſſimi ejus Sponſi Ioſeph educatus, & enutritus, novam, & Chriſtianam familiam, & œconomiam in terris condidit: in hac enim Sacroſancta invenitur trium Perſonarũ ſub ejus domus tecto habitantiũ ſocietas, ſanctiſſimi ſcilicet Ioſeph, & Deiparæ Virginis, & Chriſti Domini. In hac vir, & uxor, legitimo conjuncti matrimonio: In hac Chriſtus verus, & naturalis Mariæ Virginis filius; *Pater revera futuri ſæculi*, qui Eccleſiam ſibi in cruce deſponſavit, ex qua innumeram Chriſtianorum familiam genuit, juxta aliud ejuſdem Prophetæ Vaticinium, c. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longævum.* Unde ſeipſum Chriſtus in Evangelio patri familiæ comparat, quam ſapientiſſime regit, optimiſque legibus erudit, quæ ad perfectam ſpectant œconomiam, ſive regimen familiæ, & Domus, & quidem primò quantùm ad primam ſocietatem, quæ eſt viri & uxoris, & utriuſque conjugium: non enim nuptias damnavit, ſed potius ſœpe ſœpius ore proprio, ſuáque præſentiâ confirmat. Ore proprio; quando Pharizæis ab illo quærentibus, num propriam liceret viro dimittere uxorem, reſpondit, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Propriâ præſentiâ, quando invitatus ad Nuptias, quæ in Cana Galileæ celebrabantur, adeſſe dignatus eſt, ut errorem nuptias damnantium confutaret, ait Auguſtinus. Communitatem autem, vagamque uxorum ſocietatem unius Eccleſiæ, quam ſibi ſponſam aſſumpſit, exemplo damnavit. Mutua verò Sponſi & Sponſæ adinvicem obſequia, fidem, dilectionem, & quòd viro uxor obediat tanquam familiæ Domino, & capiti, ſœpe ſœpius docet, Apoſtolus nec minus rectam liberorum inſtitutionem tradit, ſervorumque diſciplinam. Circa verò poſſeſſiones bonorum temporalium, quòd ſcilicet abſque nimia ſollicitudine quærantur, variis parabolis oſtendit; præcipue in illa, ubi dicit, *Nolite ſolliciti eſſe, quid manducetis &c. Primùm quærite Regnum cœlorum, & juſtitiam ejus, cætera adjicientur.* Per regnum vero cœlorum æterna, & cœleſtis beatitudo intelligitur, quæ finis ultimus eſt omnis ſocietatis, tam conjugalis, ſeu familiaris, tum politicæ. Item de ſocietate, ſeu combinatione Domini & ſervi pulchra docet in parabolis: de ſervo vigili, & prudenti, item & de agricolis & vinearum cultoribus agit in aliis parabolis, & de diſpoſitione ædificiorum quòd ſcilicet ſupra firmam Petram ædificentur, & opere perficiantur, docet: hæc circa rei familiaris œconomiam Chriſtus præcepit. Quia verò Chriſtianæ œconomiæ præcipuus & ultimus finis, eſt cultus Dei, hæc præ cœteris ad rectam ſuæ familiæ regimen pater ejus, & Dominus obſervabit, ne in domo ſua divinus cultus declinet ad Idolatriam, nec ad Judaiſmum. Declinare ad idolatriam, ut ſcitè advertit Iavellus noſter in ſua œconomia Chriſtiana, eſt habere in domo ſtatuas falſorum numinum, vel imagines, eiſque ut Diis exhibere honorem, & adorationem. Inde enim prima Idololatriæ origo. Declinare autem ad Iudaiſmum eſt nolle in domo ſua, nec in Templo imaginem aliquam repræſentativam Dei Maximi, neque Filii Incarnati & Redemptoris, nec Deiparæ Virginis, nec ulliús alterius Sancti; quem errorem Hæretici ſequuntur. Et quidem primò, ut optimè advertit Ariſtoteles in ſuis œconomicis, laudabile eſt; & utile domum picturis, & imaginibus, ſive pictis, ſive ſculptis, alioque ornatu decorare. Sicut enim ad magnificum patrem familiàs ſpectat domum magnificè conſtruere, quò ad latitudinem, longitudinem, & altitudinem & nobilem materiam; ſic ad ipſum ſpectat magnificè eam ornare: quoniam ex ornatu ultimam accipit perfectionem. Unde primus rerum conditor, non ſolùm res ipſas produxit, ſed omnimode etiam eas ornavit. Ideo Geneſ. 2. dicitur; *Perfecti ſunt cœli, & omnis ornatus eorum.* Nedum talis ornatus imaginum laudabilis eſt, ſed & utilis habitantibus; ſic enim jucundiorem vitam ducunt, libentius in ea morantur, & ràrò extra domum diſcurrunt, quod valde expediens eſt pro uxore, & filialibus, quæ nubiles ſunt.

Verùm proh pudor, multi ex Chriſtianis, in ſuis Domibus tam intus, quàm extra, & in atriis, & viridariis falſorum Deorum facinora, adulteria, raptus; obſcœnaſque virorum, & fœminarum imagines, tum pictas, tum ſculptas habent, quod etiam apud Platonem, Ariſtotelem, alioſque Gentilis œconomiæ Doctores damnabile eſt, ubi agunt de eruditione puerorum. Ibi enim Plato ſtatuit Poëtas decantantes Deorum crimina pellendos eſſe à civitate, ne adoleſcentiores depraventur. Longe autem gravius, depingire ante oculos. *Segnius enim irritant animos delapſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus*, ut canit Lucretius.

Ultimò advertat pater familiàs, ut in domo ſua cultus vigeat divinus, qualis in Primitiva Eccleſia. Tunc enim ſingulæ domus, quædam erant parvæ Eccleſię: in quibus Oratoria ad domeſticas orationes fundendas conſtruebantur; quod & apud Hebræos in veteri lege obſervabatur, ut patet ex Hiſtoria Iudith, & Heſteris; & à Chriſto præceptum videtur, cùm dicit: *Tu autem cùm oraveris intra in cubiculum tuum &c.* Inſtituenda ergo eſt domeſtica, & ſecreta oratio duplici horâ, ſcilicet veſperè, & manè; ad quam vir, uxor, filii, ſervi, ancillæ ſingulis diebus conveniant, quibus pater familias præcipiat, ut in diebus feſtivis ad Eccleſiam accedant, pro Miſſa audienda.

FINIS.

Digitized by Google

POLITICA
CHRISTIANA
JUXTA LEGES
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ,

AUCTORE

Fr. HYACINTO CHALVET,
Ordinis FF. Prædicatorum, Conventus S. Thomæ Aquinatij Toloſani alumno, Doctore Theologo, nec non in ſacra facultate Theologiæ celeberrimæ Univerſitatis Cadomenſis à viginti duobus annis Regio Profeſſore.

TOLOSÆ,
Excudebat JOANNES BOUDE, Regis, Comitiorum Linguæ Occitanæ, & Academiæ Toloſanæ Typographus, juxta Collegium Fuxenſe,

M. DC. LXXXII.

POLITICA CHRISTIANA
SANCTO LUDOVICO
GALLIARUM REGI
CONSECRATA.

DE S. LUDOVICO
REGE GALLIARUM
ORATIO PANÆGIRICA.

Ecce pluſquam Salomon hic. Math. 12.

EXORDIUM.

AD Scribas gentis Judaicæ, & Phariſæos qui à Chriſto ſigna volebant videre, ut in illum crederent, reſpondit Chriſtus, Math. 12. *Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis; & ecce pluſquam Salomon hic.* De ſeipſo Chriſtus hoc protulit, & quidem veraciſſimus fuit ejus ſermo. Chriſtum enim Salomone longè majorem fuiſſe, & eſſe, nullus Chriſtianâ religione imbutus in dubitationem revocabit. Chriſtus enim, ut pote verus Deus, & Verbum Dei increatum, & æterna ſapientia, ſapientiam omnium nedum hominum, ſed & Angelorum in infinitum tranſcendit, à Chriſto omnis eorum ſapientia; juxta illud Eccleſ. 24. *Ego ſapientia effudi flumina.* Et illud cap. 1. *omnis ſapientia à Deo eſt. Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Hanc ad regendos populos ſibi ſubitos Salomon à Deo petiit, dicens lib. ſap. 9. *mitte ſapientiam de cœlis, ut mecum ſit, & mecum laboret.* Hanc illi pro votis Deus conceſſit; longè tamen uberiori influxu ad perfectam Regni Galliarum adminiſtrationem, in S. Ludovicum nonum effudit; quare & de illo jure optimo dici poteſt; *Et ecce pluſquam Salomon hic* ex triplici capite. Primò, quia Virtutes omnes Regias, quæ ad politicum Regimen Principibus ſunt neceſſariæ, excellentiori modo habuit. Secundò, quia à vero Dei cultu numquam receſſit, & adverſus tum Hæreticos, tum Infideles pro fide Chriſtiana tuenda fortius pugnavit. Tertiò, quia fœliciter in Domino obiit, cœleſtem Regnum adeptus, & Sanctorum albo adſcriptus. Singula ſequentibus Sectionibus demonſtro.

S. LUDOVICUS NONUS REX GALLIARUM, pluſquam Rex Salomon fuit, quia virtutum omnium Regiarum majore ſplendore coruſcavit.

SECTIO PRIMA.

EXimia procul dubio Regis Salomonis gloria, ſi Antenatos ejus, aut Poſteros conſideres. Suam enim ex antiquiſſimis, & generoſiſſimis Principibus, ſeu Patriarchis, Abrahamo, Iſaac, Jacobo, & aliis nobilitate clariſſimis viris originem traxit; quam plures adhuc poſteros ex Regia ejus ſtirpe, regni

ſui Succeſſores habuit, quodque gloriam ejus ſupramodus auget, Chriſtus Rex Regum veruſque Dei Filius, ex Regali ejus ſemine ortus eſt. Vocatur enim in Evangeliis, *Filius David*, qui Salomonem ex ea, quæ fuerat uxor Uriæ generavit; Et in hoc S. Ludovicus Rex Galliæ, Salomoni libenter cedet, qui licet ex antiquiſſimis Galliarum Regibus, imò ut infra libro de laudibus Regni Galliæ demonſtrabo, ex Troianis Heroibus ſuam traxerit originem; ex ejus tamen ſtirpe, Chriſtus Rex Regum non eſt ortus, qui Regem Salomonem abavum habuit, nec in S. Ludovici familia fuere S. Patriarchæ.

Verùm *Stemmata quid proſunt Tuſcorum milleſime ducis, Cenſoremque tuum? ad populum phaleras*; canebat olim Poëta, dum te nudum inſpicio, ignobilem invenio. Alieno decore fulges. *Nam genus, & proavos, quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto.* Utiliſſimus tamen eſt, ad mores animi componendos, & ad virtutes comparandas natalium ſplendor: ipsâ enim quotidianâ probatur experientiâ Nobiles, tum ſanguinis purioris ardore, tum antenatorum præclaris exemplis, ad præclara virtutum facinora, acrius quàm plebeios, & ignobiles ſtimulari. Vera tamen nobilitas, ipſa eſt virtus, & morum optima compoſitio, ut fusè, tomo 6. Theologi mici Eccleſiæ demonſtravi. Rex ille eſt, ut canit Poëta, qui ſibi imperat, ſuoſque affectus juxta rationis naturalis dictamen componit; *tota licet veteres exornent undique ceræ atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.* S. Ludovicus Rex Galliarum utrâque ſplenduit nobilitate, & quidem eâ quæ ex natalium ſplendore emicat; ex patre enim quamplures habuit Avos, Proavos, abavos Galliarum Reges, ex matre eximiæ virtutis, & ſanctitatis fœmina, Blanchâ nomine, non paucos ex Illuſtriſſima & Regiâ Guſmanorum familiâ: ex qua Sanctiſſimus Patriarcha noſter S. Dominicus originem ducit; non paucos inquam Caſtiliæ, totiuſque Hiſpaniæ Reges, Avos item, & Proavos agnoſcit. Sancto tamen Ludovico cedat Salomon, animi nobilitate, & virtutum Regiarum ſplendore, & quidem primò Regalis ſapientiæ.

Vera enim ſapientia, longè differt à ſcientia, ſive rerum naturalium notitia; quâ profectò Salomon Rex Iudæorum, Regem Galliæ ſanctum Ludovicum ſuperavit. Nam ſi ipſius Dei Verbis fidem adhibemus, quæ tamen illis adhibenda eſt 3. Regum. c. 4. hæc protulit, diſputavit Salomon ſuper Lignis à Cedro quæ eſt in Libano uſque ad hyſſopum, & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus, hæc verò S. Ludovicus Rex Galliæ non adeò apprimè novit. Sed vera ſapientia, ut ipſum nomen ſonat, ſapida eſt ſcientia, & ipſiuſmet Regis Salomonis teſtimonio, nihil aliud eſt, quàm vera in Deum religio, cultus ejus, & timor, & mandatorum ejus obſervantia. *Timor Domini initium ſapientiæ* Proverb. Et cap. ultimo Eccleſiaſtis *Deum time & mandata ejus cuſtodi: hoc eſt omnis homo*, hâc verò S. Ludovicus Rex Galliarum Regem ſuperavit Salomonem, ut ex ipſius vitæ præclaræ geſtis apertè innoteſcit, adeò enim veram Religionem, quæ ſola eſt Chriſtiana & Catholica, coluit, ut Eccleſiam urbis Pòiſſiacæ, in quâ vitali ſacri Baptiſmatis aquâ fuerat ablutus, & Chriſtiani nomen adeptus, Eccleſiæ Archiepiſcopali Remenſi in qua Oleo Sancto in Regem Galliæ fuerat conſecratus anteponeret, pluris faciens ſe Chriſtianum, quàm Regem eſſe totius Galliæ.

Magnificentiſſimum Rex Salomon Deo Templum ædificavit, in quo Arcam Fœderis ſtatuit auream cum ſuo aureo propitiatorio. Sanctus Ludovicus Rex Galliæ, quamplures Eccleſias, & quamplurima, Deo, ejuſque ſanctiſſimæ matri Cœnobia, tum Monachorum, tum Monialium conſtruxit & conſecravit; in quibus, non arca fœderis, ſed Corpus Chriſti, cujus Arca Fœderis erat figura, realiter præſens exiſtit. Religione ergo quâ Regna florent & ſtant, ut fusè infra demonſtrabo; S. Ludovicus Regem ſuperavit Salomonem, nec minus juſtitiâ, quæ ad optimum populorum regimen in Regibus maximè deſideratur; quæ juſtitia unicuiq; ſuum jus tribui lumine naturali dictat, Deo ſcilicet primùm, ſibi & proximo. Triplex autem hoc jus Sanctus Ludovicus unicuique religioſiſſimè reddidit; & quidem primùm Deo, leges æquiſſimas contra ſanctum Nomen Blaſphemantes decernens, ut illis ſcilicet lingua ferro candenti adureretur. Proximo adhuc jus integrum ſervavit & illæſum, leges acerrimas contra Uſurarios & Homicidas ferens. Qui verò erga alios æquiſſimus fuit, erga ſeipſum erit injuſtus? Abſit: adeo enim de ſuæ fuit animæ ſalute ſollicitus, ut eam virtutum omnium moralium exercitio excoleret; parentibus obſequentiſſimus; Blanchæ enim Reginæ matri, cujus Patre è vivis ſublato, regimini impuber relictus eſt, totus ab ejus nutu pendebat, ejuſque monita religioſè ſemper obſervabat, hoc Salomon erga Berſabeam matrem non præſtitit; cujus primam illi petitionem denegavit: Salomone ergo Rege major fuit S. Ludovicus, Rex Galliarum. Clementiſſimus adhuc fuit, qui neminem ad pœnam mortis damnavit. Hoc Rex Salomon non præſtitit, qui fratres, ſuique exercitus Duces juſſit etiam ad cornu altaris interfici. Rege ergo Salomone major S. Ludovicus IX. Rex Galliæ. Circa populorum Regimen prudentiſſimus & piiſſimus, quos gravioribus tributis non oppreſſit. Salomon immenſa à ſubditis, & extraneis tributa exegit. Rege ergo Salomone major S. Ludovicus Rex Galliarum humillimus; nihil enim inconſulto Vincentio Bellovacenſium Epiſcopo, ex ordine noſtro aſſumpto, quem ſibi Præceptorem, & Confeſſorem elegerat, cui & arcana cordis in Sacro Pœnitentiæ Tribunali revelaret, agebat, ſed & proprium corpus flagello ab illo domandum piè, ac humiliter ſubjiciebat. Veſte vulgari indutus, cilicio ac jejuniis corpus aſſiduè affligebat; in precibus & officiis pietatis lachrymas ſummâ cum ſpiritus dulcedine fundebat. Hæc Rex Salomon non præſtitit, carnis delitiis addictus. Rege ergo Salomone Major S. Ludovicus IX. Rex Galliarum. Erga pauperes & ægrotos, miſericordiſſimus, quos ſæpe ſæpius inviſebat, quorum ulcera propriis manibus abluebat; cibos illis offerebat; eiſque Xenodochia ampliſſima conſtruxit. Hæc Salomon non præſtitit; Rege ergo Salomone longe major S. Ludovicus IX. Rex Galliæ. Caſtiſſimus, qui unicâ contentus uxore, quam numquam repudiavit; conjugalem continentiam inviolatam ſervavit. Hoc Rex Salomon non præſtitit; cui ſexcentæ uxores, & ſeptuaginta concubinæ fuere. Rege ergo Salomone longe major S. Ludovicus Rex Galliarum. Erga filiorum Regimen prudentiſſimus quos Chriſtianæ Religionis præceptis edocuit, à qua nunquam receſſerunt optimiſque moribus inſtituit, eiſque ampliſſimam hæreditatem reliquit, Regno Galliarum non mutilato, ſed magis amplificato. Hoc Rex Salomon non præſtitit, qui impium Roboam, & ad regnandum ineptiſſimum filium habuit

habuit

Digitized by Google

buit Io duabus dumtaxat tribubus Iſrael ſucceſſo- rem, decem aliis à Ieroboam Idolorum cultore ſibi ereptis. Rege ergo Salomone longè Major S. Ludovicus 9. Rex Galliarum Regiarum omnium virtutum majori ſplendore coruſcans. *Conſiderate quomodo Regni Galliæ Lilia creſcunt?*

S. LVDOVICVS IX. REX GALLIARVM SALOMONE Rege major ex ſecundo capite; quia à vero Dei cultu, Fideque Chriſtianâ numquam receſſit, pro qua tuenda, adverſus Hæreticos, & Turcas ſtrenuè decertavit.

SECTIO SECVNDA.

PLinius Iunior in Panegyrico Trajani, futuræ illius ad Imperium promotionis omen certiſſimum fuiſſe teſtatur, quòd erga Divina religioſſimus fuerit, ad aras enim Deo vota nuncupans, & ſacris iurentus, electus eſt, & ad imperii Romani faſtigium evectus. Numa Pompilius id probè callens, religione imperia propagari; firmiterque ſtare; Romanos in his quæ ad omnium cultum ſpectant, erudivit, falſa tamen deorum numina Romani colebant. Salomon unum, verumque Deum cœli & terræ conditorem coluit; cui, ut diximus, magnificentiſſimum templum extruxit, ab ejus tamen cultu, inordinato, & ſcelesto uxorum alienigenarum amore receſſit, earumque falſa numina adoravit. *Rex Salomon*, ut lib. 3. Reg. c. 11. refertur, *amavit mulieres alienigenas multas: filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumeas, Sidonias, & Cetheas: de quibus Dixit Dominus filiis Iſrael, non ingrediemini ad eas, certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore, & averterunt mulieres cor ejus, ut ſequeretur Deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo: ſed colebat Salomon Aſthartem Deam ſidoniorum, & Chamos Deum, Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis; quæ adolebant thura, & immolabant Diis ſuis.*

S. Ludovicus ix. Rex galliæ à verò Dei cultu; fideque Catholica ſicut & ejus poſteri, numquam receſſit, pro qua tuenda, adverſus Albigenſes hæreticos ſtrenuè pugnavit; geminamque adverſus Saracenos expeditionem cum ingenti exercitu ſuſcepit; nihil tamen Regiæ ejus; ac militari prudentiæ derogavit; quòd infœlici bello pugnaverit. Magna certè laus, magnique conſilii, ait Cicero in Philippi: conſilio prævidere, ne quid mali eveniat; ſed animi non minoris eſt, patienter ferre, cùm acciderit. S. Ludovicus in utraque adverſus Saracenos expeditione fortunam adverſam expertus eſt; in prima ab hoſtibus captus eſt; in ſecunda lue percuſſus martyr occubuit. cùm ergo adverſa hæc omnia æquo animo tulerit ſummam potius laudem quàm vituperium meruit. Salomone ergo longè major, qui veràm à Deo acceptam religionem abjecit. Quare iratus adverſus illum Deus ſcidit Regnum ejus, deditque Hieroboam ſervo illius decem Tribus, unam verò dumtaxat Roboam ejus filio.

Deus verò ob inviolatam fidem Catholicam S. Regi Ludovico ejuſque Poſteris totum Galliarum Regnum abſque ulla ſciſſura ſervavit, quod uſque ad extrema mundi tempora, & ſecundum Chriſti adventum illæſum permanebit, ut infra demonſtrabimus. *Conſiderate ergo quomodo Regni Galliæ Lilia creſcunt?*

S. LVDOVICVS REX GALLIÆ MAIOR SALOMONE; quia ſalus æterna Salomonis eſt in dubio, S. verò Ludovicus piè in Chriſto Martyr obdormivit, poſt mortem Sanctorum Cathalogo adſcriptus.

SECTIO TERTIA.

QVis, qualiſve fuerit Regis Salomonis vitæ exitus: fœlix, an infœlix; incertum eſt. Quidam, ut Hieronimus & alii, fœlicem fuiſſe exiſtimant; quia, inquiunt, etſi graviſſimè in Deum peccaverit, uxores alienigenas, contra præceptum Domini ducens; & earum Idola colens, potuit tamen pœnitere, ejuſque pœnitentiam ex hoc conjiciunt, quòd ſenex librum Eccleſiaſtæ ſcripſerit, in quo ſuos videtur errores corrigere Communior tamen S. Patrum, & Sacræ Scripturæ Interpretum hæc eſt ſententia, infœliciſſimum fuiſſe illius vitæ exitum; ſuamque ſententiam graviſſimis his rationum momentis confirmare nituntur ex ſacris paginis. Primò quia tertio Reg. 11. refertur, *quòd cùm jam ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos*; ubi nulla de ejus ante mortem pœnitentiâ fit mentio, nec in lib. 2. paralip. c. 9. ubi hæc dumtaxat referuntur: *Regnavit Salomon in Ieruſalem ſuper omnem Iſrael quadraginta annis, Dormivitque cum Patribus ſuis, & ſepelierunt eum in civitate David.* Cujus infœliciſſimam mortem his verbis non obſcurè Eccleſiaſticus videtur innuere his verbis, cum alloquens: *inclinaſti femora tua mulieribus, Poteſtatem habuiſti in corpore tuo. Dediſti maculam in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum, inducere iracun-*

diam ad liberos tuos , & in cæteris ſtultitiam tuam, ut faceres Imperium bipartitum.

Quidquid tamen iu hac re ſit; certum eſt, Salomonem Regem inter ſanctos antiquæ legis, ſicut Abrahamum & Davidem non recenſeri. S. verò Rex Galliarum Ludovicus nonus ob eximias ejus virtutes, & quamplurima miracula Sanctorum albo à Boniſacio Papa octavo adſcriptus eſt: cujus feſtum in tota celebratur Eccleſia.

EPILOGVS.

A*D vos ergo Reges hic ſermo eſt ; ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis.* Qui enim Regis S. Ludovici ix. Regis Galliarum virtutes erunt imitari, Regnum ſibi à Deo commiſſum rectè gubernabunt, cunctaque illis ſub eorum regimine evenient. Audite adhuc , Reges Salomonem Regem, hæc ad vos dicentem, Sap. 6. *præbete aures qui continetis multitudines , & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas, & virtus ab Altiſſimo , qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cùm eſſetis Miniſtri Regni illius, non rectè judicaſtis , nec cuſtodiſtis legem juſticiæ , neque ſecundùm voluntatem ejus ambulaſtis. Horrendè , & citò apparebit vobis , quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt , fiet, exiguo enim conceditur miſericordia; Potentes autem potenter tormenta patientur, Fortioribus fortior inſtat cruciatus. Ego Salomon, fui Rex Iſrael in Hieruſalem* , & immenſos auri , & argenti theſauros congregavi ; Domos Regias, & magnifica mihi Palatia conſtruxi; hortos amœniſſimos pulcherrimis, & fructiferis arboribus inſtruxi; Currus, Equites, Scuta, aliaque arma bellica mihi ad Regni præſidium paravi; ſexcentas uxores habui, & ſeptingentas concubinas, nihil denique ad corporis delitias illi denegavi; & ecce univerſa vanitas vanitatum, & afflictio ſpiritus. Quare memenrote ô Reges creatoris veſtri! antequam tenebreſcat ſol, & lumen, & ſtellæ, & corpora veſtra in pulverem, ex quo tracta ſunt, revertantur? Deum timete; Sapientiam diligite, Iuſtitiam colite, Dei mandata ſervate: *hoc eſt omnis homo;*



GALLIA CHRISTIANA

MAGNO AVGVSTO

A DEO DATO, CHRISTIANISSIMO;

Eccleſiæ Romanæ Primogenito, Fideique Orthodoxæ, & Catholicæ, Chriſtianæque Religionis Generoſiſsimo Defenſori dicata, & conſecrata.

CVI alteri Galliã Chriſtianam, ejuſque laudes & ſupra cætera omnia orbis terrarum regna, eximias prarogativas, pracellentias, & praeminentias æquius, quàm tibi Rex Galliarum Magne, Auguſte, & à Deo ad Liliati Regni decus, tutelam, & præſidium date Ludovice decime quarte vo verem, dicarem, & conſecrarem. Tu enim Chriſtianiſſimi hujuſce noſtri Regni, ſumma cum æquitate habenas moderaris, ejuſque amplitudinem uſque ad Rhenum, & Danubium antiquos Gallici Imperii fines extendiſti; & ubique Chriſtianam, quam a tot Galliarum Regibus, Anteceſſoribus tuis, jure quodammodo hæreditario Religionem accepiſti, amplificas; tu Eccleſias ab Hæreticis uſurpatas legitimis ſuis Paſtoribus reſtituis, vera, germana, & Inclyta S. Ludovici, Henrici Quarti Magni, Ludovici decimi tertii juſti proles, & Deiparæ Virginis Sanctiſſimi Roſarii precibus, non ſine miraculo in lucem editus.

Senecam Hiſpanum, ex latino ad gallicum idioma Mathæus Chalvet in ſuprema veſtra Tholoſana Curia Præſes, Avus meus, tranſtulit, & Henrico 4. magno, avo veſtro dicavit: Ego filius ejus, Fr. HYACINTVS CHALVET Ordinis FF. Prædicatorum Conventus S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici alumnus Gallus, vigintiduorum annorum ſpatio in ſacra Vniverſitatis veſtræ Cadomenſis facultate Doctor, & Regius veſter Profeſſor Majeſtati Veſtræ Galliam Chriſtianam, & eximias ejus ſupra cætera omnia orbis terrarum Regna prarogativas, pracellentias: & praeminentias, Voveo, Dico, Conſecro.

Hanc invictiſſime, & clementiſſime Rex Galliam Chriſtianam, quam Veſtræ Majeſtati offero tanquam fidelitatis meæ obſequium, & gratitudinis monumentum, nec non ejuſdem Galliæ Chriſtianæ Encomiaſtem, eâ, quâ Henricus Quartus magnus fælicis memoriæ Avus tuus Mathæum Chalvet Avum meum Regiâ benevolentiâ, ſuſcepit, Majeſtas veſtra ſuſcipere dignetur.

Fr. HYACINTUS CHALVET,
Veſtræ Majeſtatis fideliſſimus Servus.

REGNI, REGVMQVE

GALLIÆ LAVDES, EXIMIÆQVE SVPRA CÆTERA orbis Terrarum Regna duodecim Prærogativæ, Præcellentiæ, Præeminentiæ, quibus duodecim veluti gemmis, Liliati Regni Corona texitur, & ornatur.

ORATIO PANÆGIRICA.

PROEMIVM.

Conſiderate Lilia, quomodo creſcunt?

DE Regia, Regum dignitate, & Monarchia præſtantiſſima præ cæteris Politici regiminis formis, acturus, ratiò æquitatis id à me Gallo poſtulat, ut Regni, Regumque Galliæ laudes, eximiaſque ſupra cætera orbis terrarum Regna Prærogativas, Præcellentias, & Præeminentias in lucem pandam. Cui operi pro meritis, & dignitate tractando imparem me rectè judicans (non enim materiam opus, ſed ordine inverſo, opus materia ſuperat) à Deo optimo, maximo, Regum Rege, & Regni Galliarum ſpeciali Proviſore opem efflagito.

CAPVT PRIMVM.

Regnum Galliæ, ſummorum Romanæ Eccleſiæ Pontificum ſanctorumque Patrum, nec non fide digniſſimorum Hiſtoricorum teſtimoniis, cæteris orbis terrarum Regnis, in multis præcellit.

REGEM, Regnumque Galliæ, cæteris univerſi terrarum orbis Regibus, Regniſque præcellere, ſummorum Eccleſiæ Romanæ Pontificum; Sanctorum Patrum, nec non fide digniſſimorum, nedum Gallorum, ſed extraneorum conſtans eſt ſententia. Et ut à Summis Eccleſiæ Romanæ Pontificibus ſumam exordium, unus pro aliis, nobis ſufficiat (brevitati enim ſtudeo) Gregorius Magnus, Sanctiſſimus, & Eccleſiæ Romanæ Summus Pontifex; audiatur ergo ſic Childebertum Regem Francorum alloquens, Epiſt. ad illum miſſâ, quæ in Tomo Quinto ſeu Regiſtro invenitur. Quantò, inquit, cæteros homines Regia dignitas antecedit, tantò cæterarum Gentium Regna, Regni veſtri culmen antecedit. Pro Sanctis Eccleſiæ Romanæ Patribus, unus & millium numero æſtimandus prodeat, Magnus & Sanctiſſimus, Doctorumque Aquila Auguſtinus: Magna proculdubio, imo maxima Gallorum Gloria; & Eminentia: qui Romanis totius Terrarum orbis Dominis leges dederunt, inquit Auguſtinus, lib. 3. de civit. Dei. c. 17. ubi & Romanos, qui falſa Numina colebant, & in quibus confidebant, ſic alloquitur; ubi erant Dii veſtri quando Galli Romam ceperunt, ſpoliaverunt, incenderunt, cœdibus impleverunt. Et tractatu de Antichriſto Tomo 6. quamdiu Reges Francorum Duraverint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani Imperii dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus ſuis ſtabit. Si Dixeris Tractatum iſtum de Antichriſto, ſub titulo etiam Rabani Archiepiſcopi Moguntini excuſum fuiſſe, & ad illum ſpectare, Rupertum Tuitienſem agnoviſſe, quod alii negant, verumque eſſe & legitimum agnoſcunt Auguſtini fœtum; ſemper tamen pro Regum, Regnique Galliæ præeminentia ſtabunt Rabanus, & Rupertus. S. Hieronimum taceo, qui de Galliæ Regibus in Germania ſuis temporibus regnantibus, multa ad eorum gloriam ſcribit. Ad extraneos venio. Cicero Epiſtolâ ad Atticum, Francos, ſuâ etiam ætate, in Germania regnaſſe teſtatur; quorum laudes, & eminentias variis ſuæ hiſtoriæ libris Tacitus proſequitur. Exercitus Gallici, inquit, lib. 8. fama atrox Romanos invaſit, haud fermè numquam neglecta patribus. Gallicæ nationis Hiſtoriagraphos prætermitto, quibus ex livore fides integra fortè non daretur.

Reges ergo Galliæ cæteris orbis terrarum Regibus præcellunt; quorum Eminentias, prærogativas ex variis capitibus colligo: primò, ex eorum antiquiſſima, nedum & nobiliſſima origine. Secundò ex feroci & ad pugnandum eorum ingenito ardore. Tertiò, ex innumeris, quas ex cunctis ferè totius orbis Gentibus retulerunt, & quibus imperarunt victoriis. Quartò, ex ſpeciali, & miraculoſa Regum Galliæ Chriſtianorum Sacra, & Regia Unctione. Quintò, ex Liliorum pro Gentilitio Stemmate per manus Angelorum è Cœlo delatione, vexillique militaris, quod *Auriflammum* vocatur. Sextò, ex ſingulari Archangeli Michaëlis præſidio. Septimò, ex ſpeciali Deiparæ Virginis Mariæ cultu. Octavo, ex fidei Chriſtianæ, & Catholicæ firmitate, & perpetuitate, à qua nulli Reges Galliæ à tempore Clodovæi receſſerunt, nec recedent; quare meritò Chriſtianiſſimi appellantur. Nonò, quia pro illa tuenda adverſus Gentiles, & Hæreticos acerrimè decertarunt. Decimò, quia Romanis Pontificibus ſemper addicti, utpotè primogeniti Filii Eccleſiæ Romanæ. Undecimò, quia ſæpe ſæpius Romanæ Eccleſiæ Summos Pontifices Romà fugatos, in ſuo Regno Piiſſime receperunt. Duodecimò ex Regni Liliati perennitate. Nam uſque ad extrema mundi tem

pora perdurabit, & Anthichriſti Regnum delebit; ſingula ſequentibus capitulis demonſtro.

CAPVT II.

Antiquiſſima, & Nobiliſſima Gallorum, ceu Francorum Origo.

Conſiderate Lilia quomodo creſcunt?

Prima Prærogativa.

FRanci à Troianis ſe prodiiſſe gloriantur, captâ enim Troiâ, incenſâque, Nobiliſſimi, quos ferrum hoſtium, ignisque non abſumpſerat; Duce Francione ad Mœotia paludem ſe contulerunt, nec procul ab ea urbem condidere, quam ad Valentinianum uſque Cæſarem, Valentiani filium incoluere. Inde pulſi, Duce Marcomiro, in eam Germaniæ Regionem, quæ nunc Franconia eſt, conceſſerunt: Marcomiro è vivis excedente, Pharamundus ejus filius anno ſalutis quadringenteſimo vigeſimo, Gallis in Germania adbuc degentibus imperavit; cui Clodion ob effuſam cæſariem comatus appellatus, ejus filius in Regno ſucceſſit, & è Germania, tranſmiſſo Rheno flumine in Galliam, Francicam gentem tranſtulit; quo mortuo, Meroveus, utpote ſanguine proprior, regnoque adminiſtrando commodiſſimus, Regni Gallici habenas ſuſcepit, à quo uſque ad Pipinum, Caroli Magni Patrem, ſeries generis Regii ſine diſſidio perſeveravit. Meroveus ad bellandum aptiſſimus in campis Cathalauneis, cum Etio Patricio Romano adverſus Attilam Hunorum Regem, egregiè pugnavit, ubi centum octoginta millia occubuiſſe traditur. Childericus Merovei filius, patre mortuo, Galliæ Regnum accepit, cui Clodovæus, ſeu Ludovicus primus in Regno ſucceſſit.

Hi primi Regni Gallorum fundamenta jecerunt, qui Franci appellati ſunt, vel quia ex Palude Meotide recedentes, Franconiæ Regionem incoluerunt, extructâ ibidem celeberrimâ urbe *franceforti*; vel quia libertatis cupidiſſimi, quæ apud Gallos vocatur *franchiſe*, & liberi dicuntur idiomate noſtro *francs*, pro qua tuendâ libertate, innumera bella adverſus Romanos, & Germanos ſuſceperunt. Gallos adhuc à Francione primò eorum poſt excidium Troianum duce dictos, conſtans eſt tam veterum, quàm novorum Hiſtoricorum ſententia, ſi paucos excipias, præ cæteris Ioannem du Tillet, qui ipſo ſui compendii exordio, Gallorum à Troianis originem, tanquam commentitiam ridet, & Francorum Genti parum decoram exiſtimat, utpote, inquit, qui nominis ſui gloriam, non fabulis, ſed propriæ virtuti acceptam debeant. Quid enim illis cum Troia, quæ numquam fuit, cujus excidium, merum eſt Homeri, & Virgilii commentum? verùm enim verò, fides tot graviſſimis tam antiquis, quàm modernis Scriptoribus, quàm Ioanni du Tillet, viro aliâs illuſtriſſimo potius adhibenda eſt. Antiquiſſima ergo, & generoſiſſima Gallorum origo, & hæc prima ejus eminentia; ad ſecundam progredior.

CAPVT. III.

Galli, Galliaque Reges, ad arma aptiſſimi & ad pugnandum audaciſſimi.

2. Eminentia.

Videte, quomodo lilia creſcunt?

FRancos hoc nomine à Valentiniano Imperatore fuiſſe appellatos, referunt Robertus Guaguinus, & Paulus Æmilius à feroci ſtrage Alanorum, quos ferro parère Imperatori coëgerunt. Vel dicti ſunt *feroces*, id eſt ad arma aptiſſimi, & ex innato ad pugnandum ardore, ut refert Titus Livius lib. 7. hiſt. Gens, inquit, ferox, & ingenii avidi ad pugnam. Vnde cùm Gallorum feroci ad pugnandum impetu Romani attoniti, pugnam detrectarent; Fabius Maximus Conſul ad illos; quid ſtas miles, inquit, non cum Latino, Sabinoque hoſte res eſt, quem victum armis, ſocium ex hoſte facias; in belluas ſtrinximus ferrum: hauriendus, aut dandus ſanguis, & lib. 38. Manlium Conſulem his verbis milites ſuos ad obſiſtendum Gallis hortantem inducit: non me prætcrit milites, omnium, gentium quæ Aſiam colunt, Gallos famâ belli præſtare, inter mitiſſimum genus hominum ferox natio, pervagato bello prope terrarum orbe, ſedem hic cepit. Procera corpora, promiſſæ, & rutilatæ comæ, vaſta ſcuta, prælongi gladii: adhuc cantus ineuntium prælium, & ululatus, & tripudia, & quatientium ſcuta, in patrium quemdam modum, horrendus armorum crepitus, omnia de induſtria compoſita ad terrorem. Galli ergo ſemper ad pugnandum ſtrenuiſſimi fuere, & virtute bellicâ totum ferè terrarum orbem ſuo imperio ſubdiderunt.

CAPVT IV.

Gallorum eximia Victoria, & in omnes ferè orbis Gentes jure belli devictas Imperium.

3. Eminentia. *Videte, quomodo Lilia creſcunt. &c.*

POſt devictos à Romanis Salpinates, & Volſinienſes, in nova urbis Romanæ via, ubi Sacellum erat, ſupra ædem Veſtæ, noctis ſilentio, vox clarior humanâ, audita eſt, quæ Magiſtratibus dici juberet, Gallos adventare; nec vocem illam eventus fefellit. Brennus enim, tranſactis Alpibus, & expugnatis ferè omnibus Italiæ urbibus ex Senonenſis Regionis finibus, Gallorum, quibus & ipſe imperabat cum ingenti exercitu, Romam obſidet, capit, excepto Capitolio; ad quem præcipui Romani cives & Magiſtratus confugerant, & Anſerum clangore expergefacti, Gallis per ſcholas, Capitolium aſcendentibus obſtiterunt. Hactenus Livius, lib. 5. & lib. 38. hæc ad decus Gallorum ſubjicit. Galli, magna hominum vis, ſpe prædæ, nullam gentem per quas ituri eſſent, parem armis rati Brenno duce in Dardanos pervenerunt, Româ ſcilicet prius captâ, & ſpoliatâ, in Dardanos, (antiquam eorum patriam) pervenerunt, poſt modum in Thraciam, ubi reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipendium imponendo, Byſantium cùm perveniſſent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habuerunt, & illius Regionis urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiam tranſeundi, audientes, quanta ubertas terræ ejus eſſet, cepit, Cherſoneſoque omni armis poſſeſſâ, ad Helleſpontum deſcendentes, per totam Bithiniam vagati ſunt. Cùm verò tres eſſent Gallorum Gentes, Toliſtobogii, Trocmi, Tectoſagi, qui nunc Toloſates vocantur, in tres partes, quâ cuique populorum ſuorum, vectigalis eſſet Aſia, diviſerunt. Trocmis Helleſponti ora data: Toliſtobogii Æololidem, atque Ioniam, Tectoſagi Mediterranea Aſiæ ſortiti ſunt, & ſtipendium, Totâ cis Taurum Aſiâ, exigebant. Tantus verò eorum nominis terror erat ut Syriæ

quoque ad poſtremum Reges ſtipendium illis dare non abnuerent. Ex his Gallogræci ſeu Galatæ Gallicos, oondum exoletâ Gallorum ſtirpe, ſervantes animos. Tectoſagi verò, innumeris ſpoliis, quæ ex tota Græcia, & ex Apollinis ſano Delphis abſtulerant, onuſti, aurum ſecum Toloſam transtulere; unde notiſſimum illud proverbium: *aurum babet Toloſanum*, pro re funeſta; quia ouſquam ſiuc aliquo maximo damno ſubripientium habebatur. Galli potentiſſimo, Pœnorum, ſive Cartaginenſium, Annibale eorum duce, exercitui, cùm Alpium tranſitu ingreſſum in Italiam tentarent, audacter obſtitere: Attilæ numeroſiſſimas militum copias, ſub Merovæi Regimine in campis Cathaulinicis profligarunt. Galli, qui tunc Franci vocabantur, Duce Marcomiro quamplures Germaniæ urbes expugnarunt. Nec minores Pharamundi de Germanis ad pugnam aptiſſimis triumphi. Clodovæus Childerici filius, ope ſingulari Chriſti, qui de conſilio S. Clotildis uxoris Chriſtianæ, bumanâ omni ſpe deſtitutus votum vovit, de Germanis rebellantibus non ſine miraculo, nobiliſſimum retulit triumphum, quo adepto, falſorum numinum cultum abjecit, & aquâ baptiſmi à S. Remigio ablutus, Chriſtianæ religioni, totum ſe, ſuumque regnum devovit. Quo peracto Burgundiones devicit: Alaricum, quamplures Galliæ regiones devaſtantem expugnavit, propriâque manu jugulavit, Oſtrogothos in Hiſpania, ſuæ ſubjecit ditiooi. Cœterorum Galliæ Regum victorias prætereo, ut ad Carolum Magnum deſcendam, qui poſt innumeras tum Germaniæ, tum Italiæ, tum Hiſpaniæ Provincias expugnatas, totius orbis occidui primus à Summo Pootifice Imperator eſt creatus, & in imperio quinque habuit ſuæ ſtirpis Reges Galliæ ſucceſſores, Quantus vero Genti Gallicæ ex Godofredo Bullonio honor acceſſit, ejuſque hæredibus, qui devictis Ægipti Principibus, quos Soldanos vocant, Regnum adeptus eſt Hieroſolymitanum, ubi diu cum poſteris ſuæ gentis Gallicæ regnavit? Quanta adhue gloria ex inclyta Luſignianorum ſtirpe, qui in Inſula Cypro per varia annorum curricula regnarunt? quantus denique ſplendor ex illuſtriſſima Balduini familia, quæ totius Græciæ regnum virtute bellicâ eſt adepta & in prima totius orbis terrarum urbe Conſtantinopolitana diu imperavit.

CAPVT V.

Specialis, & miraculoſa Regum Galliæ Chriſtianorum Sacra & Regia Unctio, ſpeciale Regium ſtemma, ſpeciale labarum, ſeu militare vexillum, auriflammam; ſed & Lilialis gratia curationum.

4. eorum Eminentia.
Videte quomodo Lilia creſcunt?

REges, cùm ad regendos populos aſſumuntur, Oleo Sacro inungi, & ſacrâ hac Unctione Reges declarari, antiquiſſima fuit tum in lege Moſeos, tum in lege Chriſti conſuetudo: De Saüle, qui primus ad Regnum geotis Iſraëlicæ fuit electus, lib. 1. Reg. c. 10. refertur, quòd *tulit Samuel* Propheta, & Summus Sacerdos, *lenticulam olei, & effudit ſuper caput Saül, & deoſculatus eſt eum & ait, ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem.* De Davide, qui poſt Saülem regnavit ſuper Iſraël; dicitur 2. Reg, c. 5. quòd *unxerunt David in Regem.* De Salomone, qui Davidi patri in regno ſucceſſit habetur lib. 3. Reg. c. 1. quod *ſumpſit Sadoc cornu olei de tabernaculo & unxit Salomonem.* De quo David pſal. 44. hæc canit: *Dilexiſti juſticiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit te Deus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis:* Vnde Reges in ſacris Paginis Chriſti, id eſt, uncti ſacro oleo dicuntur. *Nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum*, id eſt, Regem ſuum pſal. 19. cur verò oleo ſacro Reges ungantur, variæ a S. Patribus rationes adducuntur. Et quidem primâ quia Reges, quâdam funguntur Sacerdotali dignitate; ut infra declarabitur. Secundà, quia manſuetudo, clementia, & miſericordia, quæ per oleum ſignantur, Reges maximè decent. Vnde Regius Vates ad Salomonem hæc canit, pſal. 44. *propter manſuetudinem deducet te mirabiliter dextera tua.*

Sacra verò, & Regalis Vnctio, quâ Reges Galliæ in die ſuæ inaugurationis conſecrantur, cœteris Regum unctionibus præcellit, Sacri Olei dignitate, quod è cœlo, non ſine ſtupendo miraculo, ore columbæ, ideſt à Spiritu S. in ipſa Clodouæi Regis Gallorum conſecratione delatum eſt, quodque uſque ad hæc tempora integrum, in Remenſi Eccleſia religiosè ſervatur, eoque Reges omnes Galliæ unguntur. Audiatur de miraculoſa hac Vnctione Robertus Guaguinus, antiquiſſimus, & fide digniſſimus rerum Gallicarum Scriptor, cujus teſtimonio ferè omnes alii ſubſcribunt, in vita Clodovæi: dies, inquit, abluendo, id eſt, baptizando Regi, & inaugurando indicitur: parato ingenti ornatu Lavacro: cùm Sacroſanctum oleum, quo liniri ritu chriſtiano, qui abluuntur, ſolent, ſive miniſtrorum incuriâ, ſive boc agente Deo, allatum non eſſet: ecce deſuper delapſa Columba Phialam, quam ampullam vocant, odoratiſſimi liquoris oppletam ad manus Sacri Antiſtitis Remigii detulit. creditum eſt Spiritus Dei miniſterio id perpetratum eſſe. Hoc liquore Clodovæus primùm; poſteri deinceps Francorum Reges hactenus Regnum adminiſtraturi ſacrantur. Nec ſilentio premendum, quod Paulus Æmilius lib. 1. refert, cùm Rex Clodovæus inter candidatos, & ipſe candidatus ad Baptiſterium, ampliſſimè apparatum procederet, ſublimi cervice, cæſarie promiſſâ, diſcriminatâque, ſimul & unguentatâ eâque calamiſtro, comentiumque arte per gradus in ſuggeſtum verticis concinnè decorèque formatâ Etenim apud Francos tantùm Reges, Regiaque Stirps crine intonſo, ornatoque agebant: Hos Regios Spiritus, de chriſtiana civilitate, & manſuetudine verba faciens Remigius ita demiſit, in vulguſque æquavit, ut Clodovæus omni faſtu depoſito, in humilitatemque privati hominis deſcendens, ſe purificandum, abluendum, & ungendum mitiſſimè tradiderit. De filio ſuo Salomone canit Regius pſaltes, Pſal. 44. quòd propter ejus juſticiam, manſuetudinem, & veritatem oleo lætitiæ, præ filiis hominum à Deo unctus fuerit. Verùm pluſquam Salomon Clodovæus, Regnique Gallorum Reges, qui Oleo Sacro cœlitus miſſo unguntur, quâ unctione, gratiam curationum à Deo receperunt.

CAPUT VI.

Liliatum Regum Galliæ Stemma.
Gentilitium è cœlo allatum.
5. *Prærogativa.*
Videte quomodo Lilia creſcunt?

SAcrâ luſtratus Aquâ, Oleoque è cœlo divinitùs delapſo, in Regem Chriſtianum unctus Clodovæus, cùm tribus diadematibus rubris in alba parma depictis, vel, ut aliis placet, tribus buffonibus ad eam diem uſus fuiſſet, pro Gentilitiis inſignibus Liliata ſigna accepit, eique è Clodovæo Ludovicus nomen factum. Hæc Paulus Æmilius ſcribit: à quo verò Lilia pro Gentilitio ſtemmate acceperit, tacet: è cælo autem Angelorum miniſterio fuiſſe delapſa apertè hæc demonſtrant, & quidem primò, Stemma Liliatum, quod in porta *Mara* appellata urbis Remenſis inſculptum videtur cum hac inſcriptione, *datum deſuper*. Secundò, Aulæum ab Anglis è Gallia ad Eccleſiam Vueſtmaiſer in Anglia tranſlatum, in quo ſtemma Liliatum Angelorum manibus Clodovæo oblatum conſpicitur, ut refert Scetelus in ſua Coſmographia. Tertiò; Gerſonis Pariſienſis Academiæ Cancellarii teſtimonium, qui concionem habens coram Catolo quinto, & tota Pariſienſi Academia, rationem adducit, cur in regno Galliæ fœminæ non imperent quia, inquit, *Lilia non nent*; Lilia verò ab Angelo è cælo, Clodovæo Regi primo Gallorum Chriſtiano allata ſunt. Revelationem Sancto Anachoretæ de hac re divinitus factam taceo, qui juſſu Dei Clotildem Reginam, Regiſque Clodovæi uxorem adiit, eique revelationem cœlitus ſibi factam narravit, & dixit; hanc eſſe Dei voluntatem, ut vice trium buffonum, vel ranarum quarum imaginem Gentilitio ſuo ſtemmati, Galli ad Mocotidem lacum degentes impreſſerant, tria Lilia depingi curarent. Accedit Roberti Guaguini teſtimonium: fuiſſe inquit lib. 1. Regibus Francis Buffones tres, nobilitate quidem inſignit. ſed Clodovæo Chriſtianis ſacris initiato, demiſſum cœlo eſſe id quod nunc geſtant ſcilicet tria Lilia aurea, quibus ſubeſt, cœli, ſereni color, quem aſtrum Franci dicunt. Adhæc rem aſtipulatur D. Bartholomæi Monaſtetium, quod gaudium vallis appellatur; ubi fons hujus miraculi teſtis ab incolis oſtenditur.

His eximiis Præeminentiis, & prærogativis adde gratiam curationum ſolis Galliæ Regibus datam; ex Sacra nempe Olei deſuper miſſi unctione, ut communis eſt Scriptorum ſententia, effluentem, quâ ſtrumis laborantes, manuum impoſitione ſanant; quæ Gratia gratiſâ Deo primùm data Clodovæo uſque ad hæc tempora, cunctis Galliæ regibus confertur, & uſque ad finem mundi, in illis perſeverabit.

Nec, quod ad Regni, Regumque Galliæ gloriam non parùm confert, ſilentio prætereundum, ſpeciale illis labarum, ſeu vexillum militare è cœlo adhuc fuiſſe miſſum, pannum ſcilicet ſericum rubeum, nominatum *Auriſlamam* de quo Guaguinus, ubi ſupra. Traditum quoque eſt, inquit pannum ſericum rubrum, inſtar ſigni militaris è cœlo quadratum, miro fulgore ſplendentem divinitus eſſe exceptum, quo in expeditionibus contra fidei Chriſtianæ hoſtes, pro ſigno miliari ſicut ſigno Crucis olim Conſtantinus Magnus, Franci Reges uterentur; huicque vexillo nomen Auriſlamam hactenus permanſiſſe diuque apud S. Dioniſum ſervatum eſſe: ſed abutentibus hoc ſigno adverſus Chriſticolas Regibus, illud evanuiſſe; alterum autem, non diſſimili formâ inſtauratum eſſe, quod ab Epiſcopis conſecratum in Abbatia S. Dionyſii ſervatur.

CAPUT VII.

6. *Præminentia.*
Videte quomodo Lilia creſcunt?

HIs adjice, quòd ſub Archangeli Michaëlis ſpeciali tutela Regnum eſt Galliæ, qui ſupra Rupem in medio maris Oceani, prope Abrincenſem Vrbem apparuit, ibique eximium cœnobium ſub. Regula S. Benedicti, non abſque miraculis, ſub ejus invocatione juſſit ædificari. Eaque eſt Sanctorum Patrum, Summorumque Pontificum ſententia, Michaëlem Archangelum, Regni, Regumque Galliæ, ſicut & univerſalis Eccleſiæ, Angelum eſſe Tutelarem. Vnicus enim Angelus cuſtos, tum matris, tum infantis tutelæ præeſt. Reges autem Galliæ Primogeniti ſunt Eccleſiæ Romanæ, ut ſequenti cap. declarabitur. Inde à Regibus Galliæ Ordo creatus militum S. Michaëlis.

CAPUT VIII.

Gallia, ejuſque Reges, primi in orbe occiduo ad fidem Chriſti ſunt converſi: quare Eccleſiæ Romanæ Primogeniti, & Chriſtianiſſimi jure optimo nuncupantur.

7. Præeminentia.
Videte quomodo Lilia creſcunt? &c.

GEns Gallica, religionis, & Deorum cultus nequaquam negligens fuit, ut refert Livius lib. 5. Druidarum, namque, aliorumque gentis Gallicæ ſacerdotum, falſis tamen præceptis inſtructi quoddam ſemper numen coluere. Ejus miſertus Dionyſius Areopagita, Athenienſium ab Apoſtolo Paulo creatus Epiſcopus, Romam ad Clementem Romanæ Eccleſiæ Summum Pontificem ſe contulit, ab eodemque unà cum Ruſtico, & Eleuterio, in Gallias miſſus eſt, ut fidem faciunt, inquit Baronius tomo primo ad annum Chriſti 98. qui ex antiquoribus monuments res geſtas ſcriptis memoriæ tradiderunt. Mittendi verò in Gallias tam inſignem totâque Eccleſiâ ſpectatiſſimum virum, ea neceſſitas incumbebat, quòd primi illi à Petro ad Prædicandum ibidem miſſi Chriſti diſcipuli, Martialis ſcilicet & alii vitâ functi erant, nempe Eutropius, & Lucianus ſub Domitiano, Quamobrem nobiliſſimæ Gallicanæ jam coaleſcenti Eccleſiæ Paſtoribus deſtitutæ Clemens, qui alios eòdem miſerat, opportunè conſuluit, ut Dionyſium in Gallias mitteret; qui Pariſienſium creatus Epiſcopus, totam hanc Regionem ad fidem Chriſti convertit, eamque tempore Traiani Imperatoris ſub Feſcennino præfecto proprii ſanguinis effuſione ſancivit. Quare tanquam optimus Galliæ Apoſtolus à nobis colitur. Gallia ergo prima ex occidui orbis gentibus ad fidem Chriſti converſa, jure optimo Eccleſiæ Romanæ Primogenita dici debet; quod & ejus Regibus non eſt denegandum.

Clodovæus enim, Rex Francorum, qui adhuc

Erhnicus S. Genovefam Virginem venerabatur, ſuperatis ope Chriſti Alemannis, Clotildiſque uxoris Chriſtianæ continuis precibus, à S. Vedaſto catechiſatus, & à S. Remigio Baptiſatus, Sacroque oleo Rex Francorum conſecratus, fidem primus Regum Chriſti profeſſus eſt; à qua cœteri omnes Galliæ Reges uſque ad hæc tempora numquam receſſerunt, Quare meritò inter occidui orbis Reges, Chriſtianiſſimi, & Eccleſiæ Primogeniti vocantur.

Quantus verò fuerit ejuſdem Clodovæi ad tuendam, ac propagandam Chriſti fidem Zelus ex multis patet. Primò, quia ejus hortatu ingens Franciæ Nobilitatis vis Chriſti fidem, rejecto vano idolorum cultu, amplexata eſt. Secundò, quia Arrianis, aliiſque Hæreticis bellum indixit, eoſque ex ſuo Regno expulit. Audiendus circa hoc Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſtor. Franc. Clodovæus Rex ait ſuis: valde moleſtè fero, quòd Homo Arrianus, nempè Alaricus Rex Gothorum partem teneat Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio eiſque ſuperatis, redigamus terram in deditionem noſtram cumque placuiſſet omnibus hic ſermo commotum exercitum Pictavos dirigit, ubi tunc Alaricus commorabarur; & ut refert Hincmarus, præmiſſis precibus, quibus Dei opem efflagitabat, Alaricum aggreditur, propriâ manu interficit, rotumque Gothorum exercitum uſque in Hiſpaniam fugat: celeberrimam verò hanc Clodovæi victoriam Hincmarus, eximiæ ejus tribuit religioni, & erga ſanctos ſingulari pietati. Horatu enim S. Clotildis prius Eccleſiam in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli in civitate Pariſienſi juſſit ædificari. Secundò, auſpicando difficillimo prælio, benedictionem petut à S. Remigio, qui victoriam, ſequentibus variis miraculis illi promiſit, nam vinum à S. Remigio benedictum, & Clodovæo oblatum Deus multiplicavit; veniente Clodovæo apud Pictavos, cerva vigennam flumen tranſiens vadum militibus oſtendit, & eodem Clodovæo in tenroriis commorante Pharus ignea de Baſilica S. Hilarii egreſſa, ei apparuit. Hæc futuræ victoriæ omina certiſſima, quam & Baſilicæ S. Martini, cum Clodovæi exercitus per territorium Turonicum tranſiret, Primicerius illi prædixit hanc ad ejus ingreſſum canens antiphonam: *præcinxiſti me virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.*

Videte ergo quomodo Lilia creſcunt?

Chriſtianâ enim religione, quæ ſola vera eſt, & erga ſanctos ſingulari devotione Regnum Galliæ nova ſemper augmenta recepit, & inprimis erga Mariam Deiparam.

CAPUT IX.

Maria Deipara Virgo, quæ cum Filio paſcitur inter Lilia, Gallorum Liliorum odore recreatur, à Gallis ſpeciali cultu ſemper honorata.

8. Præeminentia.

Videte, quomodo Lilia creſcunt?

Gallorum Lilia, ad cœlum uſque gratiſſimum ſuum odorem afflant, cœlorumque Reginam ſummoperè recreant. Nec mirum: à Gente enim Gallica, antiquis etiam retro temporibus; cùm adhuc Gentilitatis, & idolatriæ erroribus detineretur, ſpeciali cultu fuit honorata, omnium quippe tam veterum, quàm modernorum Scriptorum teſtimonio, in civirate Carnotenſi, templum à Gallis, juſſu Druidarum olim fuit extructum quod nunc adhuc viſitur, & ipſa eſt Eccleſia Epiſcopalis cum hac inſcriptione *Virgini Pariture*; quod de Maria Sanctiſſimâ Virgine, quæ Dei filium peperit, & virgo permanſit, intelligi debere, nemo in dubium revocavit; crevit. Cum tempore in Regno Galliæ, crevit ſpecialis ille Deiparæ Virginis cultus, ut in ſingulis fere ejus civitatibus extent Eccleſiæ ſub ejus invocatione, præcipuæque Epiſcopales & Archiepiſcopales, ut Pariſienſis, Rothomagenſis, nec ulla eſt in urbibus porta publica, cui Sanctiſſimæ Virginis vel ſtatua, vel imago affixa non appareat. Sed & felicis memoriæ Ludovicus decimus tertius eam Regni ſui Patronam ſingularem, voto publicè nuncupato elegit, juſſitque ut ſingulis annis in die ejus Aſſumptionis proceſſiones fiant ſolemnes, quibus Clerus, & Senatus adſint. Ad honorem adhuc Immaculatæ ejus Conceptionis Academia Cadomenſis, in qua viginti duorum annorum ſpatio ſacræ facultatis cathedram Regiam occupavi, carmina ſingulis annis, tam Gallico, quam Latino Sermone à Poëtis decantantur, & eximio prœmio coronantur. Qui verò erga Chriſtum, ejuſque ſanctiſſimam Matrem ſemper devotiſſimi fuere Galliarum Reges, Romanam Chriſti Eccleſiam ſummoſque ejus Pontifices ſingulari colent affectu.

CAPUT X.

Antiquiſſimus, ſpecialis, & verè filialis Regum Galliæ, erga Summos Romanæ Eccleſiæ Pontifices affectus, quibus proprium Diadema obtulerunt, pro quorum defenſione ſtrenuè ſemper decertarunt, eoſque è Roma vel fugatos, vel fugientes, ſuo in Regno humaniſſimè exceperunt, ſedeſque refugii dederunt.

9. Præeminentia.

Videte Lilia, quomodo creſcunt?

Creſcit adhuc regum Galliæ gloria ex antiquiſſimo ſpeciali, vereque filiali eorum erga Summos romanæ Eccleſiæ Pontifices cultu, & affectu: & ut à Clodovæo, primo Galliarum, Regum Chriſtianorum Rege Chriſtianiſſimo ſumam exordium audiatur Hincmarus in vitâ S. Remigii: cùm inquit, vero Chriſtiano orbi innotuiſſet, novum Romanæ Eccleſiæ electum eſſe Pontificem Hormiſdam ſcilicet, novus Rex Chriſtianiſſimus Clodovæus cunctorum prævenit obſequium, & ſuperavit officia, etenim Coronam auream cum gemmis, (quæ Regnum appellari ſolet,) B. Petro, direxit, ut qui eam à Deo receperat, eam Chriſti Vicariis redderet: gratam Clodovæi Regis Chriſtianiſſimi oblationem Chriſtus accepit, ut declaravit eventus: Francorum enim Regni Corona uſque ad hæc tempora, fideſque Chriſtiana in illis perſeveravit. Certè, addit Baronius tomo 6. in vita Hormiſdæ, miraculi fermè loco ducendum eſt, ut in una gente tanto tempore tantâque propagatione Regnum Galliæ manſerit, quæ de alia quaque natione, haud facile qui, inveniet. Hoc verò illibatæ eorum fidei, & ſpeciali erga Summos Eccleſiæ Romanæ Pontifices cultui tribuendum eſt.

De Carolo Martello, ex Regiâ Clodovæi Regis ſtirpe, qui Pipino filio, & Carolo Magno, cœteriſque ſecundæ hujus Regiæ ſtirpis Regibus, ad

ad Regnum Galliarum, eximiâ ſuâ virtute, viam ſtruxit, quædam judicavi erga Eccleſię Romanæ, & Chriſtianæ Religionis cultum apponeoda. Quidam enim eximiæ illius virtuti invidentes, eum infamarunt, maximè ex hoc quòd Eccleſias, bonis ſuis ſpoliaſſet, & ob tale ſacrilegium anima ejus fuerit ad Inferos damnata, ejuſque Sepulchro aperto, Draco exire viſus fuerit. Quæ omnia Baronius tomo 8. de geſtis Caroli Magni, falſiſſima eſſe efficaciſſimis demonſtrat argumentis. Et quidem primò, quia viſio illa, facta ut dicitur S. Eucherio de ejus poſt mortem ad Inferos damnatione, nec non Draconis ex ejus Sepulchro exitu falſiſſima eſt. S. enim Eucherius ante decennium, & juxta Molanum quatuordecim annis mortuus eſt, priusquam Carolus Martellus ex hac vitâ decederet. Cum ergo inquit, Baronius, adeò repugnent tempora, ut S. Eucherius viderit animam Caroli Martelli apud Inferos cruciari, qui nondum obierat, nec ſepultus, tanquam merum commentum hæc hiſtoria exiſtimanda eſt; quodque omnem penitus dubitationem poteſt auferre, idem ipſe Bonifacius, qui aſſeritur inſpector fuiſſe Sepulchri, ex quo Draco ille exiviſſet, & teſtis oraculi de damnatione Caroli ad Inferos ſcribens ad Ethilbandum Merciorum in Anglia Regem ſceleſtiſſimum, ut illum revocet ad pœnitentiam, varia ſuâ illa epiſtolâ Regum, qui propter ſua ſcelera ad Inferos damnati ſunt, exempla proferens, nullam de Carolo Martello mentionem facit, ejuſque damnatione, quam dubio procul tacere non debuit. Adde, quod Carolus Martellus Eccleſiam Romanam ſpeciali honore coluit, & ejus Eccleſiis multa donavit, pro ejus tutela egregiè pugnavit, & Arrianos Gothos ejus hoſtes, uſque ad trecenta millia apud Andegavenſes, & Turonenſes interfecit. Quare à Gregorio ſecundo, & tertio Summis Pontificibus, & à S. Bonifacio, quia ejus ope, centum millia Paganorum Germanorum ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam convertiſſet, maximis encomiis extollitur. Reſtitutis ergo, quæ ad ſuſtendandum exercitum abſtulerat Eccleſiæ bonis, credere licet, ait Baronius, quòd maximis, quæ in morte ſolent accidere doloribus cruciatus, poſt integram Exomologeſim, quâ ſuam animam Deo per ſanctum Dionyſium præſentandam ſollicito ſtudio comendavit, etſi magnus prius peccator extiterit; piè in Domino obierit, & de ejus ſalute æterna ſit ſperandum.

De Pipino ejus Filio, primoque ſecundæ regiæ ſtirpis Gallorum Rege, quanto ſummos Eccleſiæ Pontifices honore fuerit proſequutus ea dicendis ex Baronio in ejus hiſtoria patebit: & quidem primò, quæ pater abſtulerat bona Eccleſiis reddidit. S. Bonifacium Moguntinæ Sedi præfecit, & à 2. Zacaria Papa Rex Galliæ creatus, Sedi Apoſtolicæ ſe ſuumque Regnum ſubmiſit, Legatos ad Stephanum 3. Papam miſit, qui eum in Gallias duxerat, ejuſque adventum audiens, unâ cum conjuge, filiis & Primatibus feſtinanter in ejus occurſum venit, ad fere trium millium ſpatium deſcendens de equo ſuo, cum magna humilitate terræ proſtratus, cui & vice ſtratoris uſque ad aliquantum locum juxta ejus ſellare properavit, quod videns Papa præfatum Chriſtianiſſimum Regem lacrymabiliter deprecatus eſt, ut per pacis fœdera cauſam B. Petri, & Reipublicæ Romanorum ſuſciperet; quod jure jurando præſtito Pipinus promiſit, & effectu complevit: exarchatum enim Ravennæ, & Reipublicæ juxta & loca omnia ablata reſtituit; vindexque Eccleſiæ, & in eam munificentiſſimus, ſanctorumque maximè S. Dionyſii cultor, novus Moyſes, novuſque David à Staphano Papa, fortiſſimuſque Eccleſiæ Defenſor in epiſtola, quam ad illum ſcribit, appellatur.

Ad Carolum magnum Pipini filium, qui cum patre in occurſum Stephani Papæ, Galliam petenti venit, progredior. Paternæ Carolus erga Eccleſiam Romanam pietatis hæres, Romam venit, pedeſtee ad S. Petrum ambulat, gradus S. Petri ſigillatim deoſculatur; præcipuas Eccleſias viſitat, Hadrianum ſummum Pontificem ſummâ colit reverentiâ, in cujus manibus, Patris Pipini, & fratris Carolomanni donationem Romanæ Eccleſiæ factam confirmat. Eccleſiam S. Petri donis cumulat; Eccleſiæ Romanæ hoſtes impugnat, vincit, de illis triumphat, & cum Hadriano Papa, totoque populo, pro victoria Deo gratias agit. Legationem, & munera ad Leonem Papam 3. mittit, & ſingularem cum illo amicitiam ſancit, eique in Gallias venienti ſuos obvios mittit; venerabiliter eum excipit, Saxoniam bello devictam S. Petro obtulit, Gallis annuam collectam indicit præſtandam Romanæ Eccleſiæ: ob tot erga Romanos Pontifices paternæ pietatis officia, & eximia alia virtutum Chriſtianoſum eximia facinora, ſed & miracula, nedum magnus, totiuſque occidui orbis primus Imperator, ſed & inter Sanctos à Paſchali Papa relatus, cujus feſtum in omnibus fere Belgii & Germaniæ Eccleſiis celebratur.

CAPUT XI.

Supremum in omnes cujuſcumque ſtatus, & ordinis ſubditos Regum Galliæ Imperium.

10. eorum Præeminentia.
Videte quomodo Lilia creſcunt?

Creſcunt Lilia Gallica, quia Regum Galliæ in ſubditos Imperium; cœteris aliarum gentium Regum Imperiis præcellit; ſupremam enim habent in ſubditos vitæ & necis poteſtatem, ſupremumque Dominium. Alii enim Reges Chriſtiani nihil niſi de Conſilio, & aſſenſu Senatorum, qui Parlamenta, vel Comitia Generalia componunt, in ſuo Regno decernunt, ut Reges Angliæ, Sueciæ, Poloniæ &c. Reges verò Galliæ, etſi nihil ſine conſilio ſtatuant; decretis tamen conſiliariorum non ita adſtringuntur, quin prout illum viſum fuerit, ea non poſſint æquo ſuo judicio immutare, pro bono publico, & Regni ſalute, quod eximiæ eorum Politicæ Sapientiæ, & ſingulari divinæ erga eos providentiæ tribuendum eſt; ſpiritum enim à Deo principalem, ideſt ad regendos populos aptiſſimum in ſua Conſecratione, & Sacri Olei à Spiritu S. ore Columbæ cœlitus delati Unctione recipiunt.

CAPUT XII.

Virtutes omnes Regiæ, in Regibus Galliæ, prudentia, politica, juſtitia, vera Religio, fortitudo, temperantia, aliæque virtutes, quæ ſanctos efficiunt, maximè emicant.

11. Eminentia
Videte quomodo Lilia creſcunt.

Cum è cœlo Columba Sacrum oleum, quo Rex Gallorum Clodovæus inungeretur, attulit, credibile eſt, Spiritum S. ſua illi tunc dona, virtuteſq

D

que omnes Regias abundè infudiſſe. Quanta enim in illo ab eo tempore juſtitia emicuit, quanta in Deum religio, & ſanctorum veneratio ? juſtitiæ, ſummæque ejus æquitatis duo proferam exempla. Vrceolum enim argenteum, quem miles Gallici exercitus ex Eccleſia Remenſi abſtulerat, Remigio Sanctiſſimo ejus Antiſtiti; fœnumque quod alter miles in agro ditionis S. Martini Turonenſis Archiepiſcopi deprædatus fuerat, ejus Eccleſiæ juſſit reſtitui. Cùm verò Miles, ut ſe à rapina excuſaret, edictum illius proferret; ut nullus per territorium tranſiens nullus de regione illa quàm herbarum alimenta auferre præſumeret, fœnum autem inter herbas eſſe recenſendum, reſpondit Religioſiſſimus, & æquiſſimus Princeps, milite gladio perempto, & ubi erit ſpes victoriæ, ſi S. Martinus offenditur ? ſatiſque fuit exercitui, nihil ulterius ab hac regione præſumere.

Singularem eius erga Deum Religionem, prudentiam politicam, virtutem bellicam aliaſque Regias virtutes ſupra fuſè celebravimus, quarum cœteri ejus in Regno, triplicis Regiæ ſtirpis ſucceſſores, fuere participes, ut Pipinus, Carolus Magnus, S. Ludovicus, &c. unde in nullo alio Regno tot Reges ſancti extitere, quàm in Galliarum Regno.

CAPUT XIII.

Reges Galliæ æquiſſimae ſemper pro Chriſtiana, & Catholica Religionis præſidio & augmento, & pro ſalute Regni Leges decreverunt, ex quibus eorum eximia juſtitia emicat, & religio.

11. Eminentia.

Conſiderate Lilia quomodo creſcunt ?

Dico vobis, quod nec Salomon in omnia ſua gloria, coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis. Math. 6.

MAgna certè Regis Salomonis gloria, qui cœteros Gentis Iudaicæ Reges ſuo ſuperavit ſplendore. Verùm, quam à Deo ſapientiam, juſticiam, religionem, fortitudinem, temperantiam acceperat, in fine vitæ, Idolorum cultu amiſit, has autem Regias virtutes Clodovæus, Pipinus, Carolus Magnus, S. Ludovicus illibatas ſervarunt. Leges æquas Salomon tulit; ſed longe Æquiores, pro cultu Dei, & ſubditorum quiete illi ſanxerunt, adverſus ſacrilegos ſanctum Nomen Dei blaſphemantes; Simoniacos, Uſurarios; Homicidas, & ſingulari certamine decertantes.

CAPUT XIV.

Regni Gallici perennitas, & perpetuitas.

12. Eminentia.

Videte Lilia quomodo creſcunt ?

LIliorum nedum magna ſuaveolentia, ſed mira prorſus fœcunditas, ex una enim ſtirpe quamplurima germinant Lilia, quod alii flores non habent, Vnde Regius Vates in pſal. canit, dicens : *juſtus ut palma florebit, & germinabit ſicut Lilium. Reges Galliæ*, ut ſupra oſtenſum eſt, juſtitiâ, legumque ſanctarum latione, & religione Chriſtiana cœteris aliarum gentium Regibus præcellunt : non ergo mirum, quòd ut Palmæ floreant, & ut Lilia germinent. Quanta enim ex Clodovæi Regia ſtirpe Regum copia pullulavit, ut ad numerum ſexageſimum quintum uſque ad invictiſſimum Ludovicum decimum quartum, Auguſtum, & à Deo datum pervenerit.

Nec minus ſtupenda Liliati hujuſce Regni perennitas, uſque enim ad ſecundum Chriſti & Antichriſti adventum durabit, ut docet Auguſtinus, tractatu de Antichriſto, qui in fine 3. ejus tomi extat : quamdiu Reges Francorum duraverint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romani Imperii dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus ſuis ſtabit. Quidam verò Doctores noſtri dicunt, quòd unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in noviſſimo tempore erit, & ipſe erit maximus, omnium Regum ultimus; qui poſtquam regnum ſuum fœliciter gubernaverit, ad ultimum Hieroſolymam veniet, & in monte Oliveti Sceptrum, & Coronam deponet. Hic erit finis, & conſummatio Romanorum, Chriſtianorumque Imperii, ſtatimque ſecundum Apoſtoli prædictionem, Antichriſtum dicunt venturum, & hæc opinio apud omnes Græcos adhuc viget. Cùm enim in Candia degerem, urbe à Turcis obſeſſâ; oblatus eſt mihi à Græcis illius Sacerdotibus, quos Papas vocant, Græcâ vulgari linguâ calamoque ſcriptus, ubi ex Daniëlis Anachoretæ Prophetia refertur, quod ex occiduo orbe, & Gallorum regione Princeps egredietur, qui totius orbis Imperium uſque ad Antichriſti adventum, poſſidebit, ejuſque in charta imago, calamo depicta, videtur, cui Angelus Sceptrum cum crucis effigie offert, & ſequenti pagina, Antichriſti naſcentis imago apparet. Favet piæ huic Græcorum opinioni Prophetia Danielis cap. 11. ubi dicitur quod *Rex Aquilonis*. Franci enim ex Germania, quæ ad Aquilonem eſt, ſunt oriundi, *cum triremibus Romanis* veniet adverſus Turcas, *qui Deum Maozim*, ideſt Mahometem colunt, & acerrimè pugnabit, *& convertet faciem ſuam, ad inſulas maris*, ſcilicet Mediterranei, quas Turcæ occupant, *& ceſſare faciet Principem opprobrii ſui*. His convicti argumentis Græci qui in regione Iudeæ degunt, Gallos ſingulari affectu proſequuntur, à quibus auxilium, patriæque à Turcis liberationem præſtolantur.

Gallorum ergo Imperium uſque ad extrema mundi tempora durabit, cujus perennitatis plures rationes invenio, & quidem primò, fides, & chriſtiana religio, quæ uſque ad illa tempora illibata ſemper permanebit. Secundò ſpecialis erga Deiparam Virginem cultus. Tertiò, plurimorum Martyrum in Gallia ſanguis pro fide Chriſti effuſus, ſanctorumque Apoſtolorum corpora, quæ Toloſæ in Eccleſia S. Saturnini requieſcunt. Quartò, Hæreditaria, non electiva Regum ſucceſſio, fœminarumque lege Salicâ, à Regni regimine remotio. Quintò ſingularis Gallorum ſubditorum erga ſuos Reges benevolentia, reverentia, fides obedientia.

ILLIBATA, ET FIRMISSIMA GALLIÆ REGUM Religio Catholica, Fideſque Chriſtiana inconcuſſa, Regni Liliati perennitatis, primum fundamentum.

Regna religione firmari, Tullius Tacitus, alii que antiqui Scriptores, etſi Gentiles aſſerunt. Nec mirum; cum enim Regna terræ à ſolo Deo, Regum omnium maximo hominibus dentur, nec à fato, ſed ſingulari ejus Providentiâ gubernentur, ut fuſe demonſtrat Auguſtinus in lib. de civitate Dei, ab eodem firmari, & vero ejus cultu inconcuſſa permanere, & habere perpetuitatem, nemo ſanæ mentis negabit. Vnde, quia Aſſyrii, Medi, Perſæ, Græci, Romani à vero unius Dei cultu receſſerant, eorum Imperia finem habuere, ut idem demonſtrat Auguſtinus. Gallorum autem Regum Imperium uſque ad finem mundi durabit, quia vera & orthodoxa fides, & Chriſtiana religio, quæ uſque ad hæc tempora apud illos illibata permanſit, uſque ad finem mundi inconcuſſa durabit. Id S. Remigius Clodovæo poſt Sacri Olei Inunctionem, & Baptiſma receptum, ab eo inquirenti, quamdiu Regum Galliæ permaneret, prædixit his verbis, ſtante in Gallia Fide Orthodoxâ, & verâ Religione Chriſtianâ, ſtabit ejus regnum. Quod & Agathocles Græcæ hiſtoriæ Scriptor his verbis confirmat ſunt enim omnes hi (loquens de Regibus Galliæ) Chriſtiani, & rectiſſimæ inter cœteros opinionis. Iuſtitia veraque religio, & charitas ubicumque inter mortales foventur, fœlicem proculdubio Rempublicam reddunt, ſtabilemque atque adeò diu manſuram efficiunt, nec facilè injuriæ opportunam, ut capi ab hoſtibus queat. Franci igitur, quum optimum degant id genusvitæ, ſeipſos inprimis, & proximos quoſque pervincunt, & ex parentibus filii Regna ſuſcipiunt: idem Gregorius magnus Epiſt. ſupra adducta Regi Childeberto Chriſtianiſſimo pollicetur.

JUSTITIA ALIÆQUE REGIÆ VIRTUTES QUÆ in Regibus Galliæ ſemper emicant, Regni Gallici perpetuitatem portendunt.

Sine juſtitia, inquit Auguſtinus lib. de civit. Dei, quid ſunt magna regna, niſi magna latrocinia? Regnum, ait ſapiens, Eccleſ. 10. *propter injuſtitiam ab una gente ad aliam transfertur.* Iuſtitia ergo Regna firmat, ſine qua *nec Iovem quidem poſſe principem agere*, canit Gentilis Poëta. Cùm ergo apud Reges Galliæ juſtitia, religio, aliæque regiæ virtutes ſemper vigeant perennitatem, uſque ad extrema mundi tempora Iuremerito S. Remigius, S. Auguſtinus, & Gregorius, Gallici regni vaticinantur: quam adhuc ex ſpeciali eorum erga Deiparam Virginem cultu licet ominari.

Romæ olim, ut referunt Hiſtorici, Templum Pacis magnificentiſſimum extructum eſt, ejuſque durationem cùm ab Apolline romani inquirerent, Pithius tale reddidit reſponſum; ſemper in integro permanſurum, donec Virgo pareret: Virginem autem numquam parituram pro certo exiſtimantes, utpote impoſſibile & legibus naturæ contrarium; firma apud Romanos hæc ſtetit ſententia, Templum Pacis numquam fore deſtruendum, quod tamen à Gothis, & Vandalis penitùs dirutum eſt. Galli, ut ſupra dictum eſt, Carnuti ante Chriſti adventum Druidarum ſuaſu, Templum *Virgini Pariturae* magnificum ædificarunt, quod adhuc integrum extat, & ubi Epiſcopi Carotenſes ſedem habent Pontificalem. Gallia, ut ſupra demonſtravimus, ſingulari ſemper religionis cultu, & affectu, Mariam tanquam Dei Matrem, Regnique Patronam, proſequuta eſt; ex quo illius uſque ad extrema mundi tempora perennitatem certò licet conjicere.

His adjice, innumeras Sanctorum Martyrum, qui pro Fide Chriſtiana tuenda ſudère Sanguinem in Gallia Sacras Reliquias; ſi enim Tertulliano licuit dicere ſanguis Martyrum, ſemen eſt Chriſtianorum; plures efficimur, quotiesmetimur; nonne Gallicæ Gentis, tot Martyrum pio cruore purpuratæ corona uſque ad Chriſti aduentum inconcuſſa permanebit? quot Martyrum corpora, tot ejus Palladia; quot Apoſtolorum, quæ Toloſæ requieſcunt ſacræ exuviæ, tot Ancylia; quot Eccleſiæ à Regibus Gallis ad honorem Sanctorum extructæ; quot Monachorum cœnobia, quot denique Sancti Pontifices, quorum maximus eſt in Gallia numerus; tot firmiſſima ſunt hujuſce Chriſtianiſſimi regni perennitatis argumenta; quam ex hæreditatiâ filiorum, vel Regiâ Stirpe Progenitorum ſucceſſione adhuc conjicio. Docent enim omnes ferè Politicæ diſciplinæ Doctores cum Platone, & Ariſtotele, Regna, quibus filii poſt parentes hæreditatiâ ſucceſſione imperant, longè firmiora eſſe, & diuturniora, quàm quæ viâ electionis, & populorum ſuffragiis comparantur. Electiones enim vel Potentium violentiâ, vel electorum vi, pecuniæ corruptelâ, vel ſub ſpe alicujus prœmii ſolent fieri; quas innumeræ, ut plurimum factiones comitatotur; & ipſâ comprobatur experientiâ; ea quæ ex liberâ populorum electione pendent, parvo tempore in integro ſtare. Vulgo enim nihil levius. Vnde quâ libertate Reges creant, eâdem ſe poſſe eos à Regno removere exiſtimant.

Aliud adhuc firmiſſimum Regni Liliati fundamentum hoc eſt, quòd fœminæ juxta legem Salicam à Pharamundo primo Francorum Rege latam, Gallis non imperant, ſed tantùm marès. Vnde commune illud adagium, *Lilia non nent*, Regna enim quæ à fœminis reguntur; parum durant. Lex autem Salica, vel à loco, ubi lata eſt, ſic appellatur, vel à ſale quòd à corruptione corpora ſervat.

Vltimum perennitatis Regni Gallici fundamentum, eximia eſt Regum Galliæ erga ſuos ſubditos

clementia, filialiſque erga ſuos Reges tanquam Patres Patriæ beoevoleotia, & fides, quam Principi voverunt & cum juramento polliciti ſunt, conſtantia, ut ipſe ſupra adductus Agathocles, Scriptor Græcus teſtatur, & ipſa coofirmat experieutia.

Duodecim hæ Regni, Regumque Galliæ ſupra cœtera Orbis terrarum Reges, Regnaque Prærogativæ, Præcellentiæ, & Præemioeotiæ, duodecim ſunt veluti Siellæ, vel gemmæ, quæ caput eorum coronant.

EPILOGVS.

AVdiant ergo Chriſtianiſſimi Galliæ Reges, Eccleſiæ primogeniti, ejuſque acerrimi defenſores, ea quæ Gregorius Magnus, Eccleſiæ Doctor Summuſque Pontiſex ad Childebertum Regem Gallorum ſcribit Epiſt. quæ lib. Epiſt. ſeu Regiſtri extat. Quantò cœteros homines Regia dignitas antecedit, cœterarum gentium regna; regni veſtri profectò culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alii, uon mirum eſt, ſed eſſe Catholicum, quod alii noo merentur, & Chriſtianiſſimum, & Romanæ Eccleſiæ Primogenitum, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in terræ noctis obſcuritate, luminia ſui claritate fulgeſcit; ita fidei veſtræ claritas inter aliarum Gentium obſcuram perfidiam rutilat, ac coruſcat. Quidquid autem Reges cæteri ſe habere gloriantur, habetis. Sed ipſi in hac re vehementer ſuperentur, quoniam hoc principale bonum noo habent, quod habetis. Vt ergo ſicut in fide, ita & actione vincantur; beniguam ſe excellentia veſtra ſuis ſubjectis ſemper exhibeat, & ſi quæ ejus animum offendere valeant, indiſcuſſa ea non ſinat. Tunc enim verè Regi Regum, id eſt omnipotenti Deo, ac Domino amplius placebit, ſi poteſtatem ſuam reſtringens, mious ſibi licere crediderit quàm poteſt. Quia igitur ſinceritatem fidei & mente ſervatis & opere, B. Petri Apoſtolorum Priocipis amor, qui in vobis eſt, evidenter oſteodit, cujus res, Chriſtianæ Religionis intuitu, ſub veſtri culminis poteſtate benè hactenus gubernatæ ſunt, & conſervatæ. Quare Claves S. Petri in vinculis excellentię veſtræ traſmittimus, quæ collo veſtro ſuſpenſæ, à malis vos omnibus tueaotur.

Audiant & omnes, Regibus Galliæ ſubditi priſcorum Gallorum ad Clodovæum poſt ejus ad fidem Chriſtianam cooverſiooem voces; tuo, inquit, exemplo Rex piiſſime, & Chriſtianiſſime, mortales Deos abjicimus, Deum, quem Remigius prædicat immortalem colimus, teque ſequi parati ſumus, obſequentiſſimi, & fideliſſimi tuæ Majeſtatis ſubditi, & ſervi.

Audiant adhuc omnes Galliæ Regibus ſubditi, Senecæ, etſi Gentilis Philoſophi verba, quibus Romani Imperii ſubditos ad præſtandam Romanis Imperatoribus fidem, & obedientiam hortatur; lib. 1. de clemeotia c. 4. veſtram incolumitatem amatis, cum pro ſalute Imperatoris quamplures legiones io aciem deducitis; cùm in prima fronte procurritis, & adverſa vulneribus pectora fertis, ne ſigna ejus vertantur. Ille enim eſt vinculum, per quod Regnum cohæret, Ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia homioum trahunt; nihil ipſum futurum, niſi onus, & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur. *Rege incolumi ment omnibus una, amiſſo rupere fidem*, canit Virgilius. Hic caſus, cujuſcumque Regni exitium erit; hic populos in ruyoam agit: tandiu ab iſto periculo aberit Regnum, quamdiu populi ſubditi ſcient ferre frœnos; idemque erit dominandi finis, qui parendi fuerit.

Quàm ergo Nobiliſſimi Galli Regibus veſtris ſub juramento ſolemoi fidem, obedieotiam, & benevolentiam voviſtis, ſemper illis præſtate: hoc leges Chriſtianę politiæ decernunt; hoc, Apoſtolus Paulus Chriſtiaois Chriſti nomine pręcipit ad Romao. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita, non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt, itaque, qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi damnationem ſibi acquirunt. Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali; vis non timere poteſtatem, fac bonum; & habebis laudem ex illa. Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum; ſi autem malum feceris; non ſine cauſa gladium portat, Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram eiqui malum agit: neceſſitate ergo ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; ideò tributa eis præſtatis, Miniſtri enim Dei ſunt. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem, cui honorem, honorem, obedientiam, benevolentiam.*

Ad te Invictiſſime, Auguſtiſſime, & Gallis in eorum ſalutem totiuſque Reipublicę Chriſtianæ decus, à Deo Date Ludovice, qu Liliati Regni habenas ounc moderaris, hæc mea flectatur, & in te deſinat oratio. Tu Deo placuiſti, ut io Regem Galliæ conſecratus Dei vice, in terris fungereris. Tu vitæ, neciſque in ſubditos tuos arbiter es; qualemque unuſquiſque ſortem, ſtatumque habeat, in manu tua poſitum eſt. Quid cuique Deus datum velit, ore tuo pronunciat: ex tuo etiam reſponſo lætitiæ cauſas, ferè omnes orbis terrarum populi, & urbes concipiunt. Nulla pars uſquam, belli, paciſque arbitro, niſi te volente, propitioque floret: tot gladiorum millia, quæ Pax tua comprimit, ad nutum tuum ſtringentur.

Quam ergo Rex Galliarum Auguſte à Deo Regiam auctoritatem pro Liliati regni ſalute accepiſti ad ipſiuſmet Dei, Regis Regum gloriam amplificandam exerce; fidem Eccleſiæ, Catholicæ, Apoſtolicæ: & Romanæ, quam à Clodovæo, ſeu Ludovico primo; à Carolo Magno, è S. Ludovico, & ab omoibus, & ſingulis triplicis Regiæ ſtirpis Regibus accepiſti, & ſemper religioſè ſervaſti adverſus Hæreticos, & Infideles animoſè tuere, & erga ſubditos tuos Regium, ac paternum, quem ſemper habuiſti, affectum ſemper demonſtra; ut pro Veſtræ Regiæ Majeſtatis, pro Reginæ, pro inclyti tui Delphioi, ejuſque generoſiſſimæ ſponſę æterna ſalute ad Deum, ſanctiſſimamque ejus Matrem, Regni veſtri ſpecialem Patronam preces continuò fundant. Vivat, vivat Ludovicus decimus quartus, Auguſtus, à Deo datus, & in æternum vivat, ejuſque Deus de noſtris augeat annos.

Fr. HYACINTVS CHALVET Ordinis Fr. Prædicatorum, Conventus Toloſani S. Thomę Aquinatis à ſexaginta annis alumnus veſtræque Majeſtatis Chriſtianiſſimę in veſtra Voiverſitate Cadomenſi, à viginti duobus annis, in Sacra Theologię facultate Profeſſor Regius, hanc veſtrę Majeſtati Galliam, & Politiam Chriſtianam, Regnique veſtri prę cœteris Regnis prerogativas Præcellentias, Præeminentias offert, dicat & conſecrat.

POLITIA CHRISTIANA SIVE POLITICORUM JUXTA PRÆCEPTA CHRISTIANÆ DISCIPLINÆ LIBER PRIMUS.

QVÆSTIO PRIMA de arte; ſive ſcientia Politica.

CAPUT I.

Quid ſit ars, ceu ſcientia Politica, ejus objectum; & finis.

INTER præcepta diſciplinarum, quibus humana vita inſtituitur, eminentiſſimum quodam modo locum obtinent, quæ de civitatibus, earumquæ regimine, & conſervatione traduntur; Nam hujuſmodi fœlicitatem hominibus comparare ſtudent, fœlicitatem autem, ſi uni acquirere præclarum eſt; quantò magnificentius erit, eam Univerſitati, Civitatibus, Regnis, Imperiis comparare? Bonum, quantò latius patet, tantò divinius eſt æſtimandum; cumque homo imbecillum ſit animal, nec perſeipſum plenam habeat rerum ſufficientiam, ex civili verò ſocietate illam obtineat, nulla profectò convenientior illi eſſe poteſt diciplina, quàm Ars, ſive Scientia Politica, & civilis, quæ definitur rectè adminiſtrandæ Reipublicæ ſcientia; cujus præcipua cura poſita eſt in conſtitutione legum, quibus, veluti certis regulis ſtatum Reipublicæ diſponat; jubeat quæ agenda ſunt, prohibeatque contraria; uitiis ſupplicia, virtutibus prœmia decernat; doceat auctoritate domitas habere libidines, omneſque coercere inordinatas cupiditates, ſua tueri, ab alienis bonis mentes, manus, & oculos cohibere; ut cives ſint incolumes, vita ſit quieta, & tranquilla.

Ars, verò dicitur Politica Diſciplina; non propriè loquendo, ſed lato modo, quia practica ſimul eſt, & ſpeculativa, & circa actionem præcipuè occupatur. Vera tamen eſt ſcientia & ut Platoni viſum eſt, ſapientia; Divinarum utpote rerum, & Humanarum notitia, juſtique & injuſti cognitio; ars regendi populos ſecundùm Deum, & homines, quidve illis rectum ſit, & conveniens disjudicandi; juxta Socratem Scientia eſt Regia, & Regum, cujus, objectum eſt civitas, vel Reſpublica regenda; finis: bonum commune; artes Miniſtræ; officia, leges condere.

CAPUT II.

Artis; ſeu ſcientiæ Politicæ, ac civilis utilitas, & neceſſitas.

PRæclarè equidem Cicero lib. 1. de Legibus; homo, inquit, animal eſt providum, ſagax, acutum, memor, plenum ratione, & conſilio, quod brutis animantibus à Deo non eſt conceſſum. Ratione verò nihil pulchrius, nihil præſtantius, hæc enim omnium artium Mater, vitiorum emendatrix, virtutumque conſervatrix, quâ nihil à Deo uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominibus datum eſt. Hæc una nos cœteras res omnes docuit & quod difficillimum eſt, noſmetipſos noſcere. Cujus præcepti tanta vis eſt, ut ea non homini cuiquam, ſed Delphico Deo, ſcilicet Apollini tribueretur. Nam qui ſeipſum perfectè noverit, ſentiet ſe aliquid habere divinum, ingeniumque ſuum, ſicut quoddam Dei ſimulachrum putabit, tantoque munere Dei ſemper dignum aliquid & ſentiet, & faciet; & cùm ſeipſum perſpexerit, totumque tentaverit, intelliget, quemadmodum à natura ſit conditus, & ad quem finem ordinatus; ſe non ſolum ſibi, ſed aliis natum agnoſcet, nec unius domus,

Ee

vel civitatis circumdatum muris popularem alicujus loci, ſed civem totius mundi, qui communis omnium civitas debet exiſtimari: cùm ergo ſe ad elvilem ſocietatem & vitam natum ſenſerit, eâ arte ſibi utendum putabit, quâ regat familias, civitates, Regna; quâ leges ſanciat; quâ caſtiget improbos, qua bonos tueatur, claros viros laudet. Quæ cùm ita ſint, utiliſſimam Reipublicæ, & humanæ, ac civili ſocietati artem, ſeu ſcientiam politicam, imò & abſolutè neceſſariam eſſe quis negabit?

Rempublicam, & ingentem hominum multitudinem, qualis eſt in civitate, in Regno, & Imperio, multò difficilius eſt, quâm ſeipſum, vel domum, ceu familiam privatam gubernare. Cùm ergo ad proprium cujuſlibet regimem quædam ars, ſive prudentia ſit conſtituta; Moralis, videlicet monaſtica, quâ proprios actus ſinguli hominum in ultimum finem dirigere edocentur; Oeconomica ad rectam domus, ceu familiæ gubernationem; quis non videat civilem adhuc artem, ſeu prudentiam politicam ad gubernandas civitates, & Regna eſſe abſolute neceſſariam? prudentia monaſtica ſingulis hominibus neceſſaria eſt, ad proprios actus regendos; Oeconomica Patri familiâs, ad rectè gubernandam propriam domum; Politicâ Prudentiâ Rex, vel Reipublicæ Rector indiget, ut populos ſibi ſubditos recte ad finem, qui vita eſt tranquilla, ſufficiens, beata, conducat. Animalia ſine aliqua arte nequeunt domari: at nullum animal homine moroſius; nullum majori arte tractandum. Ars ergo ſeu Scientia Politica, quâ populi, civitates, Regna gubernantur, præ cœteris artibus humanæ vitæ convenientibus utiliſſima eſt, & ſimpliciter neceſſaria.

CAPVT III.

Artis, ſeu Scientiæ Politicæ honeſtas, dignitas, & præſtantia.

MVlta nomina aliud nunc ſignificant, ait Varrò lib. de Lingua Latina, quàm quod antea ſignificabant, ut hoc nomen *hoſtis*; Nam olim eo nomine dicebant Peregrinum, & Hoſpitem, qui ſuis legibus uteretur; nunc autem ſignat inimicum, adverſarium; quem antiqui perduellem dicebant. Olim *Sophiſta* vocabatur Profeſſor ſapientiæ; hodie hoc nomen in deteriorem partem tranſiit, & ille dicitur, qui arguendo utitur ſophiſmatibus, ambiguiſque verbis: ſimilitet, & hoc nomen *Politicus*, hodie apud multos, etiam Chriſtianos malè audit: Politicos enim eos vocant, qui ſpretâ verâ, & Catholica Religione, ſolum Reipublicæ, vel ſtatus commodum reſpiciunt. Verum enim verò, honeſtum eſt, & præclarum Politici nomen, ſi res ipſa conſideretur. Politicus enim ille dicendus eſt, qui artem gubernandi Populus, Civitates, Regna, Imperia apprimè novit. Quid vero præclarius, quid præſtantius quàm innumeram hominum multitudinem rectè gubernare, unumque hominem tot hominibus præeſſe? Vnde Virgilius Romanum populum ex hoc capite maximè commendat, his verſibus:

Tu regere Imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Pauciſſimis his verbis Poëtarum Princeps, Politicæ artis ſupra cœteras artes, præcellentias, & prærogativas complexus eſt, quarum hæc prima occurrit, quòd ars eſt Regia, nec cujuſtibet hominis, ſed illius dumtaxat, qui ad Imperium natus eſt: unde merito artium Regina appellanda eſt. Artes enim commendare ſolent, tum Materiæ, tum Artificis dignitas ut Lepide declarat Tertullianus lib. de Reſurrectione, his verbis; Iouem Olympium Phidias ex ebore molitur, & adoratur; nec jam beſtiæ, & quidem inſulſiſſimæ dens eſt; ſed ſummum ſæculi Numen, non quia Elephantus; ſed quia Phidias tantus. Cæteræ artes neminem à ſe repellunt. Vnicuique etiam plebeio ad Philoſophiam patet aditus, ait Seneca; Regere verò Imperio populos, Romanorum dumtaxat olim proprium munus erat, ſicut & fortia agere.

Quanta ergo hujuſce Artis Politicæ dignitas, quæ ſolos Sapientes, imò & Reges decet? Regia procul dubio ars eſt, artiumque omnium Regina; ne dicam & divina; Regere enim populos divinum aliquid ſapit, quando quidem Reges in Sacris Paginis, Dii vocantur: *Ego dixi, dii eſtis.*

Artem nedum artificis, ſed & materiæ dignitas commendat; & ex hoc adhuc capite, Politicæ Artis ſpendor ſupra reliquas artes maxime emicat; non enim circa aurum, vel marmora reſque inanimes verſatur; nec cicurandis feris incumbit, ſed ad regendos populos tota occupatur.

Tu Regere Imperio Populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes.

Ampliſſimum profectò, & Illuſtriſſimum munus. Quid enim majus inter homines, quàm unum hominem pluribus præeſſe hominibus, leges & jura ponere, mari & terræ pacem, bellaque moderari? Divina quodammodo videtur, ait Lipſius 1. polit. hæc dignitas; & eſt profectò, ſi ſalutariter adminiſtretur. Recti Regiminis ratio id poſtulat, ut inferiora à ſuperioribus regantur, nec aliis præſit, niſi qui ſupra illos excellit. Regendis pecudum gregibus homo præficitur, quia ſupra omnia animantia rationis prærogativâ eminet: homines ergo rationis, & ſapientiæ capaces non alius gubernare poteſt, aut debet, quàm Angelus, vel Deus. Quàm amplum ergo, quàm præclarum eſt munus veſtrum ô Principes! qui hominum cœtui imperatis. Quot homines, tot Reges. *Regnum* quippe *Dei intra nos eſt.* Reges naſcimur; quia non more Imperiali verbo, *fiat* ut cœteræ creaturæ, ſed blaudienti Dei voce, *faciamus*, in lucem editi. Reges efficimur tum rationis, penes quam eſt imperium, tum libertatis prærogativâ, quæ flecti poteſt, cogi nequit, ſui que juris, ſervire neſcit, ad imperium nata. *Feciſti nos Deo Regnum*, ait Apoſtolus; imo & Reges. Regale quippe eſt Chriſtianorum Sacerdotium. Horum Regimen penes vos eſt, ô Principes! Tot ergo Regibus leges & jura datis, quot Chriſtianis, quot hominibus. Supra ergo humanæ conditionis ſortem aſſurgit veſtra Majeſtas, Angelicamque, imò & divinam poteſtatem æmularur.

Hujus verò regiminis quàm ſublimis, quàm excellens finis (ex quo novus politicæ arti, maxime Chriſtianæ, ſplendoris radius affulget) nempe publicæ paci favere, homines huc illucque ferarum more palantes ad concordiam vocare, eoſque arctiſſimo legum vinculo connexos, per indeflexos æquitatis tramites, ad beatam vitam perducere? Ars enim civilis Principem ducit, & dirigit ad meram publici boni, hic finis Principatus. Quod

attendens Plutarchus in Catone, civilem artem, virtutemque politicam, tanquam præſtantiſſimam cæteris anteponit. Hæc civitatis, & gentium commune bonum conjectans, dicitur & abſoluta ſapientia, ait Plato in Theage, & Regia diſciplina; cujus ſubjectum civitas, vel ſocietas humana: quid enim magis Regium, quàm nedum civitates ſed & Regna, ex innumeris hominibus naturà liberis regere, illis imperare, eoſque ad veram fœlicitatem dirigere. Regium nedum, ſed divinum hoc opus.

Regum adhuc officia duo, videlicet leges condere, conditaſque exſequi; illud per juſtitiam Nomotethicam; iſtud per juſtitiam legàlem, & judicialem præſtant. Politicæ Artis, quam adeò extulimus, dignitas ſuperborum animos ad ambiendas prælaturas excitabit; ſed Chriſti Salvatoris hæc verba audiant; & timeant: *væ vobis, qui primas Cathedras ambitis.* Prælatis enim ſuperbis, qui Prælaturas ambiunt, & fictâ pietate aucupantur ingens inſtat, nedum in hoc ſæculo, ſed & in futuro cruciatus. Ejuſdem adhuc artis difficultatem attentâ mente conſiderent, quæ ambitioſos ab aucupandis Cathedris, & Prælaturis deterrere debet difficillima. Enim hæc ars homines ſcilicet civiliter regere. Nullum enim animal homine moroſius. Feras atrociſſimas faciliùs domueris, quàm hominem rexeris. Nullum eſt animal, ayt Seneca, adeò indomitum, quod cura non mitiget, beneficia feræ ſentiunt; beneficiis homines exaſperantur.

CAPUT IV.

Artis Civilis difficultas.

AMpliſſimum & Illuſtriſſimum eſt Principum, nec non Prælatorum munus, ut ex ſupradictis innotuit; ſed hoc quàm arduum ſit, ratio ipſa ſuadet. Quantæ enim molis ab uno capite tot capita coerceri & illam univerſam multitudinem, inquietam, diſcordem, turbidam leniter redigi ſub commune quoddam obedientiæ jugum. Revera mihi videtur, ait Nazianzenus, in apolog. eſſe, ars artium, & diſciplina diſciplinarum, hominem regere, qui certe eſt inter omnes animantes maxime, & moribus varius, & voluntate diverſus. Et hæc prima hujus difficultatis ratio. Noſceoda enim natura vulgi eſt, quibuſque modis temperanter habeatur, juxta illud Martialis.

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Difficillimum verò eſt tot hominum indolem agnoſcere. Variant quippe ingenia, & ſunt tam civitatum, quàm ſingulorum hominum diverſiſſimi mores; genteſque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ; in vinum, in venerem proniores aliæ ſunt. Vix ſibi quiſquàm hominum perfectè notus eſt, offuſâ circum quaque denſiſſima affectuum inordinatorum caligine, quam hebes interni oculi acies ægrè diſcutere poteſt. Quomodo ergo vulgi mores ſcrutabitur, quo nihil obſcurius, nihil incertius; ut de ipſo meritò dici poſſit, *cor vulgi inſcrutabile, ſicut mare fervens.*

Verùm, & ſi quis tantâ ſagaciſſimæ mentis vi polleret, ut turbidæ plebis abditiſsimos ſinus rimaretur, nova adhuc illi in hoc regimine difficultas occurreret, nempe prava & indomita vulgi indoles, & natura, cui ægre frœnum impoſueris. Plebi, inquit Tacitus 1. hiſtor, non judicium, non veritas: ſine falſi, verique diſcrimine, ſolas adulationes edocta, ſuſpicax, ad ſuſpiciones prona, credula, turbida comprimi neſcit: cujuſque motus novi cupida, natura invida, ægris oculis alienam ſemper fœlicitatem intuetur. Cui concinit Saluſtius his verbis: Vulgus ingenio mobilis, ſeditioſum, diſcordioſum, cupidum novarum rerum, quieti & otio adverſatur; metus aut ſpes nimiæ; cujus hæc eſt natura, ait Livius, ut aut ſerviat humiliter, aut ſuperbè dominetur; libertatem quæ media eſt, nec ſpernere modice, nec habere novit; ſemper immodicùm, ut mare ventorum agitatur addit Cicero, pro Cluentio, ſic populus ſeditioſorum vocibus attollitur; qui ex opinione multa, ex veritate pauca judicat; in qua varietatis crebra; & tanquàm tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. Nullum denique animal moroſius, ut placet Senecæ, nec ullum majori arte tractandum. Homines enim, ait Xenophon, in Cyrop. naturâ ſunt indomiti, feroces, ſervitutis impatièntes, neque in aliquos ſævius inſurgunt, quàm in eos, quos imperium in ſe affectare ſentiunt. Quare cùm parère difficile ſit, difficillimum erit aliis imperare. Vix Deo homo libertatis cupidus, ſervitutis impatiens obtemperat; quomodo humano ſubjicietur imperio? *Aquæ multæ, populi multi*; vulguſque ſicut mare fervens. *Quis vero conclaſit Oſtiis mare; quis aquis terminos poſuit, quos non pertranſirent?* Proculdubio ſolus ipſe Deus, qui mari dixit; *huc uſque venies, & huc confringes tumentes fluctus tuos.* Solus ergo Deus, aut qui ſupra humanæ conditionis ſortem erectus homo, nihil niſi divinum ſpirat, turbidum hominum cœtum, plebemque, quæ, ut mare, ſeditionum procellis agitatur, ſuæ ſubjicere poterit dominationi. Cætera animalia aliquâ arte facile domaveris. Nullum enim animal, ait Seneca, lib. de Beneſ. adeo ferum, & immanſuetum, quod cura non mitiget. Leonum ora à magiſtris impune tractantur. Vulgus ſine rectore præceps, pavidum ſocors; nihil auſuris principibus amotis, ut dicit Tacitus 5. hiſt. quavis ferà trucuentior, Hydrà crudelior, cui tot capita, quot membra; ægre obedientiæ jugo ſubjicitur, frontique impatiens, facilliiné in Principem, Rectoremque Reipublicæ rebellat. Nemo equum ferocem, & contumacem, ſi ſapit, cupit agitare, ſi non regèndi ejus modum prius diſcerit. Nemo inter maris ſæviſſimas procellas, ſcopulos, & ſyrtes, navis clavum regere imperitus, niſi ſe, & ſuos perdere vellet, ambiret. Quod & ad Reipublicæ moderationem ſcitè multi tranſferunt. Nullus enim equus ferocior; & intractabilior ipſo populo eſt: nullum mare tantis, ac frequentibus æſtibus, procellis, & motibus commovetur, aut naves agitat, quot Republica ſingulis diebus evomit; & ſatius eſt intra navem meris æſtibus ventorumque procellis exponi, quam inter populum tumultuantem, & commotum converſari; multoque magis, vel periculoſum, velle ſine arte, aut ſcientia illum componere, & regere. Neque enim hic de navis, merciumque jactura, ut in arte Maritima, neque de corporum periculo, ut in medicina, ſed de totius humanæ ſocietatis ſalute agitur. Quare nedum difficilima, ſed & periculoſiſsima eſt ars civiles. Difficillima quidem; quia facilius eſt æſtuantis maris fluctus, & ferocientis equi impetus cohibere, quàm inſtabilis, turbidique vulgi affectus inordinatos comprimere. Si quis enim vix ſibi imperat, proprioſque motus ægre rationis

jugo ſubjicere poteſt, quâ vi, quâ arte indnmitis populis imperabit? periculoſiſſima tum Rectori, tum ſubditis quos regit. Timere quippe jure merito debet, qui Reipublicæ currum regere ambit, ne, ut alter Icarus ex alto ad ima ruens, Rempublicam penitus everrat, potius quam regat, proprijque Regni obrutus ruinis, miſere procumbat, nunquam erigendus. Alia in hoc regimine difficultas occurrit; prudentiſsimũ quippe Rectorem exigit, & in arte civili verſatum, quæ ars non niſi lnngâ exercitatinne, & longo tempore diſcitur.

CAPVT V.

Ars civilis, ceu Politica, practica ſimul eſt, & ſpeculativa; quam difficile quis novit, niſi prius diu eam exercuerit.

PRincipin decretorum conſenſinnem ex ipſa vita conſiderari debere cenſeo, ait Plutarchus lib. de Repugn. Sroicorum. Non enim tam Politicus, & lex idem debent loqui, ut dicebat Æſchines, quàm vita Politici eum Doctrina ejus convenire, quippe Doctrina Politieo vix eſt propria, & quam ipſe ſibi tulerit. Siquidem non ludum, & argutias gloriolæ gratiâ inventas, ſed rem ſummo dignam ſtudio, Artem Pnliticam, cenſeat eſſe. Quoniam ergo multa tum ipſe Zeno, tum Cleanthes, ſetipta, ſicut & Chriſippus reliquerunt, de Republica, de parendo, & imperando, de judiciis, de cauſis dicendis: in viris autem eorum nuſquam junenitur Prætura, legum datio, nec in Senatum progreſſus, nec patrocinium apud judices; ſed peregrè in otio, ejus guſtu, tanquam lnto detenti, vitam omnem, inter diſputationes, libros, & ambulationes exegerunt; quate nnn obſcurum eſt, eos magis ſeeundum aliorum ſcripta aut dicta, quàm ſecundum ſua decreta vixiſſe: nec Artem Civilem perfecte calluiſſe, quæ magis in actione, quàm in contemplatione verſatur. Reſpublicas regere, & de illis philoſophari multùm differunt. Neque enim in ſola contemplatione conſiſtit Ars Civilis, ut exiſtimavit Plato.

Namque Rectnrem, ait Plutarchus, de arte gubernandi, ſcriptus liber facere non poteſt eum, qui non ſæpe in puppi ſpectaverit certamina adverſus tempeſtatem; nec civitatem regens, populumque, aut ſenatum ſuadendo ducere poterit juvenis lecto libro, in lyceo de Republica. ſcripto, qui non ſæpenumero ejus fræna moderatus fuerit clavumq; tenuerit; ſicut nec tyro & qui rarò militavit, exercitus totius regimini præficiendus eſt, ſed qui diu cingulum geſtavit, & per nmnes militiæ gradus ad dignitatem ducis pervenit.

Ex his ſupra dictis, & abundè probatis tria colligenda ſunt ſaluberrima circa artem Politicam documenta. Primùm, pueris, vel juvenibus, etſi nobili ex Proſapia ortis, non eſſe tribuenda Eccleſiarum, vel civitatum regimina, utpote inexpertis. Secundum, quàm execrabilis, & abominanda ſit apud Deum, & apud homines quorumdam juvenum ambitio, qui ſeipſos regere neſcientes, prælaturas ambiunt, alijſque imperare, tum parentum nobilium ope, tum amicorum auxilio contendunt. Tertium, non niſi diu in obedientia, & humilitate exercitatis tribuendum aliorum regimen, maximè Eccleſiaſticorum. Nam ut docent nedum Sancti Patres Eccleſiæ, ſed & gentiles Philoſophi, Plato, Ariſtoteles, Seneca, alijs imperare penſus ineptus eſt, & indignus, qui nulli unquam obedientiam præſtitit.

CAPVT VI.

An vita civilis privata ſit præferenda.

DUas Seneca animo *Reſpublicas complectitur; alteram magnam*, & vere publicam, quà Dij, arque homines continentur, in qua non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum; ſed terminos civitatis noſtræ cum ſnle metimnr: alteram cui nos adſcripſit conditio naſcendi, nempe Athenienſium, aut Chartaginenſium, aut alterius alicujua urbis, quæ non ad omnes pertineat homines, ſed ad certos. Quidam eodem tempnre utrique Reipublicæ dant operam, majori, minorique; quidam tantum minori; quidam tantùm majori. Huic majori Reipublicæ & in otio deſervire poſſumus: imò verò neſcio an in otin melius, ut quæramus quid ſit virtus; natura, an ars bonos viros faciat, unum ſit hoc, quod maria, terraſque complectitur; an multa: Deus corpora ejuſmodi ſparſerit, continua ſit omnis, & plena materia: Deus ſedens opus ſuum ſpectet, an tractet; utrumne extrinſecus illi circumfuſus ſit, an toti inditus, immortalis ſit mundus, an inter caduca, & ad tempus nata numerandus: & alia huiuſmodi quæ ad vitam ſpectant contemplativam. Aliam nempe civilem ſibi actio vindicat, quæ tota circa publica negotia, civitatumq; regimen occupatur, cuique vita activa deſervit. Intet hæc autem duo vitæ genera quæri ſolet, quod ſit optimum. Negant Stoici ſapientem ad quamlibet Rempublicam acceſſurum: quia ntio vacare debet, totuſque rerum divinarum, humanarumque contemplaoni incumbere. Quaſi aliquid interſit, quomodo Sapiens ad otium veniat: utrum quia Reſpublica illi deeſt, an quia ipſe Reipublicæ? ſi enim omnibus defutura Reſpublica eſt, ſemper autem deerit faſtidioſè quærentibus. Interrogo, addit Seneca, ad quam Rempublicam Sapiens acceſſurus ſit? Ad Athenienſium, in qua Socrates damnatur? Ariſtoteles ne damnaretur, fugit? in qua opprimit invidia virtutes? Negabis mihi acceſſurum ad hanc Rempublicam ſapientem. Ad Chartaginenſium ergo Rempublicam Sapiens accedet, in qua aſſidua ſeditio, ea optimn cuique infeſta libertas eſt, ſumma æqui ac boni vilitas, adverſus hnſtes inhumana crudelitas, etiam adverſus ſuos hoſtilitas? Et hanc fugiet. Si percenſere ſingulas voluero nullam inveniam, quæ ſapientem, aut quam ſapiens pati poſſet, quòd ſi non iuvenitur illa Reſpublica, quã nobis fingimus, incipit omnino eſſe otiũ neceſſarium; quia quod unum præferri poterat otio, nuſquam eſt. Sunt ergo, air Ariſtoteles 7. Polit. c. 3. qui deſpiciunt magiſtratus civitatis, putantes ingenui hominis eſſe aliam vitam, quàm civilis, & omnibus præferendam; alii verò hanc optimam putant. Impoſſibile enim eſt nihil agentem bene agere. Bene autem agere, ac fœlicem eſſe idem eſt. Utrique autem eorum addit Ariſtoteles 1. Politic. quædam dicunt rectè, & quædam non rectè. Nam liberi quidem hominis vitam meliorem eſſe, quàm in dominando occupati, verum eſt. Nihil enim egregium eſt ſervo

Digitized by Google

& in quantum ſervus: ſervus enim Domini in rebus neceſſarijs, nihil habet decorum. At putare omnem gubernationem eſſe dominationem, nequaquam eſt verum; non enim minus diſtat liberorum gubernatio à dominatione ſervorum, quàm differat naturâ liber, à naturâ ſervo: ſed laudare magis nihil agere, quàm agere, non eſt rectum: nam fœlicitas actio eſt. Adde, quòd poteſtatem habere optimum eſt; ſic enim plurimas, ac pulcherrimas res agere poteſt. Itaque is qui Dominus agendi eſſe poteſt, hanc facultatem dimittere alijs non debet, ſed ſibi abripere; nec ita otio indulgere; ut ſi ad regendam Rempublicam aptus ſit, ab ejus regimine, vel laboris formidine, vel inordinatâ otij cupiditate, animum penitus revocet. Suaviſſima fateor eſt contemplatio; ſed utiliſſima, & neceſſaria actio. Natura nos ad utrumque genuit, & contemplationi rerum & actioni. Sed audiendus Seneca lib. de vita beata 10. 30. facillimè diſſidentes in hac re, hæc duæ ſententię potetunt conciliari; ſi eum Epicuro id ſtatuas; non accedet ad Reipublicæ regimen ſapiens, niſi quid intervenerit: & cum Zenone Stoico, accedet ad Rempublicam, niſi quid impedierit, ſi enim Reſpublica corruptior eſt, quàm ut adjuvari poſſit, ſi tantis occupata eſt malis, ut ab illis mederi nequeat, non nitetur ſapiens in ſupervacuum, nec ſe nihil profuturus impendet, ſi parum habebit auctoritatis, aut virium: nec illum erit admiſſura Reſpublica, ſi valetudo illum impediet. Quomodo navem quaſſam non deduceret in mare; quomodo nomen militiæ non daret debilis; ſic ad iter, ad quod inhabilem ſe ſciet, non accedet. Cui verò nec vires deſunt, nec ſapientia, & in gerendis Reipublicæ negotijs ſolertia, & auctoritas, hic arguendus eſſet, ſi Politicę Artis difficultatibus attonitus, civilis Regiminis clavum dimitteret. Sed maximè ſtupendum, & dolendum pleroſque quotidie inveniri, in utroque ſtatu, tam ſæculari, quàm Ecclesiaſtico, & Regulari, quibus nulla eſt ſapientia, nec morum probitas vera, ſed tantùm ficta, nulla vel modica doctrina; ſed ambitioſum duntaxat, vafrum ingenium, eos tamen Prælaturis ſemper inhiare.

CAPVT VII.

Nemo alijs bonus, qui ſibi nequam, nec alios regere rectè poterit, qui ſeipſum regere neſcit.

HOc ab homine exigitur, addit Seneca, ut proſit hominibus, ſi fieri poteſt multis; ſin minus, proximis; ſin minus ſibi. Nam cùm ſe utilem cæteris efficit, commune agit negotium. Quomodò qui ſe deteriorem facit, non ſibi tantummodò nocet; ſed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodeſſe potuiſſet: ſic ſi quis benè de ſe meretur, hoc ipſo alijs prodeſt, quòd illis ſe profuturum parat. Quare, ut alijs poſſit prodeſſe, ſibi utilis ſit: qui enim ſibi nequam, quomodò alijs bonus erit? ſibi imperet, & ſeipſum regat, ut alios valeat recte gubernare. Rationi obtemperet, quò facilius cæteros ſuo ſubijciat Dominio.

Si vis omnia tibi ſubijcere, te ſubijce rationi, inquit præadductus Seneca in epiſt. multos reges, ſi te ratio rexerit. Ab illa diſces, quid & quemadmodum aggredi debeas. Sicut hominibus Reges, ita Regibus dominandi deſideria dominantur. Hoc eſt Regnum, nolle regnare cum poſſis. Vis ergo regnum tibi dari magnum? Rege teipſum. Qomodò enim, aut cui hic libet imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrænet primùm libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, alias cæteras animi labes repellat, præ cæteris ſuperbiam, & inordinatum dominandi appetitum, tunc incipiet alijs imperare, cùm ipſe improbiſſimis Dominis parére deſierit. Verùm proh dolor; quot hodie in quocumque humani generis, tam ſæculari, quam Eccleſiaſtico, & Regulari ſtatu videbis, qui ſibi nequiſſimi; ſuæque ſalutis parùm providi, alijs boni videri volunt, & qui ſeipſos regere nequeunt, alios regere ambiunt. Ad hoc ſpectat illa apud Prophetam maledictio à Deo contra ſuperbos fulminata. *Væ cymbalo alarum.* Quis cymbalum alatum, & ad cœlum uſque volans unquam vidit? Aquilæ à natura datum eſt ut ſurſum feratur, *& in arduis ponat nidùm ſuum;* ad hoc enim pennas accepit; cymbalo verò, quod æneum eſt, vel teſtaceum propriæ materiæ gravitas volatum, & in ſuperna enixum prohibet. Sed iterum prohdolor! homines videbis naturæ ferreæ, vel teſtaceæ, quibus nullus, vel natalium, vel doctrinæ, vel virtutis ſplendor ineſt, ſurſum ſemper eniti, in arduis velle ponere nidum ſuum, & prælaturas ſemper ambientes. Væ væ, & iterum væ cymbalis iſtis volantibus, quibus cùm vera Chriſti charitas deſit, facti ſunt, ſicut cymbalum tinniens.

CAPVT VIII.

Ars civilis non tam humanæ rationis, & Philoſophiæ inventum eſt, quàm Dei munus. Illam natura quidem incohat, ſed gratia perficit.

ARtes quibus in quotidiano uſu vita utitur, ratio quidem, ait Seneca cap. 90. ſed non recta ratio commenta eſt. Hominis ſapientis inventa ſunt. Viliſſimorum Principiorum, non Philoſophiæ commenta ſunt. Philoſophia altius ſedet; nec manus edocet, animorum magiſtra eſt. Vis ſcire quid illa eruerit, quidve effecerit? Non indecoros corporis motus, nec varios per tubam, ac tibiam cantus, quibus exceptus ſpiritus, aut in exitu, aut in tranſitu formatur in vocem; non arma, nec muros, nec bella? utilia molitur, paci favet, & genus humanum ad concordiam vocat. Hujus opus unum eſt de divinis, Humaniſque verum invenire. Hæc docuit colere divina humana diligere, pœnes Deos Imperium eſſe, & inter homines conſortium. Ex quibus Senecæ verbis innoteſcit, hoc ipſum exiſtimaſſe, artem nempe politicam Philoſophię nedum partem, quod alibi aperte docuit, ſed ſobolem eſſe; quaſi ex illa originem ſuam traxerit. Cui in hoc libenter aſſentior. Verùm cùm in ipſo præadductæ Epiſtolæ exordio, philoſophiam Deorum immortalium munus eſſe agnoſcat, hoc & ille continuò minimè denegabit; civilem artem à Deo principibus infundi, nec tam humanæ rationis inventum eſſe, quàm donum Dei: Hanc natura quidem inchoat, ſed gratia perficit. Per me inquit Deus, *Reges regnant, & judices recta decernunt.* ſap. 7. Vnde Salomon ad Regium Patris ſolium evectus, artem, ſive ſcientiam politicam, quâ ſubditos ſibi populos prudenter fœliciterque regeret, humiliter poſtulavit dicens: *Da mihi Domine, ſapientiam ſedium tuarum aſſiſtricem, ut mecum ſit, & mecum laboret.* Ars, ſeu prudentia politica divinę ſapientię quędam eſt emanatio, ſplendor, radius,

Deus ſuâ ſapientiâ Mundum condidit, regit, conſervat. Deus ab æterno in mente ſua artem habuit politicam, quâ cuncta in ſuos fines præordinavit, creaturaſque rationales, & intellectuales, Angelum, & hominem ad cœleſtem, & æternam fœlicitatem prædeſtinavit, quibus ad eam comparandam media præparavit, & ſubminiſtravit, convenientia, Gratiæ ſcilicet vel efficacis vel ſaltem ſufficientis auxilia. Deus ergo magnæ hujuſce civitatis, ſcilicet mundi ſapientiſſimus eſt Proviſor à quo in Reges, Magiſtratus, & Iudices vera ars politica fluit & infunditur.

CAPVT IX.

Ars civilis à Deo poſtulanda, & à Chriſto ediſcenda, qui veram & divinam è cœlo in Terra Politiam detulit.

POſtquam ſubrepentibus vitiis, in tyrannidem regna verſa ſunt, opus eſſe cœpit legibus, quas tulere Sapientes. Solon, qui Athenas æquo jure fundavit, inter ſeptem ævi ſapientiâ notos. Lycurgus, Lacædemonibus jura dedit, quem ſi eadem ætas tuliſſet, ſacro illi numero acceſſiſſet octavus. Zaleuci leges, Charundæque laudantur. Hi non foro, ait Seneca Epiſt. 90. nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo, ſanctoque receſſu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ & per Italiam Græciæ ponerent. Plato vero in Theage & in Memnone palam tradit, Politicam artem non diſci à Sophiſtis, aut ſoli contemplationi deditis; quia nec tales, nec filios unquam ſuos docuerint illam, & iſti rationem boni non habeant, rerumque humanarum experti minimè ſint. Vnde reſtat, hanc diſci ab illis tantùm, qui & contemplandi, & agendi periti habeantur apprimè, aut quod probabilius, ſi divinâ ſorte contingat. Nam periti in contemplando, & in agendo accuratè, nuſquam reperiuntur; quare divino munere fieri ait, ut in animos civium temperatos, Dei providentia, boni ipſius intelligentiam, & leges ad id ducentes infundat. Et in Protagora ſtatuendum, inquit, primò Deum ipſum vitæ, ſalutique noſtræ omnibus undique modis providere, atque conſulere; deinde civilem artem, & virtutem donum eſſe divinum, ne quis fortè confidat ſe abſque divina gratia Rempublicam rectè, fœliciterque eſſe recturum. Quod & ſacris dogmatibus conſentaneum eſt, ubi dicit Deus, *per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Nec hoc gentilis politiæ auctores latuit, ex illis enim qui de Republica leges ſancire voluerunt, finxere ſe à Deo vel aliquo numine eas accepiſſe, ut ſcribit Iuſtinus lib. 3. hiſt. Licurgus ab Appolline, Draco & Solon à Minerua; Minos à Ioue; Charondas à Saturno: Zoroaſter ab Hotomaſi, Triſmegiſtas, à Mercurio; Numa pompilius ab Ageria nympſa, Zamalxis à Veſta; Mahometes ab Archangelo Gabriele, unde Socrates, ut refert Plato 5. dialóg. de juſto, ne in legibus recti regiminis conſtituendis erraret, initio petit auxilium ab Adraſtia, quæ ab Ethnicis putabatur potentiſſima inevitabilium legum Regina, totiuſque politici regiminis Arbitra. Quod ſapientiſſimi Reges religioſè ſemper obſervarunt, ut Davidis & Salomonis exemplo comprobatur. Ille enim, impoſito ſibi Iudaici populi regimine, artem à Deo totius politiæ magiſtro, ſpiritumque civilis, Regiæque gubernationis, pro ſummo munere ardentiſſime efflagitat, dicens; *& Spiritu principali confirma me*, Pſal. : hic exclamat; *da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit, & mecum laboret.*

CAPVT X.

Antiquæ Gentilium politicæ & Politiæ errores.

VAriaa, & antiquiſſimas Ariſtoteles, Gentilium Politias refert lib. 1. politic, eaſque omnes vel penitùs; vel partim improbat. Et quidem primò, Politiam Platonis ſub perſona Socratis, qui communitatem uxorum, filiorum, & poſſeſſionum in Republica ſtatuebat, omnino reprobat, propter rationes ſupra in Oeconomia noſtra Chriſtiana adductas. Vtrum verò hanc communitatem uxorum, filiorum, & poſſeſſionum Plato, & Socrates ſtatuerint, dubitat Favellus noſter, eoſque adverſus Ariſtotelem ab hac calumnia nititur vindicare. Secundò, Politiam à Phalea Carthaginenſi inſtitutam profert idem Ariſtoteles, quam adhuc totam reprobat, tanquam malè ordinatam. Tertiò politiam ab Hippodamo Mileſio inventam adducit, quam partim approbat, partim damnat. Quartò, Politiam, quam Lacædemones obſervabant refert, quam adhuc partim repsobat. Quintò, Politiam Cretenſium eodem modo partim laudat, partim condemnat. Sextò, Carthaginenſium Politiam recitat, partim eam approbans, partim reprobans. Septimo varias alias à Solone, Zeleuco, Charonda, Onomacrito, Lycurgo, Philolæo, Dracone, Pittaco, Andromado, aliiſque antiquis Legiſlatoribus Politias ordinatas partim laudat, partim damnat, utrum verò rationabiliter, illas approbet, vel improbet, ſcire non poſſumus, ait Favellus noſter, quoniam ſupradictorum Legiſlatorum ſcripta, ad nos minimè pervenerunt.

Vero tamen ſimillimum eſt, Gentilium omnium Legiſlatorum Politias in multis valdè eſſe erroneas; maximè circa ea, quæ ad veram ſpectant religionem, veramque juſtitiam, morumque rectam inſtitutionem. Cùm enim fidem Theologicam, & ſupernaturalem, cujus ſolo lumine unum Deum in eſſentia, trinumque in perſonis, & æternam ac ſupernaturalem fœlicitatem cognoſcimus, non haberent, ſed Dæmonum impulſu falſa colerent numina, & in eis vitiorum caligine, rationis naturalis innatum lumen maximè obſcuratum eſſet, ut optimè demonſtrat Apoſtolus ad Roman. c. 1. certiſſimum eſt eos circa decem Decalogi præcepta, quibus vera juſtitia, rectaque morum inſtitutio declaratur, in multis peccaſſe; quare pro recto populorum Regimine, emendandæ erant antiquæ omnes illæ Politiæ, rectaque inſtituenda politia; & ad hoc è cœlo in terras deſcendit Dei filius, Verbum Dei, æternaque ſapientia, novuſque, & ſapientiſſimus Legiſlator, de quo ſanctiſſimus Iob, *& inter Legiſlatores non eſt ſimilis illi*, quem Regius Vates à Deo poſtulabat, dicens, *da illis Domine Legiſlatorem, ut ſciant quoniam homines ſunt.*

CAPVT XI.

Chriſtianæ Politiæ, & Politicæ encomium, cujus Chriſtus Magiſter, & antiquæ reſſormator.

PRæter legem humanam, & naturalem, neceſſaria fuit ad Regimen populorum lex divi-

na, tum veteris, tum novi Teſtamenti, ſive lex à Deo Moyſi tradita,ſive à Chriſto Æterni patris filio ad nos allata. Antiqua à Deo Moyſi data ad regendum populum Iſraël duriſſimæ, & indomitæ cervicis virgâque ferreâ domandum, lex erat timoris; quæ à lege Chriſti, lege gratiæ, & amoris, quantùm ad præcepta cœremonalia, & legalia, fuit emendata, & abrogata; quantùm verò ad præcepta Decalogi, quæ rectæ rationi naturali conſonant, nec gratiæ divinæ adverſantur, fuit ſervata, ſed magis perfecta.

Politia ergo Chriſtiana, quæ legem tum naturæ, tum gratiæ religioſè ſervat, ex triplici capite cunctis Gentilium, Infidelium, & Hæreticorum Politiis præcellit, videlicet ex Legiſlatoris ſupra cœteros omnes Legiſlatores præſtantia. Secundò, ex majori Regiminis Politici æquitate. Tertiò, ex Chriſtiani regiminis fine longe excellentiori. Et quidem primò ex Legiſlatoris præcellentia: Gentilium enim Politiarum auctores, homines erant, Idolorum cultores, Dæmonum ſervituti addicti, vitiorum ſordibus inquinati, & in quibus rationis naturalis lumen valdè obſcuratum erat. Chriſtianæ verò Politiæ Legiſlator, Chriſtus eſt, nedum homo, ſed & Deus Æterni patris filius, & ejus ſapientia. Secundò, Politia Chriſtiana cæteris præcellit, dignitate, & æquitate regiminis; lex enim quam Chriſtus hominibus dedit, & quâ populus regitur Chriſtianus, lex eſt gratiæ, lex amoris: lex juſtitiæ; legi naturali conſona. Tertiò, præſtat excellentiâ finis, Politiæ enim Gentilium, ut ſupra ex Ariſtotelis, Platonis, Senecæ præceptis declaravimus, non alium finem intendunt, niſi vitam hujus ſæculi ſufficientem, & quietam. Politiæ verò Chriſtianæ finis ultimus, & præcipuus eſt vita æterna, & cœleſtis gloria, ac fœlicitas, ad quam Deus omnes homines prærordinavit, & ad conſequendas virtutes Theologicas, ſupernaturales, & divinæ gratiæ auxilia ſufficientia, illis infudit.

Præſtantiſſimam hanc Chriſtus omnium hominum Salvator, & Redemptor è cœlo, ut diximus, politiam attulit, & in Eccleſia ſua primùm conſtituit, ut ex illa, in cuncta Orbis Chriſtiani Regna transferretur Sacri Evangelii prædicatione. Hac Gentilium, Paganorum, Hæreticorum Politiæ ab erroribus emendantur. Hâc Machiavelis, aliorumque, quos vulgus politicos appellat, qui temporale commodum veræ, & Catholicæ religioni anteponunt, impia dogmata condemnantur. Politia verò Chriſtiana legi naturali, rectæque rationi maximè conſentanea eſt, quantum ad omnia rectæ Politiæ præcepta; & quidem primò circa æquum civitatum, & civium, Regnorumque regimen. Secundò, circa rectorum civilis regiminis, Principum, Regumque perfectam inſtitutionem, Regiaſque eorum virtutes, quos edocet, quomodo ſe erga ſubditos ſe gerere debeant, tanquam Patres erga filios, tanquam Paſtores erga oves. &c. Tertiò, circa ſubditorum erga Principes ſuos debita obſequia, ut ex infra dicendis, toto hoc opere demonſtrabitur. Hujuſce Politiæ Chriſtianæ præcepta Chriſtiani Principes in memoria, & mente, & in praxi ſemper habentes fœliciter, & in æternum regnabunt.

QVÆSTIO II.

DE SOCIETATE CIVILI, ET ſtatu Politico in genere.

CAPVT PRIMVM,

Quid ſit Societas civilis, ſive ſtatus Politicus, & quotuplex, & quomodo à familiari; vel Domeſtica ſocietate diſtinguatur.

Reſpublica ſive civilis ſocietas juxta Philoſophi mentem *3.* politic. ordinatio eſt civitatis; quædamque ſimilium communio, gratiâ vitæ, ut maximè fieri poteſt, optimæ. Civilem hanc ſocietatem, primò, Deus Optimus Maximus, totius Voiverſitatis, & Societatis creatæ auctor, & Gubernator regit; in ſtatu, ſeu Republica populari per populum; in Ariſtocratia per optimates; in Monarchia per Reges, vel Imperatores. omnis poteſtas à Deo & ordinata eſt, *& qui Dei ordinationi reſiſtit, Deo reſiſtit.* Deus autem qui homines in ſocietate civili voluit vivere, eos ſub alicujus Principis regimine voluit vivere, in Republica ſub populi gubernatione, in Ariſtocratia ſub optimatum, in Monarchia, ſub unius poteſtate. Optimam ſocietatis civilis definitionem Socrates dedit, ſtatus Politicus rerum, & vitæ quædam communitas eſt unius ſocietatis, quæ efficit unum quoddam corpus civile ex pluribus diverſis, ut membris compoſitum, ſub una poteſtate ſuprema, veluti ſub uno capite, & uno ſpiritu ad benè, & commodiùs vivendum in hac mortali vita, utque facilius ad æternam perveniatur. Vbi *rerum nomine*, nomus, Pagi, Civitates, Perſonæ, & actiones comprehenduntur; non hoc ſenſu quòd bona omnia, quæ ad Rempublicam ſpectant, omnibus debeant eſſe communia, ut deliravit Plato; ſed quòd intra civilis ſocietatis fines coerceantur, cum proprio tamen ſingulorum ad illa jure; ſi bona Reipublicæ publica excipias, qualia ſunt Templa, muri, forum, Domus publicæ, redditusſque, quæ omnia ad communitatem pertinent. Et in hoc etiam ſeoſu civilis ſocietas communitas appellatur, id eſt publicum populo commune & civibus. Hâc verò communitate dicitur effici quoddam corpus civile ex pluribus diverſis, ut membris compoſitum, ſub una poteſtate, veluti ſub uno capite, & uno ſpiritu. Tertium enim juxta Pomponium Iuriſconſultum, eſt corporum genus, quod ex diſtantibus conſtat, ſub uno nomine; veluti popu-

lus, legio, grex, collegium, quodque unum eſt unitate collectionis; hujuſmodi verò eſt ſtatus politicus, qui quoddam eſt corpus civile; cujus membra ſunt cives; Illis verò princeps, vel Rector tanquam caput præficitur. Vt verò in corpore Phyſico, membrorum concordiâ, & colligatione, actiones ſuas mens exerit, & perficit, unicoque ſpiritu eadem membra colligit; ſic omnia corporis civilis membra inter ſe cohærere debent, legum ſcilicet vinculis connexa, unoque juſtitiæ, & religionis ſpiritu regi. Sic enim vitales ſpiritus politicę hujus ſocietatis facilius, fœliciuſque poterunt exeri; ad bene, & commodius vivendum; qui totius civilis ſtatus, & Reipublicæ finis eſt præcipuus. Hujuſmodi autem definitio à Gregorio Toloſano tradita, mihi in hoc diſplicet, quòd nimis lata & generalis videatur, ipſique domeſticæ, & familiari ſocietati poſſit aptari, quæ rerum & vitæ quædam eſt communitas, ex qua unum etiam corpus conficitur, nempè domeſticum, ex pluribus diviſis membris compoſitum ſub unius poteſtate, patris nempe familiâs, veluti ſub uno capite, & uno concordiæ ſpiritu ad beatè vivendum. Vt verò perfectæ habeatur politicę ſocietatis definitio, utriuſque diſcrimen agnoſci debet. Maximè enim inter ſe differunt, ut infra fuſius declarabitur: privatæ enim domus, ſeu familiæ ex viris, & uxoribus, ex liberis, & parentibus, ex Dominis, & ſervis, multum differunt, à civitatibus, ex familiis, à Regnis, ex civitatibus, & Provinciis compoſitis, quarum regimen multo difficilius eſt, quàm unius Domus; civilis ergo ſocietas à domeſtica diſtinguitur, tum regiminis formâ, tum legum, graduum, officiorumque varietate; quamvis in multis invicem concinant. Domus enim parvum quoddam eſt veluti regnum, ut dicit Philoſophus, ubi vir uxori civiliter; pater filio regiè; Dominus ſervis imperat deſpoticè, & quodammodo Tyrannicè. Differunt tamen; quia penes Regem, & Reipublicæ magiſtratum ſuprema eſt vitæ, neciſque in ſubditos poteſtas; quæ pater familias in uxorem, filios non habet: præterea, princeps leges proprie condere poteſt; pater tantùmodo præcepta; tertiò, latius pater Regnum quàm patris familiâs Imperium, pluribuſque in illo imperatur. Finis adhuc politicæ ſocietatis, quàm domeſticæ univerſalior, & præclarior. Vnde ars civilis nobilior, & difficilior, quàm domeſtica, ſeu œconomica, ſicut & ſocietas civilis præſtantior domeſticâ & perfectior; quod hâc ratione demonſtrat Angelicus Doctor lib. 1. de Regimine Principis c. 1. cùm homini naturaliter competat in multitudine, ſeu ſocietate vivere, oportet quòd tantò perfectior ſit multitudinis ſocietas, quantò magis per ſe ſufficiens ad vitæ neceſſaria: magis autem ſufficiens eſt in civitate quàm in domo; in Provincia, quàm in civitate; in Regno, vel Republica, quàm in Provincia, quare Regni præſes Rex antonomaſtice appellatur, familiæ pater familias ad ſimilitudinem Regis.

CAPVT II.

Quotuplex ſit Societas civilis.

TOt ſunt Societatis civilis genera, quot ſunt regiminis formæ. Quatuor autem ſunt Politici regiminis formæ, tyrannide excluſâ (quæ injuſta eſt, & violenta regiminis uſurpatio,) Monarchia ſcilicet, Ariſtocratia, Democratia, & alia quæ ex priorum mixtione conſurgit. Triplex ergo recti Imperii forma, Regnum, Optimatus, populi ſtatus: cunctas enim nationes, ait Tacitus lib. 3. populus, aut primores, aut ſinguli regunt. Denique miſcentur hæc & ex illis mixta oritur imperii forma: primus, & diviniſſimus eſt principatus, inquit Ariſtoteles in polit. Antiquiſſimus; terris enim nomen Imperii primum fuit, ut dicit Saluſtius in Catili, ad naturam aptiſſimus, rationique maximè conſentaneus; quia ab uno omnia gubernantur. Vtiliſſimus Reipublicæ paci, & tranquillitati; quia; ut ait Tacitus 4. annal. arduum ſemper eodem loco potentiam, & concordiam eſſe. Pacis ergo publicæ intereſt omnem poteſtatem ad unum conferri. Regnum ergo, ut perbellè Livius lib. 26. res eſt inter deos, hominesſque pulcherrima,

CAPVT III.

Societatis civilis origo, & progreſſus.

EX omnibus humanæ generis ſocietatibus domus prima eſt, ait Ariſtot. polit. quotidiana & ſecundum naturam conſtituta: quæ verò ex pluribus domibus conſtituitur ſocietas prima utilitatis gratiâ non quotidianâ, pagus eſt; quo nomine intelligitur propagatio quædem domus, & eorum, quos dicimus coalitos & natos natorum. Quæ autem ex pluribus pagis conficitur ſocietas, civitas eſt, quæ quidem totius ſufficientiæ (ut ita dixerim) finem habet? conſtituta quidem gratia vivendi; exiſtens autem bene vivendi gratiâ Quapropter omnis civitas eſt à natura. Natura enim humani generis propagationem, conſervationem, nec non perfectionem, & beatitudinem per ſe primò intendit, quæ omnia per civitatem homines conſequuntur. Ex quibus Philoſophi, verbis liquidò conſtat, quænam ſit ſocietatis politicæ origo, progreſſus & finis. Prima enim humanæ generis ſocietas, fuit domus, ex tribus aliis compacta ſocietatibus, ut ſupra declaravimus: viri nempe, & uxoris, parentum & filiorum, nec non fratrum, & ſororum, Domini & ſervorum: quamquam hæc propriè ſocietas minimè ſit dicenda, ut acutè advertit Ariſtoteles: ſicut nec hominum & pecorum: ſervi enim olim pecudum loco, habebantur. Ex multis verò familiis, domibuſque conjunctis, commodioris vitæ causâ, facti ſunt vici: ex variis vicis pagi: ex multis pagis urbes aratro primùm conſcriptæ: ex civitatibus præ civium copia adducti in proxima loca coloni: inde coloniæ; quibus civitates matrices imperabant: ex his, & illis Provinciæ: ex multis Provinciis Regna: ex Regnis Imperia. Prima verò domus Adami fuit à quo humanum genus uſque ad tempus diluvii propagatum fuit Poſt diluvium verò ex Noë Familiâ totius Terrarum orbis civitates, coloniæ, Provinciæ, Regna, & Imperia originem habuere? poſt modum verò renovato jam humano genere, apud Chaldæos Babylonica turris, & civitas Babyloniæ ædificari cœpit, ut ibi Regnum auſpicarentur, & alios populos ſibi ſubjicerent. Cæterum hos conatus evertit Deus confusâ eorum linguâ; quo opere imperfecto relicto, poſteri Noë hinc inde in Mundum diſperſi ſunt. Sem maximus natu filiorum Noë; ex cujus genere Chriſtus eſt, occupavit cum filiis eam Syriæ partem, quæ ad Orientem ſpectat. Nam ex ejus filio *Aram* Syri venerunt, ex Aſſur, Aſſyrii: ex Arphaxat, Chaldæi: ex Elam.

Perſæ

Perſæ otiginem ducunt. *Cham* altet filiorum Noë, eam regionem obtinuit, quæ ad Meridiem tendit. Ex *Canaan* eniui Cananei ſunt, ex Mizraim Ægiptii, ex *Chus* Æthiopes; ex Saba Arabes. *Iaphet* natu minimus filiorum Noë ad Occaſum, & Septentrionem ſe contulit, & hic omnium noſtrum pater eſt; propterea reperitur ejus nomen apud Poëtas, qui *Iapetum* eum vocatunt. Ex ejus filio *Iavan*, vel *Iaon* Græci ſunt, quos *Iones* appellamus. *Iaon* autem ille eſt, quem Ianum Latini vocaverunt, eumque *Bifronem* pingere ſolebant, quòd utriuſque gentis, & Græcorum, & Latinorum ex eo origo eſſet. *Iaonis* filius Cethim, unde Macedones dicti, ut ſcribit Stephanus, qui olim Macedes à Cethim vocabantur. Iaonis fuerunt filii, *Eliſa, & Dodanim.* Tarſis ex quibus *Æoles & Dodonei* Græcorum primi: ex *Tharſis* Tharſus in Cilicia dictus eſt.* *Iaphet* alios hahuit filios, *Gomer Thyras, & Meſech.* Ex Gomer Cimerii, ſive Cymbri: ex Aſcanes filio Gomer, Tuſcones, ſive Germani, à Magog Scythæ, & hinc Turcarum Origo. A Thyras Thraces. Inde 4. Monarchiæ à Daniële ſub ſtatua Nabuchodonoſoris, aurea, argentea, ferrea, fictili, & 4. animalium figuris adumbratæ. Quare merum eſt commentum homines olim ferarum more in ſyluis vagantes, ſolitariam vitam egiſſe ſine legibus, & abſque ullo rectore. Civilis enim ſocietas, ad quam homo animal ſociale, & civile natum eſt, ipſius Mundi exordio pene coæva uſque ad hæc tempora ubique Terrarum ſemper viguit: primùm autem ſub Regibus civitates erant, ait Ariſtoteles 1. polit. poſtea etiam gentes, hoc eſt Coloniæ, & Provinciæ quæ ex civitatibus proceſſerunt.

Num verò in ſæculo illo aureo, apud Poëtas celeberrimo, hoc eſt in ſtatu illo juſtitiæ, & innocentiæ originalis fœliciſſimo, ſi perſeveraſſet futuri eſſent Reges, diſſidium eſt inter doctores. Quidam negant: quia, inquiunt, homines natura fecit æquales; quos ſola culpa diſtinxit. Unde Domini nomen, & ſervi penes Scripturam nunquam legitur, niſi poſt culpam; ut ſupra declaratum eſt. Præterea civilis ſocietas ad hoc ſolummodo fuit inſtituta, ut ignari edocerentur, legibuſque formarentur, infirmi communi ope juvarentur, qui ſe regere nequeunt à Sapientibus regerentur, & impiorum audacia coërceretur. At nihil eorum opus fuiſſet in fœliciſſimo illo ſæculo in quo nullus error, nulla ignorantia, nulla infirmitas, nulla libido; ſed ſumma fuiſſet juſtitia, placidiſſima pax, perfectaque hominum concordia.

Quare tunc unuſquiſque ſui ipſius Dominus, & Rex, ſuaque lex, non ab alio, quam à ſeipſo regeretur, & à Deo. Angelicus verò Doctor exiſtimavit, tunc ſuturos etiam Reges, & humanæ Reipublicæ Rectores, qui populos ſibi ſubditos gubernarent, non virgâ ferreâ, ſed aureâ; hoc eſt, non potentiâ quâdam, ut nunc coercitivâ, ſed directivâ. Quod Sacra docet Scriptura, & ipſa ratio naturalis demonſtrat. Sacra quidem Hiſtoria, quia Deus Adamo primo humani generis Auctori nedum in omnia animantia, ſed & in omnes homines poſteros ſupremum dedit Dominium; ratio etiam naturalis id demonſtrat, quia omnis hominum ſocietas, ut ſupra demonſtravimus, ex imperantibus, & parentibus coaleſcit. In illo verò fictitio aureo ſæculo aliqua fuiſſet hominum ſocietas, ergo & ejus fuiſſent Rectores; ſed ut dixi, fictitium eſt illud aureum ſæculum, quia ſtatim Adam, & Eva peccaverunt; ſed ſuiſſet in ſæculo illo innocentiæ ſæculo ſi perſeveraſſet, ſocietas hominum politica, ſive cives; fuiſſent & Reſpublicæ, & Regna eorumque Reges, & Principes; quia, ut docet Ariſtoteles, civitas, & Regnum à naturâ eſt, politicumque hominum Regimen naturale eſt, humanæ ſocietati utiliſſimum, & ſimpliciter neceſſarium; ut infra fuſè demonſtrabitur; cujus ipſe Deus, ſicut & totius naturæ Auctor eſt. Ex Ioue ſunt Reges, ait Callimachus. Humanæ & civilis ſocietatis originem, & progreſſum eleganter deſcribit Tertullianus lib. de Pallio his verbis.

A Nino civilis ſocietatis Monarchicum regimen cæpiſſe ſcriptorum propbanitas autumat; ſi tamen Ninus primus regnavit. Nos qui divinas hiſtorias lectitamus, ab ipſius mundi natalibus civilis ſocietatis originem diſcimus. Iam & primitiis majorem ambitum terra caſſa, & vacans hominum, & ſicubi aliqua gens occuparat, ſibimet ſoli erant. Itaque ſolares, id eſt ſolitarios inopia, quaſi paucorum in tales alibi ſtipantem copiam, alibi deſerentem runcare conſuluit, ut inde velut ex ſurculis, & propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus per ubique pangerentur. Tranſvolavere redundantium gentium examina. Scythæ exuberant in Perſas; Phænices in Affricam eructant, Romanos Phryges pariunt, Chaldæum ſemen in Ægipto educatur; dehinc traducitur gens Iudæa.

CAPUT III.

De materia remota, & partibus civilis ſocietatis.

SOcietatem civilem, corpus quoddam eſſe civile ſupra demonſtravimus, corpus autem ſuas habet partes; ex quibus componitur, ſuaque conſtat materia, & forma. Quare operæ pretium eſt, ut de partibus hujus civilis corporis ejuſque materia pauca attingamus. Duplex autem in corpore Phyſico materia à Philoſophis aſſignatur, remota & proxima; ſicut & duplex partium genus, ſimilarium, & diſſimilarium, proportionalium, & aliquotarum, principalium, & minus principalium. Remota civilis ſocietatis materia, ejuſque partes minus principales ſunt Domus, vici, pagi urbes, & omnia quæ intra urbium muros continentur.

CAPUT IV.

De Domo.

HAbent feræ, & animalia etiam ferociora ſua luſtra, & in illis certorum locorum adhuc tutiora eligunt, & ad vitam facilius parandam magis commoda; imo & placidiora animalia ſubeunt foveas pervias; aves in aptis, & ſecurioribus locis nidos conſtruunt; tanquam a natura ipſa omnia edoctæ ſint, ſe vitamque, quibus poterunt modis conſervandam eſſe: ſicque domos propriâ quodammodò manu ſibi conſtruunt. Cùm ergo homo in lucem prodeat, ut vitam agat fœliciſſimam, conveniens fuit, tum ad utilitatem commodè vivendi in ſocietate; tum ad ſui tutelam, ut domus conſtrueret ad utrumque aptiſſimas.

An vero artem illam Architectonicam à Philoſophia, an innatâ animi ſagacià didicerit, ſupra in Oeconomicis ex mente Senecæ, ſicut & quo-

modo Domus ſit conſtruenda declaravimus. Hæc addo: vulpes habent foveas, lupi antra, pulli nidos, in quibus, ſe, ſuoſque fœtus alant, foveant, tueantur, cur homo Domos privatas non habebit, in quibus quiete, tranquillè degat? Societas enim civilis ad vitam trãquillè agendam ordinata eſt: excluſis autem propriis domiciliis vita nequit tranquillè tranſigi, ferarum incurſibus obnoxia; latronum impulſibus expoſita, imbrium, aquarum inundationibus pervia: Domus ergo, ſed ſupra firmam petram ædificandæ.

CAPVT V.

De Oppido, Paga, & Civitate.

EAdem prorſus Oppidi, Pagi, Vrbis, ſeu Civitatis, ac Domus ædificandæ cauſa occurit; nempe ſecuritas conveoientium, & utilitas commodè vivendi in civili ſocietate; eamque augendi: cum virtus fortior ſit unita, quam diſperſa. Pagus à verbo græco πηγῆ id eſt à fontibus dicitur, circa quos ruſtici gaudent habitare; vicus autem, in quo multa ſunt ædificia conjuncta ruſticorum, ex villis coaleſcit. Inde pagani, & villani dicuotur ruſtici: Vicus ab oppido differt, quod munitione aliquâ cingitur; ſed non ita firmâ ac oppidum, & urbs. Oppidum ab ope dicitur, quod opem præbeat adverſus hoſtium impetus; quare tutior eſt locus oppidi, quam pagus, & villa, mœniis enim cingitur. Vrbs ab orbe, ſeu orvo hoc eſt aratro, nomen habet: fuit enim prima civitatis deſcriptio per aratri ſulcum facta, & urbare eſt, aratro definire. Audiendus Varro qui hæc omnia enucleatè declarat. Oppida, quæ inquit, prius erant circumducta aratro, ab orbe & urvo urbes dictæ ſunt. maximum ædificium eſt oppidum ab ope dictum, quod munitur opis cauſâ, & quod opus eſt ad vitam gerendam, ubi habitarent tutò, vel oppida, quod opere munirentur; mœnia, quia munitius eſſent. Quòd exaggerabant aggeres dicti, & quòd aggerem contineat murus, quod muniendi cauſa manu parabatur; quo ſepiebant oppidum, è quo munere, murus. Ejus ſumma pinnæ, Turres à torris; quod hæ proſpiciant ante alios. Quâ viam relinquebant in muro; & quâ in oppidum portarent, portæ ſunt appellatæ. Oppida condebant in Latio, Etruſco ritu, junctis bobus; aratro enim circumagebant ſulcum, quod religionis cauſâ, die auſpicato faciebant, ut foſſâ & muro eſſent munita. Terram autem cum exculpſerant, foſſam vocabant, & introrſum factum murum: poſtea quod fieret orbis, urbs. Principium quod erat poſt murum, pomerium dictum: ejuſque ambitu auſpicia urbana finiuntur. Dehinc in oppido vici à via; quòd ex utraque parte viæ ſint ædificia. Fundula à fundo quod exitum non habet; ac pervium non eſt iter. Angiportum, & id anguſtum, ab angendo, & portulocum, adquem conferrent ſuas controverſias, & quò quæque ferrent, forum generatim appellarunt, ubi quid additum, ab eo cognomen, ut boarium forum, forum olitorium. Arx ab arcendo, quòd is locus munitiſſimus urbis ſit, à quo facillimè poſſit hoſtis prohiberi. Carcerem a Coërcendo, quòd exire prohibeat. Ædes ab aditu; quòd plano pede adibant. Oppidum quidam ab oppoſitione murorum dixerunt, ait Iſidorus; alii ab opibus recondendis. Civitas, quaſi civium unitas: cives verò a cœtu, vel à coëundo; quod in unum cœtum coëundo.

Ex quibus patet, quid ſit civitas, & ex quibus componatur. Primò quidem, ex *muris*, qui apud antiquos ſancti, & inviolabiles habebantur, nullius in bonis, ſed publici & quodammodo divini juris, quorum cura Principi eſſe debet; quia ſolius illius eſt oppida muris cingere. Secundò, *arcibus* Tertiò, *ſuburbiis*, *& pomeriis*. Quartò, *foris*: primo quidem judicialibus, ubi jus dicitur & ubi Conſulum ſedes, ſellaque olim currulis, & Tribunorum erant ſubſellia; quinto, *foris* venalium rerum. Sextò Carceribus. Septimò ædificiis civitatis publicis, Thermis, Theatris, Amphiteatris, circis, collegiis; octavo, Templis. Hæc verò omnia publici ſunt juris, & ad communitatem pertinent: Deinde ædificiis privatis; quorum omnium Reipublicæ præfecti curam habere debent.

Quo verò omni modo conſtitui debeat civitas elegauter declarat Ariſtoteles 7. politi. c. 5. Civitas poſitionem ſortiri debet ad quatuor reſpiciendo: primùm ad ſanitatem: ad orientem enim Solem converſæ urbes, ad ventos qui inde perflant, ſalubriores ſunt; quæ verò ſunt ſecundum Boream ſitæ; hæ ſunt ad hiberna potiores. Secundò ad ſecuritatem, & tutelam: nempe ut fortiſſimis muris cingatur, arceſque habeat munitiſſimas; & ita ſe habeat ad res bellicas, ut facilis ſit civibus in aliena egreſſio; hoſtibus autem difficilis aditus, ac circumdatio. Tertiò, ad utilitatem, ut omnia ſuppetant, quæ ad vitæ commoditatem prærequiruntur. Quartò, ad voluptatem, & jucunditatem. Quare aquarum & ſtagnorum abundantiam habebit, maximè naturalem: quòd ſi naturalis deficiat, ex aqua pluviarum ciſternæ, & lacus, qui magnam aquarum vim ſuſcipiant, comparentur; ita ut aqua, ſi quando obſiderentur, nunquam poſſit deeſſe. Finxit Plato, ut refert.

Tertullianus lib. de annima c. 29. quòd ut frugum ſeminibus, una generis cujuſque forma eſt, proceſſus tamen varii, pro conditione Cœli, & Soli, pro ratione operis & curæ, pro temporis eventu, pro licentia caſuum; ita & animam licebit ſemine uniformem, fœtu multiformem: nam & hic de locis intereſt. Thebis hebetes, & bruti naſcuntur, ut nobis relatum eſt. Athenis ſapiendi, dicendique acutiſſimi; penes Colytum pueri menſe citius eloquuntur præcoce linguâ. Vnde idem Plato in Timæo; Minervam affirmat, cùm urbem illam moliretur, nihil aliud quàm Regionis naturam proſpexiſſe talia ingenia pollicitam. Vnde idem Plato in legibus: Megillo præcipit, condendæ civitati locum procurarent idoneam.

CAPVT VI.

De Materia proximâ, cuntiſque corporis civilis membris.

CVm omnis ſocietas civilis, conſtet ex imperantibus, & parentibus: hinc cuique facilè innoreſcet, quænam ſit corporis civilis, ſive Reipublicæ materia proxima, & quænam illius membra: illi nempe qui imperant, & qui parent, populus ſcilicet, Magiſtratus, & Princeps. Civitas enim non eſt ſimplex illa & materialis domorum collectio, ſed civium unitas. Civitates non lapides ſed homines faciunt, ait Nonius Marcellinus. Hæc verò ex plebe, quæ paret, & Magiſtratu, qui plebem regit, veluti ex membris, & capite coaleſcit.

Digitized by Google

DE POPVLO ET PLEBE.

POpulus apud Romanos à plebe diſtinguebatur, quod in populo Patricii, Senatores, cunctaque Nobilitas eſſent, non in plebe. Plebs *ἀπὸ τῶν πλειόνων*, hoc eſt à pluribus dicitur; populus verò *ἀπὸ τῶν πολλῶν πλειόνων*, id eſt à multis plutibus; eo quod populus omnes hominum ordines complectatur; quarè populus à plebe diſtinguitur; quòd hæc viles; totiuſque populi veluti fæcem tantummodo comprehendat; ille vetò univerſam civium ſocietatem, græcè *δῆμος* à verbò *δεῖν* colligare, ut ſit *δῆμος*; quaſi *δεσμός*, id eſt, vinculum, quia populus eivilis quædam eſt bominum collectio legum vinculis colligata. A *populo* publicum, quaſi *populicum*; inde Reſpublica.

Diviſus olim fuit à Servio Tullio Rege populus Romanus cenſu, ordinibus, ætate, loco, & honore. Cenſu per claſſes, quæ cenſu, ſeu patrimonio poſſeſſo, & æſtimato erant diſtinctæ; erantque ſex, in centum, & non aginta tres centurias diſtributæ; ut in primas Centurias, qui maximo eſſent cenſu, cooſeſſerit; in reliquas verò deinceps qui minure, ſervato cenſus, & centuriatum gradu, ordinibus diſtinguebantur per centurias equitum, & peditum· Ætate per ſeniorum, juniorumque centurias loco diviſa eſt in quatuor partes civitas, & populus. Partes erant Palatia, Suburbana, Collatina, exquilina. Antea populum Romulus in tres partes diſtribuerat; inde Tribus à numero trium appellatur. Deinde ſingulas partes Tribvum in decem Curias diviſit. Hinc Curiones, qui curiis, ſeu partibus illis præficiebantur, & Decuriones, qui decem curiis; quibus Parœchiæ noſtræ reſpondent. Ex tribubus dabantur milites; Equites ex ſingulis centum. Deinde honor additus à Servio Tullio, non promiſcuè, ſed per gradus. Tunc enim cœperunt primum vocari ad ſuffragia Comitiorum octodecim Centuriæ primæ Claſſis, primi & majoris Cenſus. Fuerunt aliquando honores, & magiſtratus diſtributi juxta cenſus, pro numero divitiarum. Ita tres dignitatum facti gradus cum cenſu, Senatorius, Equeſter, & Plebeius. Quod acriter carpit Poëta.

In pretio nunc eſt pretium; dat cenſus honores.
Cenſus amicitias, pauper ubique jacet.

Plebeius ordo diſtinctionem habuit apud Romanos; ut alia eſſet plebs urbana, alia plebs ruſtica. Vrbana quæ urbem; Ruſtica, quæ agros habitabat. Olim ruſtica ſimplicior habita & honeſtior: quia ex agricolis milites ſtrenviſſimi, virique fortiſſimi gignuntut, ait M. Cato, colebant, & viri patricii agros propriis manibus; & ex agris Conſules, Dictatores, & Senatores vocati, ad agros redierunt. Plebs urbana continebat Tribunos, Ærarii Scribas, Mercatores, Negotiatores, Fœneratores, Artifices, Opifices, turbam forenſem, Libertinos, Magiſtratuum Apparitores, de quibus ſigillatim Sigonius lib. 2, de Iure Romano. Theſeus cum Atheoas fundaret, confluente populo diſtinxit ordines artificum, agricolarum, & Nobilium. Apud Ægiptios ſeptem erant hominum genera, quorum alii Sacerdotes: alii pugnatores; alii bubulci; alii inſtitores; alii interpretes; alii gubernatotes navales. Apud nos civitas in tres ordines diſtinguitur Cleri, Nobilium, & tertii Status.

CAPVT VII.

De Agricolis, Mercatoribus, Artificibus, aliiſque minus principalibus corporis civilis membris.

CIvilem ſocietatem ſupra corpori animalium comparavimus. Quare, ſi animalis corporis vellemus partes capere, primòſe ſegregaremus eam, quæ animali neceſſaria eſt, ut cibum conficiat, & recipiat, puta os, & ventrem· poſtea organum auditus, demum tactus, nempe manus, & ſic de aliis: eodem modo in varias partes diſtinguenda eſt Reipublica, ſive ſocietas civilis; ut quidem primum, quædam ſit circa corporis alimenta ſocietas, nempe Agricolarum, & Paſtorum; quorum conditio, etſi his temporibus vilis, & agreſtis appareat, minimè tamen eſt ſpernenda. Primi enim humanæ ſocietatis anctores, fuere Ægricolæ. Adamum enim totius humani generis primum parentem Deus, poſt ejus creationem, in Paradiſum Terreſtrem tranſtulit, ut operaretur, & cuſtodiret illum, ait Sacer Geneſeos textus cap. 2. id eſt, ut illium excolerer. Caïn, & Abel ejus filii fuere paſtores & agricolæ, eorumque omnes poſteri, Abrahaam, Iſaac, Iacob, & eorum filii. Davidem Deus ex pecorum & ovium regimine, ad regnum Iſraël evexit: & in ſacris Paginis Reges, ſicut & apud Homerum Reges appellantur paſtores. Chiſtus ipſe Rex Regum, qui non venit niſi ad congregandas oves, quæ perierant paſtorem ſe eſſe gloriatur, ego, inquit ſum Paſtor bonus.

Altera ſocietas Mechanica eſt, quæ verſatur circa miniſteria, ceu artes, ſine quibus civitas nequit habitari; nec adhuc ſpernenda hæc ſocietas; Gentiles enim Vulcanum; qui faber erat ferrarius, tanquam Deum coluere. Sed abeant fabulæ. Sanctiſſimus Patriarcha Ioſeph Deiparæ Virginis Caſtiſsimus Sponſus, faber erat lignarius. Altera ſocietas, forenſis appellatur, quæ circa merces commutandas & vendendas, vel emendas, verſatur; Reipublicæ adhuc neceſſaria, ut demonſtravimus. Alia eſt ſocietas militum, quæ non minus eſt neceſſaria adverſus hoſtes Reipublicæ: Quare Socratem tidet Ariſtoteles, qui docebat civitatem ſolummodò conſtare ex agricolis, coriariis, textoribus, ædificatoribus, & fabris ferreis piſtoribus, & nummulariis.

CAPVT VIII.

De Principe, totius civilis coporis Capite, & Politicæ Societatis Rectore.

TYrannica machinamenta videntur eſſe omnia popularia, ait Ariſtoteles 6. politic. ceu licentia ſervorum, & mulierum, & puerorum; ut ſine metu ſcilicet legum, vivant, ut velint, permulti hujuſmodi civitatis ſtatum amabunt: cum permultis dulcius ſit, diſſolutè vivere, quàm modeſtè: cum tamen compeſci, ac non licere facere

Digitized by Google

quidquid quis velit, utiliſsimum ſit: nempe ſi quid jure prohibetur; aut æquo bono, boneſtaque repugnet. Quare longè præclarior, & ad perfectæ civilis ſocietatis finem accommodatior eſt Monarchici regiminis forma, quàm Democratici, & popularis, ut infra fuſius declarabitur. Præter ergo Plebeium, & Magiſtratus ordinem, deſideratur ſuprema quædam unius Rectoris dignitas, Regis videlicet, qui cæteris, ut Caput Phyſici corporis membris præſit.

CAPVT IX.

De Magiſtratibus, Doctoribus, Nobilibus, Sacerdotibus, Divitibus, præcipuis corporis civilis membris.

POſtquam minus principales corporis civilis partes enumeravit Ariſtoteles 4. polit. c. 1. Nobiliores recenſet. Sexta civitatis pars juſticiæ judiciacriæ exibitores: Septima Conſultores complectitur; quod eſt prudentiæ opus: Octava eorum, qui publicam operam exhibent; & qui in magiſtratibus gerendis occupati exiſtunt. Civitas enim ſine Magiſtratibus eſſe non poteſt. His addendi ſicut Sacerdotes, Doctores, liberi, ingenui, & Nobiles, divites. Sacerdotium enim, Nobilitas, genus, divitiæ, diſciplina, virtus, civitatem maximè commendant, eamque amplificant, de quibus omnibus fuſe infra. Et hæc ſunt præcipua civilis corporis membra; quibus Princeps, ut caput totius corporis Phyſici membris imperat, & antecellit. Vt ergo in Muſica concentus quidam eſt tenendus, ait Cicero lib. 2. de Repub. ex diſtinctis ſonis, quem diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors efficitur; ſic ex ſummis & infimis, & mediis interjectis ordinibus ut ſonis moderatâ ratione civitas conſenſu diſsimillimorum conſiſtit, & quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, ea eſt in Republica concordia, arctiſſimum incolumitatis vinculum.

CAPVT X.

De Civibus, & qui ſint, qui hoc nomine appellari mereantur.

CIvilis ſocietas, ait Ariſtoteles lib. 3. polit. c. 1. à civibus appellatur: Civitas enim civium eſt unitas, ſive ſocietas. Ergo de cive agendum eſt. Habitatio, ait Phyloſophus, civem non facit. Nam ita modo peregrini eſſent cives, extranei, & ſervi. Nec rurſus qui fori, & judicii jus habent; nec pueri, nec ſenes ſimpliciter, ſed quodammodo cives; nec infames, nec exules. Civis definitur participatione poteſtatis publicæ judicandi, & decernendi: hoc eſt, civis ille dicendus, qui poteſt ad Reipublicæ adminiſtrationem, & honores publicos advocari. Cives alii, qui ex duobus civibus, alii qui ex patre ſolummodò cive originem trahunt. Dubitari autem poteſt an opifices, ac mercenarii cives ſint nuncupandi. Nam cum ad Rempublicam pertineant, quo loco erunt reponendi? Non ſervorum loco, neque rurſus ut peregrini. Optima tamen civitas nunquam opificem faciet civem, ait idem Philoſophus; quamvis in quadam Republica ſordidi, & opifices cives cenſeantur; nempe in populari: in optimatum verò gubernatione nequit, non debet hoc fieri. Civis enim ille eſt, qui ad honores ſuſcipiendos, & ad Reipublicæ gubernationem habilis eſt, ut ait Homerus. Apud Thebanos, nemo ad Reipublicæ regimen habilis erat, niſi decem annis à Mercatura vacaſſet. Cives facit origo, manumiſſio, electio, vel adoptio; Incolas domicilium facit. Quare plus eſt civem eſſe, quàm incolam; ita tamen ut incola alicujus loci eſſe poſſit, & alterius civis; in utroque verò parère debet magiſtratui utriuſque, & utriuſque civitatis municipalibus oneribus eſt ſubditus. Incolæ domicilium colligitur, vel ex declaratione ejus, quod dixerit ſe eligere domicilium; vel quòd per decennium ibi commoratus fuerit; vel ubi lares, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſummam conſtitueit. Civis, cum peregrinatur, propriæ civitatis jure non privatur; niſi exilii pœnâ proprios lares relinquere cogatur. Poteſt quis ſimul & ſemel duarum eſſe urbium civis; unius, titulo originis; alterius, titulo adoptionis. Alexandro Macedoni cùm victor Orientis animos ſupra humana attolleret, Corinthii per legatos gratulati ſunt, & civitate illum ſuâ donaverunt; cùm riſiſſet Alexander hoc officii genus, unus ex legatis, nulli, inquit, civitatem umquam dedimus, alii quàm tibi, & Herculi. Libens accepit Alexander delatum honorem, & legatos invitatione, aliaque humanitate proſequutus cogitavit, non qui ſibi civitatem darent, ſed cui dediſſent. Hactenus Seneca lib. 1. benefic. c. 13.

Præclara fuere apud Romanos civium privilegia, Neſas erat civem Romanum flagellis cædere, vinctum, clauſumque in carcere detineri. Qui vero civem Romanum verberaſſet, aut necaſſet, bonorum, & exilii pœnâ mulctabatur; civis Romanus nec in exilium agi poterat; nec in ſervitutem redigi. Civium Romanorum imagines in triumpho ducebantur. Qui vero civem Romanum à morte liberaverat, civica donabatur corona, inter omnes pretioſiſſima, ſummique honoris. Præterea jus ſuffragii in Comitiis illis concedebatur. Civitate verò donati à pudendis artibus abſtinebant, & propria nomina mutabant. Cæſaris lege medicinam profeſſi, artiumque liberalium Doctores civitate donabantur. Romani peregrinis civitatis jus denegabant, noviſque incolis. Hos tamen nefas erat expellere, vel malè tractare, quod & divinæ leges prohibent; juxta illud Exod. 22. *Advenam non contriſtabis; etſi habitaverit in terra veſtra, non exprobabitis; ſed ſit inter vos, quaſi indigena.* Nec mirum. Feræ enim feras non expellunt, ait Ambroſius, cur homo expellet hominem? lib. 3. de officis c. 7.

QVÆSTIO TERTIA

QVÆSTIO III.

DE FORMA, FINE, UTILITATE, Redditibus & Adminiculis ſocietatis civilis.

CAPUT I.

De forma corporis civilis, quæ in recta conſiſtit parium, diſpariumque graduum ordinatione.

DE materia corporis civilis, tam remota, quàm proxima, & de illius partibus, ſive membris hactenus; Nunc de ejus forma, quæ in recta conſiſtit parium, diſpariunque graduum ordinatione pauca ſubuectenda ſunt: ſocietas enim civilis, ordinatio quædam eſt, ut ſupra difinivimus, corpuſque quoddam civile, & collectivum, cujus forma ordo eſt.

CAPVT II.

Civium ſumma, perfectaque æqualitas, Reipublicæ noxia; quæ ſublatâ graduum diſtinctione, confuſio potius eſſet, quàm ſocietas.

CIvilis ſocietas, quædam eſt ſimilium communio vitæ gratiâ, ut maximè fieri poteſt, optimæ, ut ſupra definivimus cùm Ariſtotele. Ex quo Socrates cenſuit in Republica benè inſtituta, omnia debere eſſe communia, perfectèque æqualia; quia, inquit, hujuſmodi communione, & æqualitate firmiori amicitiæ, & concordiæ vinculo civilis ſocietas arctabitur; quod ſummum eſt Reipublicæ bonum. Verùm, ut præclarè docet idem Ariſtoteles, 2. Polit. c. 2. quærere nimiùm unire civitatem non eſt melius. Eſt enim civitas multitudo quædam ſecundum naturam; quæ dum fit una magis, domus erit ex civitate, & homo ex domo: unam quippe magis domum cenſemus eſſe, quàm civitatem; & hominem magis unum, quam domum. Quare etiam ſi poſſet quiſpiam hoc facere; tamen non eſſet faciendum; quia perimit civitatem. Neque enim ex ſola hominum multitudine conſtat civitas; verum etiam ex eorum multitudine, qui ſpecie differunt; non fit enim civitas ex ſimilibus. Præterea, civitas multitudo eſt hominum ordinata; aliàs ſublato ordine, confuſio potius eſſet, quàm ſocietas. Ordo verò eſt parium diſpariuoque graduum recta ſub unius regimine diſpoſitio. Cùm ergo ſumma æqualitas ordinem deſtrvat, perimit civitatem. Vt enim diximus io muſica, concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt; iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur: ſic ex ſummis, & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut ſonis, ait Cicero, lib 2. de Repub. moderata ratione civitas, conſenſu diſſimillimorum conſiſtit: & quæ Harmonia à Muſicis dicitur in cantu, ea eſt in Republica concordia arctiſſimi vinculum incolumitatis. Quò forte reſpexit antiquitas, cum finxit, ab Amphione Cytharæ Harmoniâ Thebanam civitatem fuiſſe fundatam: apud quos Harmonia, ut ſummum numen, colebatur. Adde, civitatem corpus eſſe civile. Monſtroſum autem corpus eſſet, cujus membra omnia ſimilia eſſent, & æqualia: ut lepidè declarat Apoſtolus Epiſt. 1. ad Corint. c. 12. *Sicut corpus unum eſt, & membra habet multa: Omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt; nec tamen dicere poteſt manus oculo, nec oculus pedi, operâ tuâ non indigeo.* Sic civitas corpus unum eſt civile, cujus membra ſunt omnes cives, qui mutuo concivium egent miniſterio.

Ex variis ergo, diſtinctiſque gradibus, veluti membris conſtare debet corpus civile. Nec civitas, civium ideo unitas dicenda eſt, ex fictitia illa civium unione, & æqualitate, ſed ex collectione plurium graduum ſub unius regimine: vel ex civium concordia. Quare Socratis Rempublicam ex æqualibus conflatam, tanquam Chymericam explodendam cenſet Ariſtot. lib. 5. Polit. Non enim ex duobus medicis ſocietas fit, ſed ex medico, & Agricola, & demum diverſis, non æqualibus, qui tamen ex permutatione & commercio ſunt inter ſe adæquandi: ut quod uni deſit, ex altero mutuet.

CAPVT III.

Ordinata eſſe debet civilis hominum ſocietas.

QVæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ait Apoſtolus cum ergo à Deo ſit civilis hominum ſocietas, ut ſupra oſtenſum eſt; qui à Republica ordinem tollere nititur, divinæ reſiſtit ordinationi, totamque perimit humanæ ſocietatis Politiam; cujus ordo forma eſt; & quodammodo anima, ſpirituſque vitalis. Ad hoc enim, ait Bonifacius 2. epiſt. diſpenſationis divinę proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos; ut dum reverentiam minores potentioribus exhiberent, potioreſque minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret; & ex diverſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas alia poterit ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi eam differentiæ ordo ſervaret. Quod verò quæque creatura in una, eademque qualitate gubernari, vel vivere non poſſit, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit; ubi ſunt inferiores, & ſuperiores Spirituum ordines; ex quibus ſuperiores inferiores regunt, inferiores re-

guntur. Reſpublica ergo bene ordinata ſola arithmetica æqualitate conſtare nequit. Sicut enim ex contrariis elementis; ſyderumque oppoſitis motibus uira harmonia temperatus eſt mundus: ita diverſis hominum ſtudiis, gradibus, & ordinibus conſtat Reſpublica; & ut ex diverſis fidium tonis ad ſymmetriam intenſis, concentus dulciſſimius oritur, gravibus, mediis, & acutis conjunctis, non diſpari ratione in Republica, imperantium, & regentium, divitum & pauperum, artificum & id genus diverſorum gradu, perſonarumque & officiorum ſtatu, ſocietatis civilis harmonia conſurgit laudabilis, firmiſſima, & perennis; Quia quod uni deeſt ex alio ſuppletur. Sicque ut Plato ipſe fatetur, ſumma erit in Republica æqualitas, quæ ad humanę ſocietatis tutelam neceſſaria eſt. Quare Ariſtoteles fictitias illas, & irrationales Platonis Reſpublicas jure optimo damnat, quarum una ex ſolis divitibus, altera ex ſolis pauperibus componeretur. Divites enim, & nobiles, ad agros propriâ manu excolendos ire detrectarent, ex quibus tamen, quæ ad ſufficientiam vitæ deſiderantur, colliguntur; pauperes nulla mercede conducti otio torperent, & fame necarentur. Quare melius eſt Reſpublicas ex divitibus, & egentibus componi, ut quod uni deeſt ex inopia, ex alterius abundantia ſuppleatur.

CAPVT IV.

De publicis, & privatis redditibus.

SVos habere debet nervos corpus civile, ſicut & corpus Phyſicum, quibus artus invicem connexi proptias facilius exerant actiones. Nervi in enim corporę animalis, ſenſus, motuſque ſunt inſtrumenta. Bona verò, & pecunias Reipublicæ nervos Mutianus appellat. An verò communia eſſe debeant inter cives, an privata controverſia eſt inter politicos. Socrates, ſicut, & mulierum; ita & facultatum omnium communionem in Republica olim ſtatuit; cujus ſententiam exibilat Ariſtoteles 1. polit. c. 8. Alii privata omnia eſſe volunt, nihilque publicum, & commune; quod Reipublicæ penitus repugnat; quæ communio quædam vitæ dicitur, vitę graria, quam maximè optimæ. Quare medium inter hæc duo extrema hoc modo debet ſtatui; ut aliqua ſint Reipublicæ bona communia; aliqua privata. Nulla enim eſſe communia impoſſibile conſtat eſſe; cum civitas ſit communio quædam.

CAPVT V.

Temporalium Bonorum, & facultatum utilitas, & neceſſitas ad humanæ, tum civilis, tum domeſticæ ſocietatis Præſidium.

REipublicæ finis eſt, beate, jucundeque vivete; quod ſine bonorum poſſeſſione quibus mortalis hæc vita eget, fieri nequit. Bona autem quæ facultates vocantur, ſive divitiæ alia ſunt immobilia, alia mobilia; alia propria & privata, alia communia & publica, alia Dominicalia, ſive deſpota, alia adeſpota, nulliuſque Domini quæ ad principem ſpectant. Immobilia, ſive naturalia, reditus ſunt, agrorumque proventus, cenſus, Tributa, vectigalia; mobilia ſunt; domeſtica ſuppellex, & pecunia. Communia, quæ ad communitatem ſpectant, ut publicum ærarium, & alia hujuſmodi privata quæ ſub privatæ perſonæ ſunt poteſtate. Deſpota, quæ privati Domini ſunt; adeſpota, quæ nullius ſunt Domini.

Utiliſſima ergo, imò neceſſaria eſt tum Reipublicæ, tum privatæ bonorum hujuſmodi, ſive facultatum acquiſitio, & poſſeſſio. Tot vero ſunt bonorum tam mobilium, quam immobilium acquirendorum artes, quot genera vitæ, vivendique inſtituta, ait Ariſtoteles lib. 1. polit. c. Alij à manſuetis animalibus ſine labore victum requirunt; nempe qui paſtoralem vitam ſequuntur, & hi omnium pigerrimi. Alij ex præda vivunt, & præda quidem alia alij, ceu alij venantes, alij piſcantes, aucupio alij. Alij per commutationem, commercia ſibi præparant alimentum; ut mercatores, & fœneratores. Eſt & aliud acquirendi genus pecuniarum; in quo nullus finis eſſe videtur divitiatum, & poſſeſſionis, pecunia nempe, ſive nummus, qui inventus eſt ad permutationes bonorum naturalium facilius agendas. Cùm enim à remotioribus quæreretur auxilium, importando illa quibus indigebant; & exportando illa quibus abundabant, neceſſariò nummi introductus eſt uſus: non enim faciliter deferri poſſunt ſingula ad vitam neceſſaria. Nummus autem ſecundum naturam non eſt; ſed arte jureque civili in Reipublicæ utilitatem inſtitutus fuit: Quare nec ad bene vivendum ſimpliciter neceſſarius; locuples enim nummis, penuriam patietur neceſſarij alimenti. Abſurdum ergo eſt tales eſſe divitias affirmare, quarum abundans quis fame perire poſſit, ut de Mida, fabulis traditur, cui propter inſatiabilem deſideris famem, quidquid apponebatur, fiebat aurum. Utiliſſima tamen eſt tam Reipublicæ, quam privatæ nummi inventio ad faciliorem bonorum naturalium permutationem, & ad humani civiliſque commercij uſum divitiæ enim naturales, vel artificiales, videlicet pecorum greges (ex quibus dicta eſt pecunia) armenta boüm, & merces arte factæ ut panni &c. Non ita facile ad extraneas nationes transferrentur, ſicut nummi: quare nummorum fabricatio, commercio, quo ſocietas politica juvatur longè commodior eſt, & Reipublicæ utilior unde Romæ olim Templum Junoni Deæ Monetæ conſecratum eſt, quæ mercatoribus ſingulari cultu adorabatur; ſicut & Ianus quem primum monetæ excudendæ inventorem exiſtimabant. Non eſt veriſimile ait Roſinus. 2. lib. antiq. Roman. c. 6. quod de Junone Moneta Suidas ſcribit, cum Romani pecuniâ egerent in bello contra Pyrrhum, eos Iunonem invocaſſe, quæ ipſos monuerit, ſi juſtitiæ armis uterentur, pecuniam eis non defuturam; cumque id Romanis contigiſſet, Monetam Iunonem veneratos eſſe, ejuſque rei ſignum fuiſſe, quòd numiſma, id eſt Moneta inſcripta in ejus templo, aſſervaretur. Quare, inquit, à monendo Iuno Moneta dicta eſt; quia ferunt è Iunonis templo, quod erat in arce vocem fuiſſe auditam, quâ de Gallorum irruptione Romani admonebantur. Certiſſimum tamen eſt monetam, ſive nummos aureos, vel argenteos Iunonis imagine ſculptos in ejus templo ſervari, tanquam ſocietati civili utiliſſimos. De Iano verò, quem fuiſſe ipſam Iapheth exiſtimat idem Roſinus, docet eum primum in Italia æreum nummum ſignaſſe. Unde in quibuſdam veteribus nummis, ab una parte Ianus Bifrons; ab altera navis, aut prora, aut Puppis conſpicitur; & in ejus templo argen-

Digitized by Google

tarij, ac nummulatei ſuam artem exercebant. Vt inde Colligi poſſit à Deo, ad civilis ſocietatis commodum publicum artis nummulariæ notitiam fuiſſe infuſam.

CAPVT VI.

Quædam in Republica bona eſſe debent communia.

PRimò quidem neceſſe eſt locum eſſe communem; ait Ariſt. 2. polit. c. 8. nam locus quædam pars eſt unius civitatis; cives autem ſocij onius ſunt civitatis. Præterea in civitate quæ communis eſt civium omnium babitatio, Ædes publicæ eſſe debent, tum ſacræ, tum prophanæ; ubi cives ſtatis temporibus poſſiot convenire; tum ut Deo religionis cultum exhibeant; Templa ſcilicet; tùm ut de rebus publicis conſilium ineant, ut ædes comitiorum; tum ut jus unicuique reddatur, forum nempe judiciale; tum, ut pecuniæ publicæ reponantur, ut Reipublicæ ærarium, & alia hujuſmodi. Eget adhuc Reſpublica pecunia publica ad varios pacis, bellique uſus, neceſſaria, quæ fiſcus appellatur; ſive ærarium. Et hoc ex cenſu, tributis, vectigalibus, ſubſidijs, muneribus comparatur. Unde Romulus olim primus Romanæ Reipublicæ inſtitutor univerſos agros io tres partes diviſit; quarum prima cultui divino, altera Reipublicæ attributa dominio: tertia diviſa fuit inter cives. Ex juſſu etiam Dei ſeparata fuit in 4. partes terra promiſſionis; quarum una Templo, & ſacerdotibus, altera Levitis; tertia civitati, quarta priocipi fuit adſcripta. Neceſſe ergo eſt ad Reipublicæ conſervationem, quædam eſſe bona communia ad ſumptus, & impenſas communes, ad murorum, templorum & publicorum ædificiorum reſtaurationem.

CAPVT VII.

Quædam in Republica debent eſſe bona privata, quæ ſingularium propria ſint perſonarum.

REſpublica privatæ non nocet, nec talis eſſe debet in Republica bonorum communio, ot nulla ſit bonorum privatorum penes ſingulos proprietas. Eſt ſane inenarrabile, ait Ariſtoteles, quantùm interſit ad voluptatem conſiderare aliquid eſſe proprium ſui. Non enim fruſtra quiſque ad ſeipſum amicitiam habet: eſt verò id naturale, & cum amorſui reprehenditur, non illud reprehenditur, quia ſe amet, ſed qui magis, quam oportet ſe amat. Expedit ergo etiam Reipublicæ commodo, ut aliqua ſint ſingulorum civium propria, curæ enim diviſæ invidiam adinuicem non parieot, imo proficient, utpote ad proprium uno quoque ſedulo incumbeote, hactenus Ariſtoteles lib. 2. polit. c. 5. Varijs autem modis fieri poſſunt communia. Primo ut fundi proprij ſint, fructus verò in commune conferantur; quod apud quaſdam fit gentes: vel contra: ſolum quidem eſſe commune & communiter cœli, fructus autem partiri in proprios uſus: quod etiam facere dicuntur quidam Barbarorum, vel & fundos, fructuſque eſſe proprios. Melius tamen eſt & fundos, eorumque fructus ſingulis civibus proprios eſſe, ſed uſu facere illos communes; vel commercio, vel liberalitate. Largiri enim, & opem ferre amicis, & hoſpitibus, & familiaribus dulciſſimum eſt; quod fit, ſi propriæ ſint facultates. Hæc autem non contingunt illis, qui nimis unam efficiunt civitatem, ſicque præclariſſimarum virtutum cultum manifeſtè tollunt, beneficentiæ, & charitatis, quibus inter amicos omnia fiunt communia.

Quomodò vero bonorum privatorum inter cives fieri debeat diſtributio, an ſervatâ arithmeticâ inter ipſos æqualitate, itaut unus plus altero non habeat, an æqualitate proportionis, habitâ cujuſlibet conditionis ratione, ut qui in aliqua dignitate conſtituti ſunt, plures habeant facultates diſſidium eſt inter politicos. Lycurgus arithmeticam æqualitatem ſtatuit, cùm in æquales partes agros diviſit, ſinguliſque civibus ſingulas adſcripſit partes. Ariſtoteles circa hoc melius cenſuit; æqualitatem proportionis decernens, habitâ cujuslibet conditionis ratione, ut ſcilicet qui in aliqua dignitate conſtituti eſſent, plures haberent facultates, quod ne dum æquitatis ratio, ſed communis uſus demonſtrat. Thales verò optimam eſſe pronunciavit Rempublicam, quæ cives neque prædivites, neque admodum pauperes haberet. Reipublicæ enim bono publico aptiſſimum eſt, quod pauperes ſint, & divites: juxta illud ſacræ ſcripturæ: pauper, & dives obviaverunt ſibi, utriuſque operator eſt Dominus. Pauperis eſt ait Auguſtinus eſt rogare, divitis erogare.

CAPVT VIII.

Civilis ſocietatis adminicula; quibus ſuffulta viget & floret, ſtat, nullius indiga, ſibi ſufficiens.

SUa corpus animalis, habet fulcra quibus ſtat; ſuaque organa, quibus ad actiones ſibi proprias expeditum redditur. Suis etiam privati non debet Reſpublica adminiculis, quibus vitam poſſit conſequi ſibi ſufficientiſſimam. Hæc verò alia ſunt, quæ ad corporis. Alia quæ ad animæ ſpectant ſalutem. Corporum ſaluti faveot, legitima liberorum procreatio, agricultura, artes mechanicæ, Mercatura, ſive commercium; juxta verò Mundanæ Politiæ aſſeclas, fœnus etiam, & uſura: armorumque ſuppellex adverſus hoſtium, impetus. Saluti verò animarum præcipuè opitulantur veræ religionis cultus: juſtitia, legum inſtitutio, & obſervantia, civium concordia: electa juventutis educatio, ſtudium litteratum, de quibus fuſe infra

CAPUT IX.

De fine civilis ſocietatis.

QUoniam videmus omnem civitatem eſſe ſocietatem quandam, omnemque ſocietatem boni alicujus gratia conſtitutam, patet, quod bonum aliquod omnes conjectant; maxime verò principaliſſimum omnium, quæ eſt principaliſſima, & cætera omoes complectitur: eſt autem illa quæ civitas appellatur, & civilis ſocietatis. Summum autem civilis ſocietatis bonum, non eſt ſimul vivere; nam & animalia quædam ſimul vivunt, quæ nec civilem habent ſocietatem, nec beate poſſunt vivere, quare aliud bonum civilis ſocietas per ſe primò intendit, nempe bene, & ſufficienter vivere: & hic vitæ civilis ultimus ſcopus eſt Bene autem, beateque vivere, ſola juſtitiæ & virtutis poſſeſſio tribuit, quia ſola virtus

Digitized by Google

ſummum hominis bonum eſt. Qoare nec ſola ſimul vivendi, nec bonorum temporalium acquirendorum, aut conſervandorum, neque ſocietatis gratiâ bellicæ, ne à quoquam injuriâ afficiantur, neque propter commercia, ad mutuam utilitatem, ſed ad bene beateque, hoc eſt ſanctè, pieque vivendum, civilis ſocietas per ſe primo fuit inſtituta. Si enim poſſeſſiouum ſola gratia ſocietatem civilem homines inijſſent, atque unà conveniſſent, tantum caperent civitatis, quantum poſſeſſionis, ſicque civilis ſocietas propter divites ſolummodo eſſet inſtituta. Si verò ſola ſimul vivendi gratia inita eſſet, ſervorum, & animalium civitas eſſe poſſet, quæ fœlicitatis non ſunt capacia, nec vivendi ſecundum electionem. Adde, quod ſi quis conjungeret loca in unum, ait Ariſt. Itaut Megarenſium, Corinthiorumque civitas ſeſe invicem contingerent mœnibus, nihilhominus una non eſſet civitas; eodemque modo, ſi qui habitent ſeparati, non tamen ita longe ut nequeant ſimul communicare, communeſque leges habeant, & eidem principi obtemperent: nec ſic unius & ejuſdem cives eſſent Reipublicæ: quod falſum eſt. Quod verò non ſola adhuc bellicæ ſocietatis gratia ne à quoquam injuria afficiantur: neque propter ſola commercia, aut mutuam utilitatem inſtituta ſit civilis ſocietas, patet; quia ſic Tuſci, & Chartaginenſes; & omnes ij quibus eſt commercium invicem, tanquam cives eſſent unius civitatis. Ex quo manifeſtum eſt, quod civitas non eſt ſola loci communicatio, & non injuriando ſibi ipſis, & commercij gratia: ſed iſta quidem ut aſſint, neceſſarium eſt ſi quidem futura ſit civitas; nec tamen ſi iſta ſolummodo aſſint omnia, civitas adhuc erit. Finis ergo civitatis eſt bene vivere; illa verò beatæ vitæ gratia. Ad bene quippe vivendum in unum locum conveniunt; ſimul vivunt: conjugia, fœdera, commercia ineunt. Propter quod propinquitates in civitatibus extiterunt, & ſodalitia, & ſacræ converſationes familiarum; idque amicitiæ opus eſt. Hactenus Ariſtoteles.

CAPUT X.

De utilitate, & neceſſitate civilis ſocietatis.

QUi primus civilem hominum ſocietatem inſtituit maximorum cauſa bonorum fuit, ait Ariſtoteles. Ut enim perfectione ſuſcepta, optimum animalium cunctorum eſt homo; ita ſi alienus fiat à lege, & à judicijs, peſſimum fit omnium animalium. Seviſſima enim eſt injuſtitia tenens arma. Itaque impijſſimus, & immaniſſimus homo, qui ſine virtute eſt; juſtitia verò civile quoddam eſt. Nam jus, ordinatio eſt civilis ſocietatis; judicatio autem juſti judicium. Quare nihil eſt illi principi Deo, qui hunc mundum regit quod quidem in terris fiat acceptius, ait Tullius, in ſomno Scipion, quam concilia cætuſque hominum jure civilis ſocietatis, quæ civitates appellantur. Vtiliſſima ergo, imo & ſimpliciter neceſſaria eſt humano generi civilis ſocietas; & hujuſmodi utilitatis, ſive neceſſitatis plures cauſas invenio, quas ſequentibus capitibus declarabo, & harum prima hæc eſt.

PRIMA RATIO.

Homo eſt animal naturâ civile, debet ergo in ſocietate civili vivere.

CIviles aliquos animantes, aliquos non civiles tradit Ariſtoteles lib. de hiſtoria animalis. Civiles vocat, qui gregatim vivunt, opuſque communi operà efficiunt, quales ſunt inter quadrupedes oves, inter volucres columbæ; inter piſces thunni: Non civiles appellat, qui ſolitariam vitam agunt. Verùm, ut ſupra demonſtravimus, animalia rationis expertia civilis vitæ, & ſocietatis non ſunt capacia; ſicut nec vitæ beatæ, quæ præcipuus eſt civilis ſocietatis finis. Præterea, ut ipſe docet Ariſtoteles, civilis vita juſtitiâ formatur, legibus firmatur, & virtute perficitur; quæ brutis animantibus non congruunt. Adde civilem ſocietatem ex imperantibus, & parentibus coaleſcere; quæ inter animantia non inveniuntur: ubi enim ratio, & libertas deficiunt, nullus eſt qui regat, vel regatur, quod ſolius rationis munus eſt. Civilis ergo ſocietas ſoli homini propria eſt, quia ſolus regere, & regi poteſt: ut pote ſolus rationis, liberique arbitris capax: ſolus legis, obedientiæ; juſtitiæ, virtutis, vitæque beatæ particeps. Quare ſolus inter animalia homo ad civilem vitam naſcitur, animal, ut dicit idem Ariſtoteles, nedum ſociale, ſed & civile. Homo igitur vitam agere debet ſocialem: quam effugere non poteſt, niſi humanam illico naturam exuat, Deuſque, aut fera evadat.

SECVNDA RATIO.

Homo alterius, ſe melioris regimine eget, qui ſeipſum nequit regere: ergo debet in ſocietate civili vivere.

QVidam turpe homini eſſe exiſtimant alteri homini parère: ejuſque ſubijci regimini, tum quod naturâ omnes ſint liberi, æquales omnes: par verò in parem non habet imperium, tum quod ſatius ſit Dei principatum ſolum retinere, meliuſque homini Deum habere principem, quam hominem, ſoliuſque Dei legè regi, vel lege naturali, & ratione: tum quod homo ſeipſum perfectè poſſit regere: quare alterius non eget regimine. Quod philoſophus 3. polit. c. 10. docere videtur, cum ait, melius homini eſſe à lege, quam ab homine regi, in quem cadunt animi perturbationes; lex verò imperturbata, ſibique ſemper æqualis, utpote regula humanorum actuum homines regit.

Verùm in hoc ſibi adverſatur Ariſtoteles: qui alibi docet, regere & regi nedum homini utiliſſimum eſſe, ſed & neceſſarium, civileque regimen à natura eſſe, quæ vbique demonſtrat imperfectiora à perfectioribus, & deteriora à melioribus regi. Cùm ergo inter homines ſeniores alij ſint, alij juniores, ſapientiores illi, minus ſapientes iſti, ſintque adhuc meliores aliqui, & aliqui deteriores, eget homo alterius regimine. at verum, perfectumque regimen in ſola civili reperitur ſocietate, quę duobus rebus maxime viget, imperio, & commercio, parendo & imperando: quare utiliſſimum homini eſt in civili vivere ſocietate: maxime ab eo tempore quo à primæva deſcivit innocentia,

centiâ, geaviſſimoque peccati onere oppreſſus ſeipſum regere non valet, Unde Plato lib. 5. in Alcib. non ſolùm puero, inquit, ſed viro magis conducit à meliori regi, quam ſeipſum vel alios regere. Homo frœno eget ad contcrendam illius proterviam, inquit Seneca ep. 90 & Regius vates pſal. 11. *conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant quia homines ſunt*: homo enim animal nedum rationale eſt, ſed & ſociale, & civile. Societas autem omnis, ut dicit Ariſtoteles parentium eſt & imperantium. *Vnde ſubdit Regius vates, benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem*: qui enim rectè imperant, & ritè parent, à Deo abſque dubio benedicentur, cui juſtitia, & obedientia maximè placent.

TERTIA RATIO.

Solus homo, abſque ſocio vitam nequit agere ſufficientiſſimam, neceſſaria ergo illi vita civilis

ALtè pro more, & eximiè Ariſtoteles 1. polit. c. 2. qui in communi nequit eſſe ſocietate, quique nullius indiget propter ſufficientiam; nulla pars eſt civitatis; quare aut beſtia, aut Deus. Solus enim Deus civili non eget ſocietate, quia ſibi ſufficientiſſimus, unde apud Hebræos *Saddai* appellatur. Nec tamen Deus ſocietate caret; ab æterno enim Deus unus eſt, & trinus, Pater Filius & ſpiritus ſanctus & hi tres unum ſunt. Beſtia verò pars civitatis eſſe nequit, ob innatam feritatem defectumque rationis & libertatis. Qui ergo in communi nequit eſſe ſocietate, aut beſtia aut Deus eſt. At homo nec beſtia eſt, nec Deus: non quidem Deus, quia non ſibi ſufficientiſſimus, ſed omnium ferè indigus; nec beſtia, quia rationis, & libertatis capax: ergo ſolus homo vitam agere poteſt civilem; eaque protſus indiget; quia indigentiſſimus eſt. Vita civilis, quam hominum ſocietate mixti degimus ad mutua commoda, ſive uſum ordinatur. Non ex duobus medicis; vel ex duobus ædificiorum opificibus ſocietas fit, ait Ariſtoteles ſed ex medico, & opifice, vel agricola; & demum diverſis, & non æqualibus, qui tamen adæquandi ſunt, hæc autem adæquatio fit rerum permutatione, & commercio v. g. opotter ut Medicus ab ædificatore domum; Ædificator à Medico corporis ſalutem, ab Agricola terræ fructus, à Sutore calceos accipiat, & ſic de aliis. Sicque indigentia omnia continet. Nam ſi nullâ re indigerent homines, efficeretur, ut vel non eſſet ulla omnino permutatio. Sicque funditus rueret vita civilis, quæ ad mutua commoda, & uſum ordinatur; quæ non minus commercio, rerumque permutatione, quàm Imperio, vel Legibus conſtat. Indigentia artes omnes invenit, Vnde apud Romanos olim unica Poeniæ, & Mercurio ara fuit. Poenia paupertatem ſonat, Mercurius artibus præeſt, & commercio; his humana ſocietas perficitur. Commercio enim indigentia ditatur, & acquiritur ſufficientia, quæ finis eſt vitæ tum ſocialis, tum civilis.

QVARTA RATIO.

Homo ad veram naſcitur felicitatem; ergo & ad vitam civilem.

QVo tempore Roxanes puerum capite carentem peperit Cambyſi, Magi inde portenderunt futuram Regni ruinam. Quod caput corpori animalis, hoc civili Princeps. Summa ergo humanæ ſocietatis infœlicitas foret, ſi nullius ſubderetur regimini. Anarchia enim inconditus eſt rerum ſtatus. *Quæ à Deo ſunt ordinata ſunt: omnis autem poteſtas à Deo eſt; qui ergo poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Subditi ergo eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Dæmones enim non aliam ob cauſam æternis tartarei ignis vinculis conſtringuntur, quàm quòd proprium dereliquerint Principatum, ſupremoque omnium principi parère detrectaverint, Omnis homo naturaliter beatè vivere deſiderat: nec vanus, & inutilis beatitudinis appetitus, ad quam à Deo ordinatur. Deus autem & natura nihil faciunt fruſtra, ſine verò ſocietate civili, nullus poteſt beate vivere, ut ſupra demonſtravimus. Homo ergo ad vitam natus eſt civilem. *Væ ſoli: quam verò bonum & jucundum fratres habitare in unum; etenim illic dabit Deus benedictionem.* pſal. quæ benedictio? vita ſufficiens eſt, & beata, & hæc præcipuus eſt finis ſocietatis civilis. Nulla enim perfecta felicitas ſine ſocietate, quâ nec ipſe Deus etſi ſibi ſufficientiſſimus caret, ut ſupra oſtenſum eſt. Creato Adamo & ad vitam beatam ordinato; dixit Deus, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus illi adjutorium ſimile illi*, ſcilicet fœminam, ex quâ filios generet, & ex illis ſocietas domeſtica oriatur, ex ſocietatibus verò domeſticis civiles.

Digitized by Google

POLITIÆ CHRISTIANÆ, SIVE POLITICORUM JUXTA LEGES DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

LIBER SECUNDUS.

In quo agitur de Regimine civilis Societatis, variâque ejuſdem Regiminis formâ.

QVÆSTIO PRIMA.

De neceſsitate civilis Regiminis, & qui ex hominibus ad Populos regendos, debeant admitti.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Regimen civile, ejuſque ſupra Regimen domeſticum, eminentia, & difficultas.

Civile Regimen ; eſt civium, qui civitates, civitatum, quæ Provincias, & Nationes, Provinciarum quæ Regna ; regnorum, quæ Imperia & Monarchias componunt, recta juxta leges tùm divinas, tùm humanas, propter bonum generis humani, & commodum publicum, & æternam fœlicitatem comparãdam, legitima gubernatio.

Quanta verò ſit hujuſce regiminis civilis ſupra Domus, ſeu familiæ regimen, ex eo apparet, quòd longè amplior, & præſtantior ſit innumerorum populorum, & civium, quàm uxoris, filiorum & ſervorum, qui familiam componunt, Gubernatio.

Et ex eodem capite innoteſcit, quanta ſit hujuſce civilis regiminis difficultas : facilius enim eſt patri familiás, uxorem, filios, & ſervos regere : domuique ad ejus ſuſtentationem neceſſaria providere, quàm Civitatum & Rerumpubublicarum ducibus, vel Regnorum Monarchis innumeros populos rectè gubernare. Plebe enim quid levius ? quid mutabilius, & moroſius ? Vnde Moyſes, quem Deus regendæ plebi Iſraëliticæ præfecerat ; *non poſſum,* inquit ad Dominum, non poſſum banc regere multitudinem : quare onus Intolerandum humeris meis impoſuiſti? Rex enim ſubditorum nedum auriga eſt ; ſed & currus, juxta illud ; *ô currus, & auriga Iſraël* ! Auriga currum regit : currus ſeſſores vehit, & portat.

CAPVT II.

Civilis, ſeu politici regiminis neceſſitas.

Neceſſe eſt, ut homines, qui ſimul, & in ſocietate vivunt, ab aliquo regantur. Id Angelicus Doctor lib. de regimine principis c. 1. efficaciſſimis hiſce argumentis demonſtrat. In omnibus, inquit, quæ ad aliquem finem ordinantur, in quibus contingit ſic & aliter procedere, opus eſt aliquo dirigente, per quod recto tramite ad finem debitum perveniant. Neque enim Navis quam ſecundum diverſorum ventorum impulſum in diverſa moveri contingit, ad deſtinatum portum perveniret, niſi per Gubernatoris induſtriam ad portum dirigeretur ; homini autem aliquis eſt finis, ad quem tota ejus vitâ, & actio ordinatur, cùm ſit agens per intellectum, cujus eſt propter finem operari. Contingit autem diverſimodè hominem, ad finem intentum procedere ; quod ipſa

humanorum ſtudiorum, & actionum diverſitas declarat. Indiget ergo homo aliquo Gubernatore, quo ad finem dirigatur. Et autem unicuique hominum naturaliter inſitum rationis lumen, quo in ſuis actibus dirigatur in finem: & quidem ſi homini conveniret ſingulariter vivere, ſicut mutis convenit animalibus, nullo alio dirigente indigeret ad finem, ſed ipſe ſibi Rex eſſet, ſub Deo ſummo Rege, in quantum per lumen rationis divinitùs datur ſibi io propriis actibus ſeipſum dirigere. Verùm naturale homini eſt, ut ſit animal ſociale, & politicum in multitudine vivens, magis quàm cætera animalia, ut ſupra demonſtravimus. Si ergo naturale eſt homini, quòd in ſocietate vivat, ex conſequenti neceſſe eſt in hominibus unum eſſe, per quod multitudo regatur, multis enim exiſtentibus in ſocietate, & unòquoque id quod eſt ſibi congruum providente, multitudo in diverſa diſpergeretur, niſi eſſet aliquis, qui curam omnium haberet: ſicut corpus hominis, & animalis diffluerer, niſi eſſet aliqua vis regitiva communis in corpore, quæ ad bonum commune membrorum intenderet: quo ſpectans Salomon *ubi inquit non eſt gubernator, diſſipabitur populus*: igitur præter id quod movet ad proprium bonum uniuſcujuſque, debet eſſe aliquid quod moveat ad bonum commune cunctorum: Vnde in omnibus, quæ in unum ordinantur, aliquid invenitur alterius regitivum. In Vniverſitate corporum primum corpus cœleſte, cuncta corpora ſublunaria regit: in homine anima corpus regit: in corpore cor cætera membra regit; ergo & in ſocietate civili aliquis debet eſſe, qui illam regat, alioquin ſocietas non eſſet civilis, ſed valdè incivilis, nec ſocietas dicenda, ſed horrenda confuſio, in qua nullus alios regeret, & inſtar gregis ovium ſine paſtore, luporum, id eſt hoſtium tum extraneorum, tum internorum incurſibus pateret. Præterea, ſi nullus ſit qui ſocietatem civilem regat, cives omnes erunt ad inuicem æquales, ſumma verò æqualitas, ut ſupra declaravimus humanæ ſocietati ſummopere noxia eſt, nec ullòmodo civilis eſſet; omnis enim ſocietas civilis, vel eſt democratica, vel Ariſtocratica, vel Monarchia: in illis verò, aliqui ſunt Rectores. Imperare, & parère, non ſolùm utilium, verum etiam neceſſariorum ſunt, ait Ariſtoteles 1. politic. ac ſtatim ex generatione quædam ita inſtituta ſunt, ut ex illis alia ad imperandum, alia ad parendum ordinentur. Quæcumque enim ex pluribus conſtant, & unum quid commune fiunt, ſive ex continuis, ſive ex diſcretis, in omnibus apparet, & quod imperat, & quod paret, & hoc ex tota natura ineſt animatis. Nam & in his quæ vitæ, & ſenſus experria ſunt, quoddam eſt imperium inſtar harmoniæ, quatenus innato naturalis appetitus pondere, in proprios fines per accommodata media feruntur: ſicque à Natura reguntur. Animal præterea conſtat ex anima & corpore, quorum alterum imperat ſecundum naturam, alterum paret. Oportet autem conſiderare naturam non in corruptis: ſed in his, quæ magis ſe habent ſecundum naturam: qui enim perverſè agunt, præter naturam ſe habent; eſt igitur, ut diximus, primùm in animali perſpicere imperium dominicum, & civile. Nam animus quidem in corpus dominicum habet imperium, & civile: mens verò in appetitum civile & regium. In quibus clarum eſt ſecundum naturam, & utilitatem imperari ab animo corpori, & ab ea parte, quæ habet rationem, ei parti, quæ ſubjacet perturbationi: æqualitatem verò, ac viciſſitudinem omnibus nocere. Rurſus in homine, & aliis animalibus eodem modo. Manſueta enim meliora ſunt quàm ſera: his autem univerſis melius eſt, ut homini pareant: nam ſalutem ita recipiunt. Præterea: maſculus & fœmina: alter melior ſecundum naturam: altera deterior: & hic imperans: illa verò parens: eodemque modo neceſſe eſt in cunctis hominibus eſſe. Quicumque enim diſtant ab invicem tantùm, quantum animus à corpore, & homo à beſtia quales ſunt liberi, & ſervi, æquum eſt, ut illi imperent, hi pareant. Difficultas ſolummodo eſt in liberis, an in liberos imperium habere debeant. Profectò ſi pares omnes eſſent, vel ætate, vel ſapientiâ, vel virtute, vel corporis præſtantiâ: tunc fortè nullius in alterum eſſet imperium, (*par quippe in parem non habet imperium*) verùm, quia natura in eodem genêre alios facit juniores, alios ſeniores, quorum hi ſapientiores, illi minus ſapientes, alios corporis majeſtate præſtantiores, alios vili corporis præſentiâ: Item alii, vel quia meliorem ſortiri ſunt naturam, vel gratiâ educationis, vel proprio ſtudio meliores ſunt effecti, alii deteriores, æquitatis ratio poſtulat, ut hi pareant. Denique etiam ſi omnes in omnibus forent æquales, adbuc propter ordinis rationem, quæ in omni ſocietate ſplendere debet, neceſſaria eſſet, & utiliſſima parentium, & imperantium diſtinctio; quia ut ſupra diximus, quæcumque ex pluribus conſtant, & unum quid commune fiunt, in omnibus apparet, & quod imperat, & quod paret, & hoc ex tota natura eſt: quare naturale hominibus eſt & regere, & regi; & ex conſequenti, utiliſſimum, & neceſſarium. Sine quippe imperio, ut preclarè Tullius lib. 3. de leg. nec domus ulla, nec civitas, nec genus hominum univerſum ſtare, nec rerum natura, nec ipſe mundus poteſt. Sine imperio humana ſocietas confuſio eſt, quâ tetrius nullum eſt malum, ut dicit Sophocles, hæc perdit urbes, domoſque vaſtas reddit, ritè parentium res ſervat, atque vitam obedientia. Vnde Ariſtoteles rectè concludit regere, & regi nedum neceſſarium, ſed & utiliſſimum, quod fortè à Platone didicerat qui, lib. 5. in Alcibiad. Diait, magis conducere non ſolùm puero, ſed etiam viro, à meliori regi, quàm ſe regere. Quare damnandi, qui excluſo à ſocietate humanâ civili regimine, monſtroſam Anarchiam conantur inducere, veri filii *Belial* hoc eſt, ſine jugo, Chore, Dathan, & Abyronis aſſeclæ, quos terra vivos devoravit.

CAPVT III.

Quibus in aliis competat imperium; ubi & imperandi jura, & tituli declarantur.

Excellentia, ſive Præminentia, tùm animi, tùm corporis Maieſtas, & pulchritudo digna ſunt imperio.

BLanda Tyrannis, pulchritudo, quæ pulchros Corpore ad Regium Solium evehit, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ, intende, proſpera, & regna*, ait Regius Vates, ad Chriſtum potius, quàm ad Salomonem hæc Regii Vatis verba referenda ſunt: quot pulchritudinis radii, tot ſagittæ acutæ, in corda inimicorum Regis.

Imperium præminentiam ſonat; qui enim aliis imperat, illis præeſt; & dignitatis ſaltem præro-

Digitized by Google

gativâ, ſuper illos eminet; quamvis in aliis, tùm animi, tum corporis bonis, ſorte ſit inferior. Quare qui aliis præcellunt, jus in illos imperii habent: & hoc à natura, quæ ſemper Nobiliora, præſtantiora, & meliora, ignobilioribus, inferioribus, & deterioribus præficit, & hoc per omnes rerum naturalium ordines diſcurrenti facillimè innoteſcet. Sol reliquis præeſt Syderibus; mediuſque veluti inter Aulicos Cœli Princeps, lucidiſſimo radiorum Diademate coronatus aſſurgit. Ignis inter elementa Primatum tenet. Palma ſupra arbores Victoriæ Palmam frondium proceritate refert. Roſa florum cenſetur Regina; quia aliis præcellit. Malum Punicum ſolum inter poma coronam geſtat. Aquilam cæteræ volucres ſuam agoſcunt Reginam. Leo quadrupedum Princeps. Ut hinc videas quæ aliis præcellunt, jus imperii à natura in illa habere, quod certe homini minimè denegandum eſt. Quos ergo natura edit homines aliis præſtantiores, hi jus habent imperandi. Præcellunt autem, vel corporis viribus, & magnitudine; vel ætate; vel ſapientiâ, vel virtute. Hinc variæ apud Nationes Reges eligendi conſuetudines. Apud Sarmatas, qui corporis magnitudine reliquos ſuperabant, Reges eligebantur; & hoc jure quodammodo tùm naturali, tùm divino. Naturali quidem, quia, ut ait perbellè Seneca, lib. de Clement. natura commenta eſt Regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum inſignis Regis forma eſt, diſſimiliſque cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Naturæ eſt enim potioribus deteriora ſubmittere. Multis quidem gregibus, aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine, ac toris cœteros mares vicit. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. Lege verò divinâ; à Deo quippe legimus Saülem Iudaïco populo Regem fuiſſe præfectum ob eximiam corporis proceritatem. Denique, ut Canit Poëta, *forma Pulcherrima digna eſt imperio*; Pulchritudo enim, ut diximus, Blanda eſt Tyrannis; quot ejus radii, tot ſagittæ, quare Regius Vates, ait, ſagittæ tuæ, *populi ſub te cadent*. Qui enim corporis pulchritudine præ cæteris ſplendet, cæteris meretur imperare. Præterea qui aliis ætate præcellunt, jus à naturâ habent illis imperandi, ut docet Ariſtoteles. Natura, inquit, oſtendit; quemadmodum hæc diſtinguenda ſunt. Fecit enim eoſdem genere, alios juniores, alios ſeniores; quorum illi debent parère gubernantibus, hi gubernare: nec ullus indignatur propter ætatem majori concedere. Et alibi: omnis domus regitur à ſeniore. Hinc apud Romanos Primi Imperii Rectores, Senatores appellari, quaſi ſeniores: & hoc quidem rationi maximé conſentaneum; quia penes ſolos ſapientes regnandi debet eſſe poteſtas, ut infra fusè declarabitur; at ſeniores ob longam rerum experientiam, quæ ſolò annorum ſpatio comparatur, ſunt ſapientiores. Vnde fabulantur Poëtæ, Mercurium prudentiæ numen ab *horis* fuiſſe enutritum.

Verùm quia nulla præclarior eſt præeminentia, quàm quæ ſapientia, & virtute acquiritur, quæ ſola homines attollit, veramque affert majeſtatem; ideò ſuli illi imperii jus habent: qui virtutis merito alios ſuperant. Et hic præcipuus Imperatoriæ dignitatis Titulus, ut docet Ariſtoteles, politic. ſemper melius eſt imperium meliorum. Cui concinit Seneca his verbis. Inter homines pro ſummo eſt optimus. Ideòque in illo aureo ſæculo, penes ſapientes Regnum erat; ſummaque erat gentium felicitas; in quibus non poterat potentior eſſe niſi melior. Varii alii ſunt tituli, quibus jus ad imperandum; tam in domeſtica, quàm in civili ſocietate acquiritur. In domeſtica quidem procreatio: quâ Pater filiis: Conjugium, quâ Vir vxori: vitæ conſervatio, vel emptio & conuentio, quâ Dominus ſervis imperat; in civili, ſucceſſio, electio, ſors, caſus, teſtamentum, & hæredis inſtitutio, emptio, permutatio, & alii contractus: quibus Reges ſubditis dominantur, de quibus ſuprà fusè Tom. de dominio Dei: quibus hæc pauca ſubijciemus.

CAPVT IV.

Ius omne ad regimen civile à Deo tanquam à primo, & ſupremo omnium Domino in homines effluxit.

NON ſorte, caſuque, nec occultâ ſyderum, fatique poteſtate, ſed à Deo, liberâque ejus voluntate Rectores, & Principes terris dari, fatetur Plinius junior in panegyrico Trajani, quem divinitùs electum inter aras, & altaria pronunciavit. Quod ex Æthiopum vetuſſimo more demonſtrat Diodorus Siculus lib. chap. 4. vbi Sacerdotes, optimos ea ſcipſis eligebant: quem verò ex eis Deus, more quodam Bacchantiū circumcirca delarum capiebat: Hunc Regem Populus creabat, ſtatimque flexis genibus: quod eſſet divinâ providentiâ datus, ut Deum honorabat. Quod attendens religioſiſſimus Princeps Boleſlaus, Rex Poloniæ Coronam è cœlo delapſam regio ſuo ſtemmati appingi juſſit cum hoc lemmate, *à Deo omnis poteſtas*, & hujuſce rei minimè ignari Reges Galliæ, Regnum tanquam à Deo ipſis donatum agnoſcunt his verbis, *Henricus*, *Carolus*; *Ludovicus Dei gratiâ Galliarum Reges*. Hinc Regna à Deo firmari, nec ſine ſpeciali illius ope multitudines populorum à Regibus poſſe contineri, conſtans fuit Gentilium etiam opinio. Quò ſpectans Plato, tria effinxit Numina, Martem, Iovem, & Minervam, quæ recto hominum regimini, Regnorumque Tutelæ præeſſent. Tribus enim ut infra fuſius declarabitur, de Regiis virtutibus, Imperia ſtant, ac feliciter gubernantur, ſcilicet juſtitiâ, fortitudine, prudentiâ. Iuſtitiam iuxtà mentem Platonis, Reges à Iove accipiunt, fortitudinem, ſeu potentiam à Marte, prudētiam Polyarchicam à Minerva: ſed valeant ficta illa Numina. A Deo rerum omnium ſupremo Moderatore Regna terrena dari, nec ſine ejus præſidio à terrenis Principibus feliciter poſſe gubernari, potiori jure Reges Chriſtiani agnoſcere debent, quorum auribus hæc quotidie verba inſonant. *Per me Reges regnant* proverb. & illud Apoſt. ad Roman. 13. *omnis poteſtas à Deo eſt* & illud: *faciam tranſire Regem Samariæ ſicut ſpumam aquæ* Oſeæ, ſicut enim à Deo & per Deum Reges regnant, ſicut & ab illo Sceptrum accipiunt, ſic pro libito Deus auſert. Quare ut in terris regnent, Deum colant, Deumque timeant.

CAPVT V.

CAPVT V.

Qui ſint à Regimine Civilis ſocietatis excludendi.

SOcietas omnis Civilis ex imperantibus quidem & parentibus conſtat: non eâ tamen lege, ut voluit Ariſtoteles, quòd omnes ſimiliter participes ſint imperandi, & parendi: quidam enim ſunt, quibus tam jure gentium, quàm Civili, tam divinâ, quàm humana lege ad illius regimen negandus ſit aditus.

Seruus à regimine Civilis ſocietatis excludendus.

TRia ſummo odio proſequebatur ſapiens, quarti penitùs impatiens: quod ſuſtinere nõ poterat, ſervi videlicet Imperium. Suprema enim liberi hominis calamitas, ſervo parère; quam querulis his vocibus deflebat Propheta: *ſervi dominati ſunt noſtri*. Iniquiſſimum procul dubio, ſervum ad regimen civilis evehi ſocietatis, qui nec inter Reipublicæ cives recenſendus eſt. Quomodo enim in alios jus aliquod habebit, qui ſui juris non eſt? Quomodo aliis dominabitur, qui ſui non eſt Dominus, qui naturâ alterius eſt. Vnde natura, ut docet Ariſtoteles, differentia facit corpora ſervorum & liberorum, illa quidem robuſta ad neceſſarios vſus, iſta infirmiora, & ad tales operationes inutilia. Verùm, ut ipſe fatetur Ariſtoteles, ſæpe contra accidit: hos quidem corpora habere liberorum, illos verò animos. Nec mirùm cum eâdem ſit omnium hominum natura, quæ omnes ad libertatem, nullum ad ſervitutem genuerit; ex illis verò caſu, aliqui & fortunâ ſervi fiant, qui animi præſtantiâ & virtutis ſtudio liberrimi ſunt. Apud Iones ſervi frugi erant, liberi nequam. Quis Diogeni ex liberrima condirione in ſervitutem detruſo jus imperandi denegaſſet; qui cum venderetur interrogatus, quam artem calleret, reſpõdit: novi hominibus liberis imperare, quod Herus audiens libertate illum donavit, filioſq; ei tradidit regendos Lydii cùm gravi dominatu premerẽtur & audiſſẽt Cymmæ quẽdam eſſe virum præſtantem, miſſâ legatione in Regnũ accerſiverũt, & in officina fabri ſervum inventũ, pretio ſoluto aſſumpſerunt. Verùm, ut plurimum ſervi ineptiſſimi ſunt ad regimen civilis ſocietatis, tum ex vilitate originis, tùm ex peſſima educatione, tùm ex morum corruptione: Vnde Libertini, cum Volſinenſium civitatem Hetruriæ caput vſurpaſſent, iniquiſſimis legibus inſtitutis eam gubernarunt. Quare meritò tam iure gentium, quàm naturali, tam humano, quàm divino, à civili regimine penitùs excluduntur, nec ulli civitati poſſunt imperare, niſi forte ατλωπίλαι, vel πονήροπα illi, in qua Philippus Rex impiſſimos collocavit, ut ait Epiphorus. Libertini tamen & manumiſſi apud Romanos, libertate donatâ, ad Reipublicæ regimen; publicoſque Magiſtratus advocabantur: & in Tyrrenia, & oppido œnarro, quidam ea ſervis ſuis Magiſtratus conſtituebant, timentes ne quis illorum Tyrannus evaderet, ut refert Ariſtoteles.

CAPVT VI.

Pueri ad civile regimen inepti.

TUnc totum Reipublicæ corpus roboris ſui integritate vigebit: tunc optimæ compoſitionis ſpecie venuſtabitur, & elegantis pulchritudinis decorem induet, ſi ſingula quæque locum teneant ſortita decenter; ſi non fuerit officiorum confuſio, ſed diſtributio. Natura verò, ut ſupra ex Ariſtotelis ſententia oſtenſum eſt, oſtendit quemadmodum hæc diſtinguenda ſunt. Fecit enim eoſdem genere, alios juniores, alios ſeniores; quorum illi debent parère, iſti gubernare. Sic filii parentibus obtemperant, & in domo juniores à ſenioribus reguntur. Quare lege naturali pueri à regimine actuali civilis ſocietatis arcendi ſunt: quomodo enim alios regere poterunt, qui ſeipſos regere nequeunt? Solam illam Rempublicam fore beatam pronunciavit Plato, ubi vel Reges philoſopharentur, vel Philoſophi, & Sapientes regnarent. Pueri verò defectu ætatis perfectam nequeunt habere prudentiam, quàm rerum experientia, & ætas pariunt. Inepti ergo cenſendi ſunt pueri ad regimen civile. Quod & divinâ lege decernitur; ubi legimus. *Væ populo, cujus Rex manè comedit.* Quid indignius, ait Bernardus, Epiſt. ad Leonem, quàm pueros, & impuberes, adoleſcentulos, ob ſanguinis carnalitatem ad publici & regiminis promoveri dignitatem, & à ferula ad civilis Principatus transferri faſtigium, lætiores interim quòd virgas evaſerint, quàm quòd meruerint Principatum? Quod quidem intelligi debet de actuali regimine. Inveniuntur enim filii Regum, ætatis teneræ, pupilli, qui inutiles ſunt adminiſtrationi, & tamen Regno ſuccedunt: imò & concepti, & in utero matris exiſtentes conſervantur in jure ſucceſſionis, ex jure ferè omnium gentium, datis tutoribus, vel curatoribus, & rectoribus, qui interim, dum ad juſtam ætatem perveniſſent, Regnum adminiſtrarent. Sapor Perſarum Rex in utero matris fuit coronatus. Athalaricus octò tantùm annorum erat, cùm ſucceſſit Regno Gothorum, quod rexit ſub gubernatione Amalaſuntæ Matris. Macedones Rege ſuo in cunis prolato, pugnæque ante aciem poſito, Illyrios magnâ cæde fudere. Quare ſic res diſtinguenda mihi videtur, pro varia regiminis forma. In Democratia, & Ariſtocratia, & in omni Regimine, quod per electionem aquiritur, pueri ab illo arcendi ſunt; in Regno, quod per ſucceſſionem defertur, pueri jus habent ad regnandum, ab actuali vero regimine excluduntur, donec ad juſtam ætatem pervenerint; datis illis Rectoribus, qui toto illius infantiæ tempore Regni curam habeant. Pueros publico regimini parum aptos eſſe teſtatur caſus Phaetontis. Regere, & imperare actus ſunt intellectus & rationis, cujus infantes ſunt expertes.

CAPVT VII.

Virium Fœminâ ad Regimen civile poſſint aſſumi.

NAtura molles edit mulieres, imbecillioris animi, virium; & ad civile regimen parum idoneas, ut apertè docet Ariſtoteles 1. polit. Quare jura civilia mulieribus officia, quæ ſunt auctoritatis, & utilitatis publicæ interdixerunt. Non enim judicare poteſt mulier; nec poſtulare in judicio; nec teſtimonium dicere in cauſis criminalibus. Athanaſius Gentiles carpit; quòd Deas fœminas fecerint, quas nec ad Reipublicæ conſilium admittere tutum eſt, propter fragilitatem ſexus, propter lubricitatem voti; propter periculum evulgatio-

nis ſecreti. Ariſtoteles Lacædemoniorum Rempublicam reprehendendam cenſet, quòd magna ex parte muliebri imperio gereretur. Imperioſum enim genus muliebre, & quod mores hominum ſubigere ſibi valde deſideret. Vnde infœliciſſima ut plurimum fuere regna, ſub regimine fœminarum ut Cleopatræ, & Semiradis exemplo demonſtrat Dion Caſſius. Eſaïas futuram Iſraëlitici regni ruinam portendit, ex hoc quod à fœminis foret adminiſtrandum. Dabo, inquit Dominus, *pueros principes eorum & effœminati dominabuntur eis, & corruet populus.* Diſtinguenda tamen eſt propoſita quæſtio; & ex hac diſtinctione ſoluenda, pro varia adhuc regiminis forma. In Democratia, & Ariſtocratia fœminæ rarò ad civile Reipublicæ regimen fuere advocatæ; ſicut nec ad conſilia, & ad excercenda magiſtratus munera; in Monarchia verò ſive regno, præcipue in illo, quod jure hæreditario acquiritur, uxores viris, & puellæ parentibus ſuccedere poſſunt, niſi quadam lege, ut apud Gallos, ſalicâ prohibeantur; unde illud, Lilia non nent. Radijs viri uxor coruſcat; ergo & filiæ jus habent ad patris hæreditatem. Apud Britannos olim regnabant. Vnde Poëta: *ſolita Britannis fœminarum ducere bella.* Sed juxta Plinium, *ſufficie illis obſequij gloria.*

CAPVT VIII.

An ſtulti, & imbecilles mente à civili regimine arceri debeant.

REgere rationis proprium munus, penes quam ſolummodo imperium eſt, ut docet Angelicus Doctor. Vnde apud Ægiptios, vetuſtiſſimo ſaxo hæc inſcripta legebantur, *Rex & intellectus fratres ſunt.* Regere enim & ordinare idem ſunt; ordinare verò rationis eſt. Quare olim ſolis ſapientibus, & Philoſophis jus regni concedebatur. Stulti verò, & qui mentis patiuntur imbecillitatem, rationis uſum non habent; qua propter ad civile regimen ineptiſſimi: quod veriſſimum quidem eſt in regimine democratico, & Ariſtocratico: ubi Reipublicæ præfecti ad hoc munus eliguntur; ſecus verò in Monarchico ſive Regio. Regum quippe filij, quamvis mentis impotes, jus regni non amittunt: ſed tantùm actualis regiminis. Sic apud nos Carolus 6. Rex Galliarum anno 13. ſuæ ætatis regnum accepit, & verè Rex eſt habitus; quamvis ob mentem non ſatis firmam, habuerit in Regni adminiſtratione auxiliares duces Byturicum, & Burgundiæ. Quòd verò ab actuali regimine debeant excludi ſicut & pueri, ceu infantes, patet: qui enim ſeipſum neſcit regere, quomodò alios, & ingentem populorum multitudinem regat? præterea. ad actualem regni rectamque gubernationem Regiæ virtutes deſiderantur, & in primis, eximia ſapientia, & ſingularis prudentia ad æquas leges condendas; ad præcavenda ea, quæ commodo regni adverſantur, eaque avertenda; ſtulti verò, & mente imbecilles, veræ ſapientiæ, & prudentiæ, ſicut & rationis etiam naturalis ſunt expertes: unde illud Chriſti Domini divinum effatum; *ſi cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadent.* Quis ſtulto currus habenas, vel navis, procellæ tempore, clavum dabit? principem oportet eſſe maximè moderatum in concupiſcentijs, & in ſuis operibus prudentem, clementem populoque gratum: quæ omnia in amentibus, & imbecillis non reperiuntur, crudeles enim ſunt, & immiſericordes. Principem adhuc non decet eſſe nimis credulum, vel ſuſpicioſum, aut in judicando præcipitem, temerarium, malitioſum: ſtulti verò, ut plurimum ſunt temerarij, &c. ergo ab actuali regimine arcendi.

CAPVT IX.

An civili Societati melius ſit, ab iiſdem ſemper Rectoribus gubernari: nec ne, & tantùm ad tempus.

PVlchrè equidem Ariſtoteles 7. polit. cap. 14. ſi tantùm differrent alteri homines ab alijs, quantū Dij & Heroës ab hominibus differre putantur: ut primùm ſtatim corpore, ac poſtea animo longe alios antecellerent: ac manifeſtè appareret eorum ſupereminentia: clarum eſt quòd ſemper eoſdem iſtos melius foret imperare, alios verò parēre; ſed cùm facile non ſit hoc reperire, nec hoc modo principes à populis differant, quos natura fecit æquales, propter multas cauſas neceſſarium eſt, ut omnes ſimiliter participes ſint viciſſim imperandi, & parendi: qui enim ab imperando ſemper excluderentur, ſtatum Reipublicę mutare concupiſcerent. Quæ Philoſophi Polit. locum habent in regimine Democratico, & Ariſtocratico, ſecus in Regio, & Monarchico. In Republica enim, ubi penes omnes, & in Ariſtocratia, ubi penes paucos civilis ſocietatis regimen reſidet; optimum eſt, imò neceſſarium, ut per vices alij imperent, alij pareant: hoc enim modo innata omnibus imperandi libido facilius impletur: nec inferiores in ſuperiores rebellare præſumunt, cùm ordine ſuo ſint aliquando imperaturi. In Monarchia verò ubi unus imperat, vel jure ſucceſſionis, vel electionis, vel jure belli, utiliſſimum eſt penes illam civile regimen perpetuari. Licurgus quidem inſtituit Regem non debere eſſe perpetuum, ſed pro aliquo tempore, & eo amoto, alium inſtituere: quia exiſtimavit ſe ex ſuis legibus, non poſſe facere cives perfectè bonos; oportet autem Regem perpetuum eſſe perfectè bonum: cujus opinioni inhærentes Lacedæmones, quando mittebant nuncios, aut Legatos, eligebant duos adinvicem inimicos, & diſſentientes, ut alter alterum impediret, ſi vellet contra bonum civitatis agere, & ſimiliter putabant fore in ſalutem civitatis, ſi Reges, qui ſibi invicem ſuccederent, diſſentirent, quoniam ſequens male acta præcedentis emendaret, magis tamen rationabile fuiſſet; ait Ariſtoteles, ſeniorum principatum temporalem, quàm Regium inſtituere. Creatur enim Rex, ut plenaria ſua poteſtate efficaciter conſervet ſtatum civitatis. Hoc autem agere non poteſt, niſi per totam vitam regnaverit. Nam ſi temporalis erit, timebit alios offendere, & ſubditi minus eum timebunt, quod in ſtatus temporalis regimine non eveniet.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE VARIJS POLITICI Regiminis ſpeciebus.

CAPUT I.

Multiplex civilis regiminis forma, & quidem prima democratia, ſive popularis regiminis.

OMNIS poteſtas regiminis, aut penes unum eſt, aut penes multos, aut penes paucos. Cùm unus gubernat, vocatur Regnum, ſive Monarchia: cùm Pauci Ariſtocratia, hoc eſt optimatum principatus: cùm multitudo, Reſpublica; degenerant autem ac prolabuntur hujuſmodi civilis regiminis ſpecies. Ex Regia quidem gubernatione in Tyrannidem, quæ injuſta eſt,& violenta regiminis poteſtas; ex optimatibus in paucorum potentium, ſive oligarchiam; ex Republica in popularem Tyrannidem quã dicimus, dominationem unius ad proprium commodum intendentis; Paucorum potentiam: cùm ad opulentorum commodum Reſpublica gubernatur: popularem ſtatum: cùm ad commodum egenorum. ſtatum nulla ad communem reſpicit utilitatem: quare Tyrannidis quædam ſpecies dicendæ ſunt. His quartam recti regiminis ſpeciem aliqui adjiciendam eſſe cenſent, ex alijs tribus mixtam, in qua Democratia, Ariſtocratia, & Monarchia, ſive regnum commiſcentur: qualis olim fuiſſe videtur Romana Reſpublica, in qua populus; Senatus, Conſules, & dictator Romanum imperium gubernabant, hoc ordine: ut Dictator ſupremam in omnes poteſtatem haberet: Conſules Dictatori parèrent & Senatui præeſſent: Senatus populo, qui civile Regimen ſuo modo participabat, Hanc civilis regiminis formam Venetorum hodie Reſpublica æmulatur. Unde Philoſophus, Reſpublicæ ſunt quatuor Democratia, oligarchia & Ariſtocratia, Monarchia. Democratia, eſt Reſpublica in qua ſortes diſtribuunt Magiſtratus: Oligarchia; in qua, qui valent cenſibus: Ariſtocratia, in qua, ex diſciplina: diſciplinam verò vocat; ſubdidit Philoſophus, à lege conſtitutum: nam qui in legibus inſtiterunt, in Ariſtocratia dominantur. Neceſſe verò eſt hos apparere optimos: unde & nomen accepit hujuſmodi. Monarchia eſt ſecundùm nomen, in qua unus omnium Dominus eſt. Atque ex his quæ Monarchiæ nomine continentur, illa quidem, quæ ordinem quendam habet, Regnum eſt, vel indefinita Tyrannis. Jam finem cujuſque Reipublicæ non oportet latère: eligunt enim quæ referuntur ad finem. At Democratiæ quidem finis eſt libertas: Oligarchiæ verò divitiæ, Ariſtocratiæ,quæ pertinent ad diſciplinam, & inſtitura: Tyrannidis autem cuſtodia. Has verò imperij, ſive regiminis civilis formas alibi Philoſophus 8. Ethic. confert, eum quadruplici familiaris ſocietatis Oeconomia: ut patris erga filios ſocietas figuram regni habeat: viri erga uxorem imperium ſit Ariſtocraticum: Fratrum ſocietas Oligarchia, ac Democratiæ ſpeciem referat, Dominorum in ſervos poteſtas, Tyrannidem. Plato principatum in quinque partitur, in legitimum, naturalem, æquum, in eum qui fit per generis ſucceſſionem, in violentum, & Tyrannicum. Legitimus eſt, cùm Magiſtratus à civibus electi ſecundùm leges imperant. Naturalis, cùm mares fœminis præſunt. æquus cum ex conſuetudine, ut Pædagogi pueris, & Magiſtri diſcipulis. Per generis ſucceſſionem cùm ex genere regnum ſortiuntur, ut apud Lacædemones: violentus, & Tyrannicus, cùm per vim civibus imperant. Verùm tres communiter dumtaxat civilis regiminis formæ à modernis Politicis ſtatuuntur, Democratia, Ariſtocratia, & Monarchia, quarum finis eſt utilitas publica, quibus adverſantur tres ſpecies Tyrannidis ſupra declaratæ, quarum finis eſt utilitas privata. Quænam verò ex illis melior, regendæque civili hominum ſocietati accommodatior, ex infra dicendis patebit.

CAPUT II.

De Democratia, ſive regimine populari, infima civilis regiminis forma, & ſpecie.

VArijs nominibus apud Philoſophum regimen populare appellatur; nunc Reſpublica, modò cenſipotentia, Græcè ὀλιγαρχία, quæ à cenſibus exiſtit, Δημοκρατία, hoc eſt poteſtas popularis, quamvis alibi ὀλιγαρχίας Philoſophus à Democratia diſtinguat, quæ tamen finitimæ ſunt; multitudinis enim, & cenſipotentia eſſe conſuevit; & æquales omnes qui in cenſu ſunt; quare à cenſipotentia, ad populi potentiam, ſive Democratiam facillimus eſt tranſitus. Hinc fit quòd variè deffinitur Democratia, ſive regimen populare; ut nunc dicatur Reſpublica, & hæc communior illius acceptio. Nunc civilis quædam ſocietas, in qua ſuprema poteſtas, non penes principem ſit, ſed penes populum; inde populi potentia, ſive Democratia: nunc Τιμοκρατία, ſive cenſipotentia: & hæc à cenſibus, hoc eſt à divitijs exiſtit, quæ æqualiter inter cives diſtribuuntur modò Reſp. in qua ſortes diſtribuunt Magiſtratus. differre tamen videntur Reſp. & Democratia. Illa enim eſt abſoluta penès populum, & ſuprema poteſtas imperandi; in qua unuſquiſque, tam pauper, quàm Dives; nobilis, & plebeius admittitur ad rem gerendam ſuo ordine: Democratia verò, in qua populus ſolus imperat, excluſis nobilibus, & probis:

CAPVT III.

Quotuplex ſit Democratia.

DEmocratiæ ſpecies diſtinguit Philoſophus 4. Polit. c. 4. quarum prima dicatur maximè ſecūdum æqualitatem, vult enim lex hujuſmodi popularis Reipublicæ, pares eſſe divites, & pauperes; nec alteros plus poſſe, alteros minus, ſed utroſque eſſe æquales, & æquales, ad Republicæ regimen aſſumi; in quo maxima apparet libertas, quæ finis præcipuus eſt Reipublicæ popularis, ut infra dicemus. Alia verò ſpecies, ut Magiſtratus honoreſque in Republica ſecundum cenſum Patrimoniorum tribuantur; itaut qui multa poſſidet, habilis ſit ad honores Reipublicæ ſuſcipiendos, qui verò non poſſidet, ſit inhabilis. Tertia ſpecies popularis eſt, ut omnibus omninò civibus habilitas ſit ad Magiſtratus gerendos: modò non ſint aliqua ex cauſa obnoxii, dominetur autem Lex. Quarta, ut omnes omninò habiles ſint ad Magiſtratus gerendos, modò ſint cives. & dominetur lex. Ultima, eodē modo, niſi quòd lex non dominetur, ſed multitudo. Hoc autem fit, quando populi decreta, ſivè plebeſcita prævalent legibus. Hæc autem peſſima eſt, veræque Reipublicæ popularis vitium, & defectus, in gubernatione ſua Tyrannidi perſimilis; utrobique enim meliores deprimuntur, & decreta hujus populi ſunt, ut Tyranni præcepta. Vbi enim leges non dominantur, ibi doctores populi oriuntur, & aſſentatores, & adulatores; qui populo ſuadent, ut Sapientum decreta, legeſque infringant, & ad voluntatem populi omnia referantur; quod maximè populo placet, qui abſolutam habens poteſtatem dominari ſolus quærit, nec ulli legi ſubeſſe; efficiturque dominator: quare hujuſmodi aſſentatores ſummo in pretio illis habentur. Contingit autem ex illis fieri potentes ex eo; quia populus dominatur omnium; ipſi verò voluntatem populi maxime ducunt; quoniam à populo fides illis adhibetur; ſicque facilè in Tyrannidem paucorum labitur hujuſmodi popularis Reipublicæ ſpecies. Qui enim de Magiſtratibus conqueruntur, ad judicium populi negoria referunt, populus autē gratanter videt eorum provocationes; quare per hunc modum Magiſtratus irritantur omnes; leges omnes evertuntur; fitq; Tyrannis; ſolique illi adulatores dominantur, populoque decepto libertatem, regendique poteſtatem eripiunt. Peſſima ergo eſt hujuſmodi popularis regiminis ſpecies, nec legitima, ſed iniqua, violenta, Tyrannica; nec Reſpublica appellanda, quæ juſtum publicamque utilitatem intendit. Ubi enim leges non prævalent, non eſt Reſp. ſed Tyrannis, ſed confuſio, & latronum ſocietas. Nam lex dominari omnibus debet; in particularibus autem Magiſtratus, & Reſpublica providere. Quo ſenſu præclarè dixit Philoſophus, melius eſſe legem imperare, quàm homines: lex enim imperturbata regit; homines verò, & ex his præcipuè plebs, & populus libidine, aliiſque actibus facillimè perturbatur. In ijs ergo Rebus ca publicis, in quibus dominatur lex, præpotens aliquis non ſit, qui populum ducat, ſed optimi civium Rempublicam gubernant.

CAPVT IV.

Quæ ſit Optima Reipublicæ popularis, ſive Democraticæ ſpecies.

OPtima erit, in qua Lex omnibus dominatur; & ubi cuncta, juxta legum æquitatem decernuntur: hujus verò, plures adhuc ſunt ſpecies. Alia in qua ſoli Divites & Nobiles Reipublicæ regimen habeant; quæ cenſi potentia ſive Oligarchia, vel Timocratia appellatur; Qualis eſſe videtur Nobilium Venetorum Reſpublica; alia ubi nobilitate prorſus eliminata, ſoli plebei, artifices, mercatores publica munera obeunt; qualis eſt Helvetiorū. Alia, ubi Nobiles, divites, & plebei, omneſque qui civium albo adſcribuntur, æqualiter ad honores Reipublicæ ſuſcipiendos habiles ſunt: Alia, ubi ſoli ſapientes, optimis moribus, & in rebus publicis gerendis ſolertiſſimi Magiſtratus exercent, ſive plebei ſint, pauperes, & ignobiles, dummodo cives ſint: ſive divites, & nobiles, & hæc optima Reipublicæ popularis forma, dummodò duo hæc habeat; primùm, quod non penes illos dumtaxat, ſed penes populum ſuprema ſit auctoritas: multitudo enim popularis compoſita ex pluribus auctoritatem in illa dominandi habere debet, non ut ſinguli, ſed ut omnes. Aliàs, ſi ſolos penes populi Rectores, & Magiſtratus eſſet imperium; non amplius Democratia eſſet, ſed Ariſtocratia. Secundùm, ut ex omnibus Reipublicæ civibus non ditiores, vel Nobiliores, ſed meliores fortibus, vel ſuffragiis eligantur, qui Rempublicam populi nomine, ejuſque auctoritate regant, Magiſtratus exerceant, non ut ad voluntatem populi omnia referantur, & juxta illius decreta, ſive plebiſcita; & ex adulatorum ſuaſione: ſed ex præſcripto legis, ubi enim leges non prævalent, Reſpublica non eſt, ſed Tyrannis.

CAPVT V.

Quæ requirantur ad veram Democratiam.

DVo Reipublicæ populari, perfectæque Democratiæ neceſſaria ſunt, ut ab Ariſtocratia, & Monarchia differat, æqualitas ſcilicet, & libertas. Æqualitas, non Arithmetica, quàm olim Lycurgus in ſua Republica ſtatuerat, ut unus altero nec ditior, nec potentior, æquali bonorum omnium diſtributione factâ, quod difficilmum eſſet, vel inductâ facultatum omnium communione, ut voluit Plato; quod iniquum foret; ſed æqualitate proportionis; ut ſinguli habeant, quod illis ad beate vivendum ſufficiat; nec ulli aliquid deſit, nec alteri ſuperfluat; nec unus in egeſtatem redigatur; nec alter ſupra modum potentior ſit, aut ditior; omneſque æqualiter ad publicos Reipublicæ honores habiles ſint, attentâ tamen proprii cujuſlibet meriti, virtutis, & ſapientiæ ratione.

Quapropter à civitatibus, quæ populariter regebantur, repertus olim fuit Oſtraciſmus. Hæ ſiquidem civitates æqualitates maximè complectuntur, ait Philoſophus. Itaque qui ſuperexcellere videbatur, vel propter divitias; vel propter amicos; vel propter aliam civilem potentiam, extra civitatem relegabatur ad tempus aliquod determinatum. Tradunt etiam Fabulæ, ob hujuſmodi cauſam Herculem ab Argonautis fuiſſe relictum; non enim unà cum aliis navem regere illum voluerunt, propter virtutem ſuperexcellentem inter navigantes: ferunt etiam Periandrum nihil reſpondiſſe ei, qui conſilii petendi cauſâ, ad ipſum miſſus fuerat; ſed ſupereminentes ſpicas demetendo, ſegetem adæquaſſe; quò facto Thraſibulus intellexit oportere ſupereminentes cives auferre. Quod nedum prodeſt Tyrannis, addit Philoſophus, ſed & in paucorum potentia, & in ſtatu populari utiliſſimum eſt. Patet hoc in aliis

etiam

Digitized by Google

etiam attibus, & ſcientiis. Neque enim Pictor pedem menſuram excedentem animal habere patitur; neque Nauclerus navis protaoı ſupra modum cæteras partes excedentem: ſed adhibitâ quâdam proportione. Secundo, requiritur lex. Vbi enim leges non prævalent, ait Ariſtoteles. 4. Polit. c. 4. non eſt Reſpublica, ſed Tyrannis. Nam lex omnibus debet dominari; tyrannis nullis ſubjacet legibus, & perverſe dominatur. Tertio loco requiritur libertas, quam omnis Reſpublica, popularis maximè intendit: non illa quidem, quâ quis ab omni lege liber ſit, & pro libito vivere poſſit: hæc enim falſa eſt libertas, ut præclarè oſtendit Philoſophus. 6. Politie. c. 2. Vera enim libertas, licet indiferentiam requirat, hoc tamen debet intendere, ut ab ultimo fine non recedat; finis autem eſt æterna Beatitudo, quæ non comparatur niſi per obedientiam, ſed ut ab unius, vel optimatum regiminis jugo ſoluti Reipublicæ cives, per vices imperent, & pareant, juſque habeant ſuffragii, & conſeſſus, in comitiis, conſiliis, concionibus, & judiciis; hoc æquum apparet: ex quibus patet, quis ſit finis Democratiæ.

CAPVT VI.

Finis Democratiæ.

PErfectæ Democratiæ, ſicut & alterius omnis civilis ſocietatis rectè gubernatæ finis præcipuus quidem eſt benè, beatèque vivere, quod per ſufficientiam habetur bonorum temporalium nec non juſtitiæ, & virtutis civilis cultum, & in omnibus, publicam per ſe primò intendere utilitatem. Præter illos tamen generales duos fines, alium quaſi ſibi proprium proponit, nempe libertatem. Propoſitum popularis Reipublicæ, ait Philoſophus, eſt libertas. Hoc enim dicere conſueverunt; quaſi hanc ſolummodo libertatem quærentes, Ad hanc enim reſpicere dicunt omnem popularem ſtatum. Libertatis verò ipſius pars una in eo conſiſtit, ut per vices imperent, & pareant Nam juſtum populare, eſt æquum habere ſecundum numerum, non ſecundum dignitatem; hoc eſt æquales omnes eſſe, in divitiis, poteſtate, & honoribus; nec aliquos in hujuſmodi bonis aliis ſuperexcellere. Ex quo fit, ut ſecundum hoc juſtum multitudo ex neceſſitate dominetur, & quidquid decreverit populus, id eſſe ratum, id eſſe juſtum; quod quidem à veræ, & perfectæ democratiæ fine non alienum eſſet, ſi decreta populi, ſivè plebiſcita legi communi non adverſentur, ſecùs ſi ab illa deflectant, aiunt enim oportere, ut uniuſquiſque civium æquum habeat. Altera verò hujus libertatis pars; alterumque ſignum eſt, vivere ut quiſque velit. Hoc enim aiunt, opus eſſe libertatis: ſiquidem ſervi eſt vivere ut non vult. Hinc profectum eſt; nemini potiſſimùm ſubeſſe velle: quod ſi hoc non datur; ſaltem per vices ſubeſſe, ac præeſſe; idque pertinere ad libertatem, quæ eſt ſecundum æquitatem. Quod quidem adhuc à recto veræ Democratię non aberraret; ſi hoc ſenſu libertatem eſſe dicant, vivere ut quiſque velit; ſi velit; ait Philoſophus, rectè vivere, quod fieri nequit, niſi communi legi obtemperet. Cùm ergo præcipuus recti omnis civilis regiminis finis ſit benè beatèque vivere nec ullus ſine virtute, & æquitate benè beatèque vive poſſit; nec vera virtus ſit, aut juſtitia, ſine lege, tum naturali, tum civili; certiſſimum eſt, nullam eſſe veram libertatem, niſi ubi imperat lex quædam communis, cui omnes parère debent. Lex verò communis à Magiſtratu debet explicari & defendi; quare in Rep. populari rectè inſtituta debent eſſe Magiſtratus, legum tutores, cujus regimini cives ſubjiciuntur. In hoc ergo ſenſu verum eſt, libertatem finem eſſe Reip. popularis; quatenus ſcilicet non unius Principis, vel Tyranni, ut in Regno accidit, & tyrannide, nec multorum, ſive optimatum, ſive prædivitum, ut in Ariſtocratia, & Timocratia, imperio ſubjiciantur. Quare Rerumplicarum Stemmatibus inſcribi ſolet hoc nomen, *libertas*.

CAPVT VII.

Democratiæ Iura, & privilegia.

CIrca hanc quæſtiones Audiendus Ariſtoteles 6. politic. c. 2. his præmiſſis, ac tali exiſtente principio; popularia hujuſmodi ſunt jura, & privilegia. Sumi ad magiſtratus omnes ex omnibus, ac præeſſe omnes unicuique; & unumquemque viciſſim omnibus; per ſortem tribuere magiſtratus, vel omnes penitùs, vel ſaltem illos, qui non peritiâ indigent, & arte; à nullo cenſu eſſe magiſtratus vel ſaltem à minimo, hoc eſt, Officia non eſſe venalia; nec ſolis tribui divitibus, vel nobilibus; non niſi ſemel eundem magiſtratum ab aliquo geri vel perrarò; & paucos, exceptis his qui verſantur in bello; parvi temporis eſſe magiſtratus; vel omnes, vel quot recipiunt; judicare omnes, & ex omnibus; vel de pluribus, & maximis, & principaliſſimis; puta de corrigendo, & de Republica, & de privatis contractibus, & concionem, id eſt cœtum eſſe omnium Dominum; magiſtratum verò nullius; aut Dominam eſſe concionem rerum maximarum; magiſtratum verò minimarum: inter magiſtratus autem populariſſimum eſſe conſilium; ubi non omnibus eſt mercedis facultas. Nam tunc quidam adimunt, & hujus Magiſtratus potentiam; & ad ſe cuncta populus judicia reducit, mercede abundans. Prætetea poteſtatem nullam vult eſſe perpetuam. Sic exiſtimant paritatem in Republica eſſe ac libertatem, quam ut proprium finem intendunt. In Democratia leges videntur eſſe publici conſenſus, quibus populus per ſponſionem ſe ſubjicit; illiſque ſeveritas ineſſe debet, & pœnæ graviſſimæ contra tranſgreſſores, ut fecit Lycurgus.

CAPVT VIII.

Democratiæ ſupradeclaratæ commoda.

QVibuſdam magis arridet viris præſertim popularibus, & plebeis Populare regimen, quàm Ariſtocraticum, vel Regium, quia paritatem, & libertatem ſuis civibus pollicetur, quam omnes appetunt. præterea, naturæ videtur magis congruere, quæ ad libertatem omnes genuit homines, & æquales fecit. Servi enim nomen, & Domini inter homines culpa intulit, non natura. Adde, quòd innata cunctis imperandi libido populari hoc regimine ſatiatur; cum ſingulis in illo ad civile regimen aditus pateat; nec ullus à publicis arceatur officiis. Summoperè adhuc ad hujus regiminis laudem confert, quòd factionibus, & ſeditionibus minus ſubjici videatur; cùm enim ſperent omnes ad illud pervenire, imperantibus pro tempore parère non recuſant, quibus aliquan-

do ſunt imperaturi, in hoc etiam populari ſtatu, qui magiſtrarum eaercent, & judicij præſint, cautius ſe gerunt, & unicuique majori cum æquitate jus reddunt. ſormidine pœnæ, quam illis populus inferre poteſt, à quo habent, & corrigi, & judicari. Rurſus, ut dicit Ariſtoteles, multitudo minus ſubjacet corruptioni; quemadmodum aquæ magna congeries; ſic plures quàm pauci incorruptibiliores ſunt: at cùm unus vel pauci judicant, facilé corrũpitur eorum judicium. In multitudine difficile eſt omnes iraſci, atque errare.

CAPVT IX.

Democratiæ, ſive regiminis Popularis incommoda.

EX omnibus Politiis, Democratica, ſive Popularis, infima eſt, & valdè imperſecta, ut ſupra demonſtravimus, vulgi enim mens levis, & inſtabilis, & ad regendum parùm idonea, quæ malitiâ & perfidiâ Magiſtratuum, & populi Conſulum facilè in tyrranidem vertitur. Quare in quibuſdam civitatibus, ut refert Ariſtoteles, ſuo tempore aliqui jurabant; Populum odio habebo, & conſilio annitar, ut malè habeat. Nec hoc abſq; ratione; Populare quippe Regimen tyrannidi affine eſt: hæc enim ſine lege dominatur; popularis verò multitudo legi communi videtur eſſe inimica, quam ſuis plebiſcitis, ſive decretis ſæpiſſime evertere conatur. Tyrannis nulli paret, nec ipſi rationi naturali; Democratia, fictitiæ prætextu libertatis jugum obedientiæ excutere nititur. Vndé Dion Caſſius, in lib. 4. Reſpub. inquit, ſpecioſum nomen habet, videturque ex legum æqualitate, non plus uni quàm alteri tribuere; Verùm reipſâ comprobatur, nihil ei cum ſua appellatione convenire. E contra Monarchiæ nomen auditu difficile, penes unum tamen ſummam eſſe Reipublicæ, conducibile omnium maximè eſt. Facilius enim unus vir bonus, quàm plures reperiuntur. Democratia ipſius naturæ ingenio videtur adverſari, quæ ubique Monarchiam commendat: civeſque ſuos ad unius regimen vocat, ut infrà fusè demonſtrabitur. Nedum Naturæ, ſed & rationi obſtrepit, quæ Monarchiam approbat. Melius enim eſt, ait Homerus, ab uno regi, quàm à pluribus; quod & ipſa ratio ſuadet, Facilius enim, & rationabilius eſt uni parère, quàm pluribus: quot Populi capita, tot ſenſus. Monſtroſum eſſet corpus, quod plura haberet capita; toti exoſum naturæ, quæ cuilibet animali, unum dumtaxat caput præfecit, ut cæteris membris præeſſet. Monſtrum immane, ingens in ſtatu civili, Democratia, nova Hydra, cujus tot capita, quot cives. Populare Regimen latrunculorum quædam coitio videtur eſſe, potius quàm Politia, quia exlex, Beliàl altera propago; Imperiique impatiens, nullius ſubiici vult Imperio, ſed à ſeipſo ſolùm modo regi; quod valdè periculoſum eſt. Vnde Poëta; *velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno*, quod certe populari adminiſtrationi proprium eſt, ſed maximè damnoſum; & ad ſeditiones incentivum. Cùm enim plures imperant, facilè, & moribus diſſident. difficile eſt omnibus placere, & ſatisfacere. Quare ex multorum Principatu ſactiones oriri quodammodo naturale eſt, propter diverſa jubentium, & parentium ſtudia. Vulgus naturâ turbulentum, mutabile, moroſum, quod difficilé regitur, quomodo ergò alios regere poterit, quod ſeipſum regere, nec regi poteſt? Natura nobiliora, potentiora, & perſectiora, imperſectioribus, infirmioribus, & ignobilioribus præficit. Plebs infimior eſt civilis ſocietatis pars ignobilior, imperſectior; Naturæ ergo inſtituto repugnare videtur Democratia, quæ Plebeios, Agricolas, Paſtores, Opifices, Nobilibus, Potẽtibus, Sapientibus præfert, & in illos totius deſert civilis Regiminis curam; quod rectæ ordinationi adverſatur: ut ſi quis capiti pedes præficeret. Populari multitudine nihil inſipientius, nihil inſolentius, quæ ad res agendas ſine conſilio præcepś ruit, flumini ſimilis; juxta illud: *aquæ multæ, populi multi*; Accedit, quod duo ſundamenta quibus innititur Reſpub. Democratica videtur deſtruere, nempè æqualitatem, & præſumptam libertatem: æqualitate enim illâ bonorum Arithmeticâ quid poteſt eſſe iniquius; quid difficilius? ſummum jus, ſumma injuria. Iniquiſſimum enim eſt omnes pari pollere poteſtate, dignitate, eiſdem frui honoribus, & divitiis, quorum ut plurimum, diverſa ſunt merita: Par enim non eſt civium omnium ſapientia, ſolertia, vitæque innocentia. Æqualitas in Repub. Citharæ harmoniam debet imitari, quæ ex tonorum varietate, & inæqualitate conſurgit? Quid ergo ſtultius quàm ſtultis, quorum magnus eſt numerus, cum paucis ſapientibus coæquari, numerari voces, æquari illis honores? Quòd ſi res omnes & bona velimus æqualiter dividere, omnia æqualia facere, oporteret ſtatim mores hominum, & naturas unius mentis facere, unius diligentiæ, æqualia virtutis, æqualis roboris, æqualis ætatis, & ſexus, demere commercia, virtutis præmia, juſtitiæ diſtributivæ tenorem interimere: efficere, ut quilibet ſibi ſufficiat, & proximo non indigeat, ut deliravit Plato. Falſò adhuc libertatem proponunt, quaſi ſœlicior in populari regimine, quàm in Monarchia futura ſit; cùm vera libertas ſit legi parère: quę melius imperat ſub Rege, quàm ſub plebe.

Adde, vulgi impotentiam, & cæcitatem, qui irâ & furore potius in conſultando movetur, ſeipſum præcipiti decreto in pericula conijcit, qui facillimè adulatorum iniquis conſiliis ab æquo retrahitur, & ad injuſtitiam impellitur. Vnde Democratiæ tempore injuſtitia magis viget. Dum enim populus ſibi hanc poteſtatem arrogat, quæ ſupremæ ſit auctoritis, nimium ſibi indulget, ſibi licere omnia arbitratur: ſæpiſſimè utile honeſto præfert: tuncque inter cives impunitas viget delictorum, licentia major peccandi ubique regnat. Vnde nunquam civilis hominum ſocietas pejus ſe habet, quàm ſub populari regimine, ut Hiſtoriæ tam Sacræ, quàm Prophanæ teſtantur. Nec mirum, corruptum enim eſſe populi judicium omnes fatentur: quare illus ſententiam ſequi periculoſum. Democratia de novo inducta, pertinacia quædam videtur rebellandi adverſus ſuperiorem poteſtatem: quæ nedum juri naturali, ſed etiam divino videtur repugnare. Nuſquam enim legimus à Deo Democratiam fuiſſe inſtitutam, qui populum Iſraeliticum unius Regis imperio ſubdidit: Nec Chriſtus populo, ſed Eccleſiæ, cujus Regium eſt Imperium docendi, regendi, ligandi, ſolvendique poteſtatem conceſſit. Parum adhuc tuta eſt Democratia ob ſeditiones, quæ facillimè inter populos oriuntur. Vulgus enim irâ, odio, aliiſque animi perturbationibus facillimè

commovetur ; maris inſtar quod raró quieſcit. Vnde parum durat populare regimen, facillimeq; evertitur, & à ſuo ſtatu ad alium tranſit, tum negligentiâ malâque Magiſtratuum gubernatione, tùm adulatorum & ductorum fraudulentiâ, tùm ex nimia licentia à populo Magiſtratibus conceſſâ, tùm ex civium ſeditionibus, & diſcordiis: tùm ex innata levitate. Beſtia multorum capitum populus eſt, mobile vulgus, & invidum: ſi fræna laxentur, faſtidit ſtatum præſentem; & ut ſimul ſuſpicioſum eſt, ſe laceſſitum bonâ adminiſtratione exiſtimans, jugum excutere nititur: libertatis, ſeu potius agendi quod velit, ſine ratione ſtudioſus, innovationi ſemper vacat, novitatis amator; rejectiſque bonis, & ingenuis Rectoribus, meliores adhiberi poſtulat; vocat autem meliores, qui magis ei indulgeant: contingit autem illi, ut fugiens fræna in ignem incidat. *ardore turpi faſces populus gaudet, eoſdem colit, atque odit*, canit Seneca in Hippolito. Sciunt qui obſervarunt Democraticas adminiſtrationes, quamdiu perſeveraverint integræ, non tam conſilio populi, quàm virorum à populo electorum induſtriâ, & prudentiâ conſtitiſſe: vbi autem ſuo voluerunt regere, & regi arbitrio ſtatim concidiſſe. Qui enim gerebant illorum Principatus & Magiſtratus, inani titulo democratiæ, veluti Popiſmate placabant, & continebant populum; revera autem ipſi ſibi ſegetem auream metebant.

Iunior adhuc Democratia ipſâ Monarchiâ, quæ ipſius fere mundi exordio coæva, cum humana cœpit ſocietate. Reges enim olim, ait Ariſtoteles civitatibus imperabant; ita ut tot eſſent reguli quot urbes. Democratia Monarchiæ ſoboles, quæ ubi in Ariſtocratiam decidit, in populare regimen tandem degeneravit. Quare antiquior tùm jure naturæ, tum hominum inſtitutione Monarchia, junior, & veluti novella democratia omniumque politiarum infima, tùm ætate, tùm dignitate. Minus etiam porrigitur, nec in populos ita vagatur, ſicut Monarchia. Plures enim fuere, & adhuc ſunt, eruntque Monarchiæ, quàm Democratiæ. Vbique Regna; Democratiæ paucis in locis; nec hodie ullibi invenias, niſi apud Helvetios, & Batavos. Democratiæ paucas habent civitates, Regna varias complectuntur Provincias. Mundus cum Monarchia cœpit, cum Monarchia propagatur; cum orbe deſinet. Tunc enim, ut Prophetiæ portendunt, *unùs erit populus, unus Princeps, qui toti Orbi imperabit.*

CAPUT X.

Origo ſtatus popularis, & Democratiæ.

REges primùm ob beneficia à populis creati ſunt, ait Philoſophus 3. politic. 6. quod opus eſt bonorum hominum, ſed cùm poſtea contingeret, ut plures pari virtute reperirentur, non amplius tolerarunt Regem; ſed commune quiddam quærentes, Reſpublicas conſtituerunt; cùm verò deteriores facti lucrum ſibi quærerent, ex gubernatione Reipublicæ; paucorum potentiam exortam fuiſſe credendum eſt, ex his in Tyrannidem tranſiere; ex Tyrannide rurſus in plebem

CAPVT XI.

Iudicium circa Regimen populare.

EX his quæ ſupra retulimus, Democratiæ vitiis, & incommodis facillimè erit de ipſa judicium ferre. Democratia omnium Politiarum infima eſt; utpote junior, rarior, inuſitatior, imperfectior: minus tuta, parum durabilis: quæ facillimè evertatur: totius naturæ regimini adverſa, rationi naturali contraria, divinæ ordinationi parumcongrua, humanę ſocietati noxia: unde Philoſophus, lib. Politic. Poſtquam varias Politiarum formas recenſuit, harum, inquit, optima Regnum, peſſima Reſpublica eſt: utpote Anarchiæ ſimillima, tyrannidi finitima. Quare lex Porcia virgas ab omnium civium corpore amovit, libertatem civium Lictori diripuit, ut teſtatur Cicero orat. pro Rabirio. Populus enim fera quædam eſt ſæviſsima, iraſci facillima, cui arma eripienda ſunt ne in ſeipſam deſęviat. Vt ſerpenti cuidam accidiſſe fabulatur Plutarchus, cujus aliquando caudam ſcrunt adverſus caput ſeditione factâ, petiiſſe, ut ſibi viciſsim quandoque ducem reliqui corporis eſſe liceret, ne ſemper caput ducem ſequi cogeretur: acceptâque ducendi poteſtate, fiebat, ut ipſa ſine intuitu ſeſe movens graviter offenderet, & caput inſuper, quòd cœcum, ſurdumque ducem pręter naturę inſtitutum ſequeretur, in eandem ſecum perniciem traheret.

CAPVT XII.

Quibus populare regimen evertatur: quibus conſervetur.

NAtura multitudinis eſt, ait Livius, ut ſerviat humiliter, aut ſuperbè dominetur: libertatem quę media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciat. Semper tamen melioribus, & ditioribus adverſatur: quibus enim caret: quia ex aliis fœliciter adeſſe putat, ſummopere deſiderat. Hinc fit quod facillimè Democratia evertatur. Everſionis autem illius cauſæ pręcipuę à Politicis adducuntur. Prima, ex nimia Magiſtratibus Licentia, & auctoritate à populo conceſſæ, quam facile in tyrannidem convertunt. Per arma enim quæ pro defenſione Reipublicę à Republicæ ſuſcipiunt jam paratâ, inermi populo facile imperant: quomodo Cæſar Romanam Rempublicam evertit, ſibique Imperium comparavit. Secundò, ex ductorum, Oratorum, & adulatorum fraudulentia. Populus enim nedum per vim, ſed & dolum ſubijcitur. Facillime autem, ut ſupra dictum eſt, vulgus naturâ mobile, adulatorum conſilio huc illucque flectitur, qui dum plebem inani titulo Democratiæ, veluti popiſmate placant, & continent, ſibi tyrannidem uſurpant. Sic quadraginta viri Athenienſium Rempublicam ſuſceperunt, aſſerentes, quód Perſarum Rex ad pecunias pro bello contra Lacędemonas ſubminiſtraret, & in eo mentiti, poſtea vi retinere gubernationem conati ſunt. Tertiò, ex mala Magiſtratum gubernatione popularis ſtatus interit, ut apud Thebanos, Megarenſes, & alios contigit, ut refert Ariſtoteles. Quartò, dum alii ſupra alios nimium, vel divitiarum copiâ, vel potentiâ extolluntur. Æqualitas enim, perſonarumque paritas, popularis regiminis veluti ſpiritus eſt vitalis, quo extincto, perit Reſpublica, ut ſupra oſtenſum eſt. Quintò, ex perpetuitate officiorum, & Magiſtratuum. Qui enim diutius in regimine Reipublicæ perſeverat, patet illi facilior ad tyrannidem aditus. Sextò, ex ſeditionibus, & diſcordiis civium, quæ ſæpiſſime in ſtatu populari oriuntur ex cauſis, ſupra à nobis ad-

Digitized by Google

ductis. *Regnum diviſum in ſe deſolabitur.* Septimò, ex legum contemptu, & juſticiæ violatione, quæ totius Reipublicæ vinculum eſt: Democratia enim propria plebiſcita communi legi ſæpiſſime anteponit, ut ſupra ex Ariſtotele demonſtravimus; Tyrannidi in hoc finitima, quæ jura omnia evertit. Octavò, perit populare regimen ex otio, ignaviâ, gulâ, comeſſationibus, luxuriâ, ex aliis vitiis, quibus plebeii homines obnoxii ſunt, quibus iram Dei provocant; & in pœnam jus imperii amittunt. Impietas Divinique cultus contemptus, Sacrilegia, Idolatria, ultima eſt popularis regiminis cauſa: ſicut & aliarum Politiarum; ut infra fuſè, vbi de Regno, demonſtrabitur.

Ex his patet: quibus modis populare regimen poſsit conſervari. Contraria enim contrariis curantur. Quare primò, populus ſummoperè cavebit, ne nimiam Magiſtratibus licentiam, & auctoritatẽ concedant. Secundò ſeverè in illos delinquentes animadvertet. Tertiò, perpetuitatem, & venalitatem Officiorum à Republica penitus eliminabit. Quartò, meliores ſemper, & in Rebus Publicis gerendis ſolertiores ad regimen publicum eliget. Quintò, aſſentatoribus fidem non habebit. Sextò, mutuam ſervabit concordiam. Septimò, juſtitiæ tenax legi communi parebit. Octavò, otium, inertiam, gulam, aliaque hujuſmodi vitia fugiet. Nonò, non ſinet aliquos immodice ſupra alios vel divitiarum copiâ, vel potentiâ excellere, aureamque inter cives mediocritatem, paritatem, & æqualitatem, non geometricam, ſed debitæ proportionis tuebitur. Decimò, verum Dei cultum, omni ſuperſtitione, idolatriâ, impietate, errore procul eliminatis, ubique inviolatum promovere, & tueri totis viribus incumbet. Alia addit Ariſtoteles 5. Polit. c. 9. Regimini populari maximè propria, quibus maximè poteſt conſervari; potentiam, & multitudinem. Potentiam in armis: multitudinem in numero. Quò enim numeroſior plebs, eò facilius Tyrannorum audaciæ reſiſtit. Armorum adhuc præſidio maximè eget, propter innatam infirmitatem. His addi debet optima morum inſtitutio, & diſciplina, præcipuè regiminis Politici. Cùm enim omnes ad hujuſmodi regimen ordinentur, & ad honores publicos habiles ſint, juriſprudentiam, & artem civilem debent omnes callère. Præterea, leges debent eſſe ſeveræ, quibus populi petulantia coërceatur. Prima Lex erit, ait Philoſophus 6. Polit. c. 5. ut damnatorum bona ſacra ſint, nec in publicum redigantur: hæc lex injurias compeſcet: populuſque minus cupidè damnabit. Secunda lex, ut rariſsimæ fiant publicæ accuſationes: quia ſic naturalis invidia, & odium inter plebem, & nobiles extinguetur. Tertia, Magiſtratus omnes duplices ſint, ut apud Tarentinos, fiantque alii per electionem: alii per ſortem, & à nullo cenſu ſit Magiſtratus.

CAPVT XIII.

De multitudine populari, Reipublicæ vitio, & prima Tyrannidis ſpecie.

TRiplicem legitimæ Politiæ formam, ſupra adduximus, quarum finis eſt, publica utilitas; à qua ſi quæ Politia aberraverit, Politia non eſt dicenda, ſed Politiæ vitium, defectus, & tyrannis. Quia ergo Regiam poteſtatem vocare conſuevimus, ait Philoſophus, cùm unus ad utilitatem communem reſpiciens gubernat, cùm verò pauci gubernant, plures tamen ſub uno, Ariſtocratiam ſive optimatum regimen; vel ex eo, quia optimi præſunt; vel ex eo quia ad optimum publicum adminiſtrant, publicamque reſpiciunt utilitatem: cùm autem multitudo gubernat ad communem utilitatem, vocatur communi nomine, Reſpublica, cùm verò à communi utilitate, aliqua deflectit politia, tyrannis, ſive illegitima, & violenta regendi poteſtas dici debet. Prolabuntur ergo, ac tranſgrediuntur hujuſmodi regiminis civilis ſpecies; ex Regia quidem gubernatione in tyrannidem; ex optimatibus verò, in paucorum violentam potentiam; ex Republica in popularem ſtatum. Tyrannidem verò dicimus dominatum unius ad proprium commodum intendentis: paucorum potentiam, cúm ad opulentorum commodum gubernatur: popularem ſtatum, cum ad commodum egenorum. Harum enim nulla ad communem utilitatem reſpicit; quare ſpecies Tyrannidis ſunt. Hìc autem adverte, politiarum omnium, tam legitimarum, quàm illegitimarum nomina ſæpè apud Ariſtotelem confundi. Regnum enim aliquando vocat Tyrannidem: Græcorum more, qui Reges Tyrannos appellant. Ariſtocratiam adhuc, cum paucorum dominatu, & Rempublicam, cum populari ſtatu confundit: quamvis maximè inter ſe diſtinguantur: ut ex ſupra dictis patet.

Ut ergo ab infima regiminis politici forma exordiar; hæc prolabitur, & à legitimo politiæ ſtatu in vitioſum degenerat; cùm pauperes, ignobiles, & ignari, ejectis è Republica nobilibus, divitibus, ſapientibus, probiſque viris; publicum regimen ſibi uſurpant, proprium commodum intendentes. Et hic eſt legitimæ Reipublicæ, ſive democratiæ defectus, & vitium; quod ſtatus popularis nomine appellatur. Pudet enim plebeios, ruſticos, ignobiles, ignaros; nobilibus, prudentibus, virtuoſis imperare; ad Imperium enim ſolos viros ſapientes, & probos natura evehit, non ignobiles & indoctos.

In hunc verò peſſimum ſtatum prolabitur Reſpublica, primò, ex nimia ſervorum licentia, & potentia, quam illis Domini concedunt. Hâc viâ Volſinienſium olim Reſpublica periit, & in ſtatum popularem decidit. Secundò, ex nimia advenarum, & extraneorum copia. Quot enim advenæ, & extranei, ut plurimum, tot hoſtes, vel ſpeculatores. Tertiò; quando pauperum numerus maximè excreſcit; nec illorum petulantia refrænatur.

Crudeliſſima, hæc eſt tyrannidis ſpecies, ubi tot ſunt Tyranni, quot cives, de qua intelligi debet illud Ariſtotelis, peſſima regnandi ſpecies popularis. Quæ potius dicenda eſt Anarchia, & confuſio, quàm Politia. Vera illa *πονηρόπολις*, ſive *δουλόπολις*, in quam Philipus Rex Macedonum ſervos, & impios relegavit. Ibi enim virtutibus expulſis, vitia omnia dominantur, petulantia nominatur ingenua educatio, licentia, libertas; prodigalitas, magnificentia; impudentia, fortitudo; ibi honeſti nulla ratio; metuque omni excuſſo, pater filios timet, filii parentes, & Magiſtros ſpernunt, leges contemnuntur, jura omnia violantur.

QVÆSTIO III.

QVÆSTIO III.

DE ARISTOCRATIA, SIVE optimatum Regimine.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Ariſtocratia, quotuplex, & ejus origo.

ARiſtocratia, ut ipſum nomen ſonat, *ἄριστος* enim græce optimus, *κράτια* poteſtas, civile quoddam eſt regimen, in quo penes optimos, vel potentes ſuprema regendi reſidet poteſtas. Componitur ex exiguo nobilium, & bonorum, qui tantùm imperant numero, cujus duplex eſt forma, legitima alia, alia illegitima, & Tyrannica. Prima Ariſtocratia communiter dicitur, in qua optimi plures Rempublicam æquo regimine gubernant, propoſitâ, tanquam fine ultimo, publicâ utilitate. Secunda, Oligarchia Ariſtocratiæ oppoſita appellatur, in qua pauci, potentes magis, quàm optimi: divitiiſque potius, quàm virtute præcellentes, contra legem communem Rempublicam ad ſui potius, quàm ad utilitatem publicam gubernant, vel in qua à cenſibus Magiſtratus eliguntur: unde alio nomine *τιμοκρατία*, ſive cenſipotientia nuncupatur: pauciores enim ſunt, qui cenſu, & divitiis abundant, quàm pauperes. Ex his vero duabus Politiis optima eſt, & legitima, in qua ſimpliciter optimi, id eſt, virtute præcellentes imperant: virtus enim inter bona divitiis præcellit, quæ ſola verum bonum eſt: Peſſima, in qua divites, propoſitâ ſibi non publicâ, ſed privatâ utilitate dominantur. Perfectæ autem Ariſtoçratię non præjudicat, quòd plures divitiis præpotentes imperent: ſi aliàs virtute præcellant, moribuſque ſint optimi, publicamque utilitatem per ſe primò intendant. Divitiæ enim politico regimini non nocent, ſed potius favent, cùm illis egeant qui Magiſtratus gerunt, quò facilius tantum onus ſuſtineant, & pro dignitate Rempublicam adminiſtrent.

Aliter autem Philoſophus 4. politic. c. 5. Ariſtocratias dividit, ut alia ſit, in qua magnum cenſum habentes ad gubernationem Reipublicæ recipiantur: atque ita magnum, ut tenues homines ad eum pervenire non poſſint, is verò ſolus qui tanta poſſidet, ſolus habilis ſit ad Rempublicam gerendam. Secunda ſpecies eſt, cùm à parvo cenſu ad magiſtratum fit habilitas, illi eique ſoli eligantur: qui divitiarum penuriam patiuntur. Si verò ex omnibus hoc faciunt, videtur hunc eſſe potius optimatum: ſin verò ex parvo numero, paucorum potentiæ. Tertia ſpecies eſt, cùm filius patri in Reipublicæ regimine ſuccedit. Quarta, cùm hoc ita fit, ut lex non dominetur, ſed illi qui regunt, & hæc ſpecies in paucorum gubernatione eundem locum habet, quem tyrannis in Monarchia, & ſtatus popularis in Republica. Hæ verò non tam legitimæ Ariſtocratiæ ſpecies mihi videntur, quàm ejus vitia & labes: ex quibus aliæ ad tyrannidem: aliæ ad ſtatum popularem maximè accedunt. Præterea Philoſopus diſtinguit optimatum potentiam, à paucorum regimine: ut illa à ſolis optimis: hoc eſt, virtute præcellentibus, ſive pauperes ſint, ſive divites propoſitâ publicâ utilitate, & juxta communis legis decreta gubernetur; iſta, à ſolis divitibus, & potentibus; non habitâ virtutis ratione, contra leges propriæ utilitatis gratiâ adminiſtretur. Finis enim legitimæ Ariſtocratiæ eſt maximè honorem tribuere ſecundum virtutis merita; ſicut optimatum finis eſt virtus. Paucorum verò regiminis finis eſt opulentia; popularis politiæ libertas. Quare optimatum Politia legitima eſt Ariſtocratia; paucorum verò poteſtas, ejus eſt vitium. Vbi verò pauci, nempe duo vel tres Rempublicam gubernant, ad tyrannidem; ubi plures, ad ſtatum popularem vergit. Miſcentur autem aliquando hujuſmodi Ariſtocratiæ ſpecies etiam legitimæ, ut in una & eadem ſimul aliquomodo confundantur: quando videlicet & optimi moribus, & peſſimi; divites & pauperes, nobiles, & ignobiles, per electionem aliqui, per hæreditariam alii ſucceſſionem ad Reipublicæ regimen aſſumuntur: ut olim in Republica Romana, cui ſimul imperabant Dictatores, omnium ſupremi Magiſtratus, Conſules, Senatus, Populuſque Romanus. In qua initio magiſtratus ſolâ virtutis habitâ ratione, meritis non divitiis, vel nobilitati tribuebantur: poſtea à cenſu eligebantur qui Rempublicam regerent; quam Ariſtocratiæ formam nobiles Veneti hodie æmulantur.

Ex omnibus Ariſtocratiæ ſpeciebus, illa melior eſt, quæ ab optimatibus, id eſt ab optimis, vel melioribus, & in minori numero regitur. Firmior enim eſt, durabilior, quia minus invidiæ patet, & diſcordiis ſubjicitur; quæ inter plures æquales facile oriuntur Præterea, magis ad Monarchiam Politiarum omnium optimam accedit.

Ariſtocratia à Monarchia ortum habet, quæ politiarum omnium origo eſt, & finis. Vnde ſicut ab illa proceſſit, ad illam revertitur.

CAPVT II.

Ariſtocratiæ finis, jura, leges, & regiminis forma.

LEgitimæ Ariſtocratiæ finis ultimus ille idem eſt, quem omnes aliæ legitimæ Politiæ intendunt, benè beatequè vivere, & utilitas publica; quamvis per diſtincta media ad illum pervenire conetur, nempe per leges & jura propria, optimatum, & paucorum regimini accommodata.

Hæc verò ſunt Ariſtocratiæ jura, & leges,

prima,ut penes ſolos optimates ſuprema ſit auctoritas, juſque vitæ & necis; nullo verò modò penes populum, cujus poteſtas tota in optimates tranſmiſſa eſt; ſive ex ipſius populi conſenſu; ſive jure belli. Secunda, ut ſoli nobiles, vel divites ad gerendos Magiſtratus eligantur, plebeis viris, ab illis excluſis, quia ex melioribus progeniti, meliores eſſe præſumuntur; & aliunde cenſum habere oporteat ad onera perferenda. Non enim civitas eſſe poteſt ex pauperibus, ſicut nec ex ſervis. Adde, ſine virtute bellica Rempublicam permanere non poſſe, quæ in nobilibus, & ingenuis maximè elucet Iniqua tamen mihi videtur hæc lex, ut ad Reipublicæ regimen ſoli nobiles & divites aſſumantur, cùm honores publici ſoli virtuti debeantur, quæ in pauperibus, & plebeis aliquando ſplendidiùs emicat. Cùm ergo optimatum politiæ finis præcipuus ſit, honores virtuti decernere, & à ſolis optimis gubernari debeat, ut ipſius nomen ſatis apertè indicare videtur, ſoli optimi, vel meliores debent ad Magiſtratus aſſumi. Quare Oligarchiæ potius, & Timocratiæ, ſive paucorum poteſtatis hujuſmodi lex dicenda eſt. quæ veræ Ariſtocratiæ vitium eſt, & defectus. Hæc enim divitias privatorum per ſe primò intendit. Nam ut ſupra declaravimus ex Ariſtotele, & Platone, quinque ſunt famoſæ politiæ ſpecies, ſcilicet Regnum, ſeu Monarchia, & hæc omnium præſtantiſſima; ſtatus popularis ſeu Democratia paucorum potentia, in qua ditiores civitatis, qui pauci ſunt, mediocriter divitibus ad proprium commodum dominantur, diciturque hæc gubernatio Oligarchiæ quæ, tyrannidi proxima eſt.

CAPUT III.

Ariſtocraciæ Elogium.

SUas meretur laudes Ariſtocratia; non omninò parvipendenda, ob varię illius cōmoda quę in humanam ſocietatem emanant. Primò quidem, cùm ſolis optimis vel melioribus Imperij poteſtas debeatur; meliores autem illi habendi ſint, qui vel virtute, vel nobilitate, vel divitijs alijs præcellunt; minimè damnanda occurrit Ariſtocratia, in qua optimates, ſive optimi imperant. Plures enim alijs meliores, quàm unus omnium optimus invenitur, quare facilius à pluribus melioribus, quod fit in Ariſtocratia, quàm ab uno optimo, quod in Monarchia contingit, civilis hominum ſocietas gubernari poſſe videtur. Præterea; pauciores in Republica invenies, qui vel virtute, vel nobilitate, vel cenſu alijs præcellant, quàm quos corruptio morum, ignavia, & paupertas deprimit. Hi verò jure naturali melioribus parère debent; qui cum in minori numero ſint, Ariſtocratia, quæ paucorum, & meliorum eſt poteſtas, Democratiæ, quæ multitudinis popularis eſt regimen, debet anteponi. Nec parum ad Ariſtocratiæ commendationem facit, quod nec Monarchia, nec Democratia, ſine aliqua Ariſtocratiæ ſpecie eſſe poſſint. Ambo enim, & Magiſtratu egent, & Conſilio; ad Magiſtratum verò, & conſilium meliores ſemper; hoc eſt, virtute, prudentiâ, nobilitate,divitijs præcellentes ſolent, & debent advocari; meliorum autem regimen Ariſtocratia eſt. Sicque Ariſtocratia per omnes politias vagatur, ut hinc dignitatem illius agnoſcas; bonum enim ſui eſt diffuſivum, & quò latius porrigitur, eò divinius eſt: quod ut melius intelligatur, advertenda ex Platone Politiarum omnium prima origo. Poſt primam humani generis exterminationem, quæ juxta illum fuit per diluvium, tempore Deucalionis, juxta nos vero tempore Noë, ſuperſtes quoddam paucorum hominum ſemen ſervatum fuit, divinæ providentiæ miſeratione, & clementiâ; eodemque tempore probabile eſt filios, & nepotes ſimul congregatos, cum Patre, & matre, familias inſtituiſſe, nondum enim pagi, caſtra erant, aut urbes, ſed ſingulæ familiæ ſparſim habitabant; ut autem pacificè viverent, patris familiâs, quælibet Domus imperio, ut Domino obtemperabat; & hęc prima ſocietas,ex qua omnes Politię Originem & ſpeciem habebant, ſolâ lege naturę inſtituta: quia verò inter plures domos, & familias ortę ſunt diſcordię,&ut ſe à ferarum arceant impetu,caſtra & oppida: inde ex illis urbes, & Reſpublicę, varięque earum Politiæ ortæ ſunt, ut Democratia, Oligarchia, Ariſtocratiæ, cujus incommodare ſeco.

CAPUT IV.

Ariſtocratiæ incommoda, & de ipſa judicium.

TRitum eſt, quod Homerus cecinit, non eſt bonum, multorum dominatio; unus ſit Dominus, unus Rex. Primò quidem, quia plurium Principatus non poteſt eſſe ſine factionibus, & ſeditionibus. Dum enim unus alijs pręponi deſiderat; vel aperte, ſi pręvaleat; vel clam, ſocios regiminis aggreditur. Nam ut canit Lucanus.

Nulla fides Regni ſocijs; omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit. Exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.
Cælum non fert duos ſoles, nec duos Græcia Lyſandros,
Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompeiuſve parem.

Unde Romani hujuſmodi paritatis, Magiſtratuum impatientes, quamvis Regium illis nomen ſummè exoſum eſſet, expulſis Tarquinijs, faſces Imperij inter Conſules dividebant, ut non ſimul,ſed ex illis alternatim faſces poteſtatis haberet ſolus: Nam alternis menſibus mutabant ſecures duodecim; uno menſe penes unum, ſequenti penes alium. Imò ſi in caſtris ambo eſſent Conſules, non imperabant ambo ſimul, ſed alternatim per dies; ſicque quodammodo ad Monarchiam, quam expulerant redire cogebantur. Præterea; rarò plures in ejuſdem Reipublicæ regimine Concordant; quia *velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno*; quod certe maximum eſt Diſcordiarum, & ſeditionum incentivum. Quare parùm durant, Ariſtocratiæ, ſeditionum varijs procellis agitatæ; facillimeque vel ad Monarchiam, à qua deſciverant, relabuntur, ſi unus ex optimatibus adverſus alios pręvaleat; vel ſi nullus, nec ſeditiones ſopiuntur; ſemperque ſi inter ſe optimates rixentur, in Popularem ſtatum decidunt, qui proſtratâ nobilitate Reip. regimen uſurpat; ut apud Helvetios noſtris temporibus,& Romanæ olim contigit Ariſtocratiæ, quæ fugatis Regibus, Imperatoribus poſtea patuit, & ſæculo elapſo Florentinorum Reſp. quæ inteſtinis diu vexata bellis ſub ſtatu Ariſtocratico, Medicæorum Imperio tandem ſuccubuit. Si verò dicas convenire poſſe inter ſe Ariſtocratiæ Rec-

Digitized by Google

tores,quamvis hoc ſit difficile, periculum enim eſt, ne tot ſint populi Tyranni,quot potentes, & principes. At ſatius eſt unius quàm plurium ſubijci Tyrannidi, & longe adhuc melius unius parére Regis Imperio. Adde difficillimum eſſe plures inveniri optimos, & æquali poteſtate pollentes. Neceſſe ergo eſt, ut unus alijs tum virtute, tum divitijs præcellat. At recti regiminis ratio poſtulat ut Reip. gubernatio meliori concedatur. Præclarior ergo eſt Monarchia, quàm Ariſtocratiæ Politia, quam natura reprobat, ratio naturalis condemnat, Divina lex quodammodo reſpuit. Natura quidem reprobat, quæ ubique Monarchiam ſtatuit. Ratio naturalis condemnat, dum unius regimen cæteris Politijs anteponendum eſſe demonſtrat. Nec illi lex Divina favet, quæ Populo Iudaïco Moyſem, tanquam Monarcham præfecit.

Ex omnibus ergo Politijs Monarchia, ſeu Regnum præcellit, in quo unus Dominatur, Dei, qui unus eſt Rex Regum, & Dominantiũ exemplo, cui omnes creaturę obtemperant. Adde quòd Rex ſubditorum bono, & ſaluti ſtudens, ad illos ſe habet ſicut medicus ad debiles, & infirmos; ut paſtor, ad oves; ut pater ad filios: in Politia Populari vulgus ignobile, & egenum Dominatur, quo nihil Levius; proprio commodo ſemper ſtudens, ad oppreſſionem Nobilium, & divitum, quęrens ignobiles, & pauperes, & facinoroſos exaltare, & divites efficere, Nobiles autem, & optimates deprimere, ac deprędari. Politia verò paucorum, quę Græcè Oligarchia apellatur, ſuos adhuc habet defectus: quia in pluribus pauci ſunt rarique, qui effrænâ imperandi libidine, ſoli cupiunt dominari, propriumque commodum ſpectantes, ſoloque Imperio elati in ſubditos ut Lupi in oves deſæviunt. Politia optimatum; in qua virtuoſi ac probi dominantur, ad dominium aſſumpti, non reſpectu divitiarum, aut nobilitatis, ſed virtutis, & prudentiæ, hæc inquam Politia, dicitur Ariſtocratia, in qua optimates, regere debent civitatem, ut Patres familiàs ſuas domus regunt, unumquemque civium tractantes, ut ſtatus, conditio, & ętas requirit; ſed ſępe ſępius hęc Politia in Tyrannidem degenerat, quia non Reipublicę, ſed proprium commodum quęrunt, & inter optimates, pauci ſunt viri probi, nec æquales ſunt in divitijs; unde qui pręvalent, ſoli cupiunt imperare.

CAPVT V.

Quibus Ariſtocratia deſtruatur, & conſervetur.

PAucorum gubernationes mutantur per duos maximè modos. lib. 5. Polit. manifeſtiſſimos, ait Ariſtoteles. Vnum, ſi injuriis afficiant multitudinem; & maximè ſi ex numero paucorum dux aliquis exiſtat, qui cæteris vel poteſtate, vel divitiis antecellat; quemadmodum in Naxo olim Lygdamis, qui Tyrannidem Naxiorum invaſit; noſtriſque temporis Medicea familia, quæ divitiis, potentiâ ſupra reliquas Nobilium Florentinorum familias excellens, ſupremum in illas imperium, vi armorum primò; poſtea Imperatoris inveſtiturâ, ſummorumque Pontificum auctoritate obtinuit. Habet autem ex aliis initium ſeditionis & differentias Quandoque enim ab ipſis opulentis, qui non honorantur, à Magiſtratibus, fit diſſolutio, cùm perpauci ſint illi, qui dignitates uſurpant; ut antiquitùs in Maſſilienſibus, in Iſtro, & apud Heracleam accidit. Nam qui honores non ſuſceperant, res novas moliri non ceſſabant; donec ipſi quoque honorarentur. Mutantur etiam paucorum gubernationes ex ſeipſis propter factiones ipſorum, qui plus poſſe apud populum volunt. Hoc autem dupliciter fit. Quandoque enim ſibi aſciſcunt & coniungunt alios ex ipſo numero paucorum; ut Athenis in triginta illis fecit Charichos, & in quadringentis, ſimili modo Phrymichus. Quandoque verò ipſi, qui ſunt ex paucorum numerò vendicant ſibi plebem, ut apud Lariſſam Nobilitas plebem colebat; vel etiam quando extraneorum auxilium advocant. Fiunt etiam mutationes, quando per luxuriam patrimonia conſumpſerunt. Optant enim res novas, & tyrannidem vel ſibi ipſis, vel alteri affectant, ut variis exemplis demonſtrat Ariſtoteles. Sed præcipuè mutantur, ex optimatum diſcordia: vel ex novorum Optimatum adjectione, vel ex antiquorum excluſione; vel ex nimia & tyrannica dominatione. Fiunt etiam aliquando caſu; hoſtium invaſione. Mutatur autem Ariſtocratia, vel in Regnum, aut Tyrannidem; vel in Rempublicam, & ſtatum popularem. Ex quibus patet, quibus mediis conſervari poſſit; contraria enim contrariis curantur: primò quidem, ſi concors fuerit, ex ſeipſa facilè non interit. Secundò, ſi Optimates populi gratiam habeant, quod attendens antiquiſſima Venetorum Reſpublica, plebeios ad aliqua Reipublicæ officia advocat, ſicque firmiſsima diu ſtetit,

CAPVT VI.

De Oligarchia, Timocratia, ſive paucorum Potentium & Divitum regimine, vitio, & labe Ariſtocratia, & ſecundâ tyrannidis ſpecie.

SVpra tres recti regiminis civilis, labes, ſeu vitia adduximus: nempe ſtatum popularem, qui à Republica: Oligarchiam, ſive paucorum poteſtatem, quæ ab Ariſtocratia, & tyrannidem, quæ à Regno degenerant. De ſtatu populari, ejuſque violentiâ hactenùs: nunc pauca de paucorum poteſtate, ſive Oligarchia, quæ à cenſu, & divitiis Reipublicæ regimen accepit delibanda occurrunt.

Oligarchia, ſtatus eſt Reipublicæ paucorum divitum conſtans dominatione, unde Oligarchi dicti ſunt, qui paucorum dominatione gaudent. Quod ut melius intelligatur, advertendum ex Ariſtotele lib 3. de Repub. c. 7. quòd civitatis adminiſtrandæ ratio, ſeu forma, id eſt, quod in civitatibus dominatur, ſummamque auctoritatem habet: neceſſe autem eſt, Dominatum, atque auctoritatem obtinere, aut unum, aut paucos, aut multos, ubi quidem unus, aut pauci, aut multi ſpectantes utilitatem communem civitati præſunt, has civitatis regendæ formas, rectas eſſe neceſſe eſt; ubi verò vel unus, vel pauci, vel multi propriam ſpectant utilitatem, hujuſmodi regiminis formæ, deflectiones ſunt, ac digreſsiones à rectis. Nam aut cives dicendi non ſunt, qui ſunt unius civitatis participes, aut utilitatis inter eos debet eſſe communitas; quando verò unus præeſt, & utilitati communitatis conſulit, vocatur Regnum, paucorum autem virtute præditorum, & plurium regimen, Ariſtocratia: hoc eſt optimorum potentia, vel quia optimi ſunt moribus, vel quia om-

nia ad bonum commune referunt. Vbi vero multitudo civitatis, adminiſtrationē ad communem utilitatem confert, dicitur Reſpublica: unum aut paucos virtute excellere facile fieri poteſt, plures veró difficile: digreſsiones ergo ex aliis, quæ dictæ ſunt rectæ Reipublicæ adminiſtrandæ formæ, ſunt Tyrannis quidem à Regno: paucorum potentium vel divitum Imperium, ab Ariſtocratia: populi verò poteſtas à Politia, ſeu Republica. Tyrannis unius eſt imperium, ad ejus, qui ſolus imperat, utilitatem propriam ſpectans: paucorum potentium, ſeu divitum, ad proprium eorum commodum: populi poteſtas ad ſolam egenorum utilitatem reſpiciens, & cui nulla cura Reipublicæ propoſita eſt: paucorum ergo potentium, & divitum regimen, Oligarchia, vel Timocratia appellatur, qui propriam utilitatem ad egenorum oppreſsionem in omnibus quærunt, quibuſque nulla cura eſt publicæ utilitatis.

LIBER TERTIVS

LIBER TERTIUS:

DE REGNO,

SEU

MONARCHIA;

TERTIA ET PRÆSTANTISSIMA

CIVILIS,

SIVE

POLITICI

REGIMINIS FORMA.

QVÆSTIO PRIMA.

CAPVT I.

Quid ſit Regnum, ſive Monarchia, varia ejus acceptio, variaque nomina.

MOnarchia, ſive Regnum, civilis quædam eſt hominum ſocietas, in qua penes unum dumtaxat ſuprema eſt regiminis poteſtas; quod & ipſum nomen ſonat, μονος enim græcè Solus, ἀρχὴ Principatus, quaſi unius Principatus. Varia autē ſortitur nomina, tam apud Latinos quàm apud Græcos ab illis Regnum, Principatus, poteſtas, Imperium; ab aliis δυναςεία, μοναρχία, τυραννὶς; Rex vero βασιλεὺς appellatur. Rex à regendo; Princeps, quaſi primum caput, ſeu præſtans, & præcipuum; Potentatus à potentia; Imperator ab imperando; Dynaſta ἀπὸ τῆς δυνάμεως, id eſt potentiſſimus; Monarcha, unicus Princeps: Tyrannus. Βασιλεὺς, quaſi βασιλαῶς, hoc eſt Baſis, ſeu fulcrum populi, quibus nominibus Principatus poteſtatis, regiminis generalis ſignificatio reſtringitur ad quandam Politiæ legitimæ, rectique regiminis ſpeciem: in qua penes unum eſt ſuprema poteſtas, ita tamen, ut Principum nomine nedum Reges, ſed omnes Regio Sanguine orti ſignificentur. Regis appellatio Principem denotat Regni Gubernatorem, qui in ſubditos ſupremam auctoritatem, juſque vitæ & necis habeat, multiſque imperet Provinciis: Imperium multa Regna complectitur: quibus omnibus Monarcha dominatur, totius humanæ ſocietatis Princeps; quales olim fuere Romani Imperatores, quamvis penes ſolum Deum ſuprema hæc omnium reſideat poteſtas. Gradum ſibi fecit ad Monarchiam Iulius Cæſar per Dictaturam, ſibique primus Imperii nomine Principatum Romanorum uſurpavit: qui titulus ad alios tranſmiſſus eſt. Remanſit nomen Imperatoris in Principatu Romanorum: poſtea diviſum in Orientale, & Occidentale, rurſum Turcæ, Tartari, & alii hoc ſe titulo, & Principatum ſuum illuſtrare cœperunt: Imperatoris nomen à Ducum virtute, & ſtrenuitate tranſlatum, Regium, & Monarchium effectum eſt. Infœlix autem Iulii Cæſaris interitus, qui à propriis filiis adoptivis, Bruto, & Caſſio, qui patrem ſuum in publicis Comitiis ferro adacto inter fecerunt, æqua fuit uſurpatæ Monarchiæ ultio divini Numinis. Nefas enim viâ iniquâ ad ſupremum Imperium aſcendere. Duplex autem eſt Monarchiæ, ſive unius dominationis ſpecies: alia legitima, & juſta: quæ Regnum ſive Monarchia abſolutè appellatur: alia ſpuria, iniqua & violenta, nempè tyrannis. Legitima, & juſta illa olim erat, in qua Rex ex conſenſu libero populorum Regni adminiſtrationem

aſſumebat, ut propoſitâ per ſe primò non propriâ, ſed publicâ utilitate, juxta leges patrias, juriſque communis decreta ſubditos Regiè, hoc eſt, tanquam pater filios juſtè gubernaret. Vel preſsius; Monarchia eſt unius imperium, moribus aut legibus delatum, ſuſceptum, geſtumque parentium bono. Spuria verò, violenta, & iniqua, illa eſt, in qua unus præter conſenſum populorum attentâ propriâ per ſe primò, non publicâ utilitate, ex arbitrio, libidine, cupiditate, avaritiâ, crudelitate, regendi dignitatem contra leges, & præter id quod fas eſt, ſibi uſurpat: & hæc tyrannis communiter appellatur, legitimæ Monarchiæ vitium, & labes de qua infra.

CAPVT II.

Quotuplex ſit Regni ſpecies.

TOt ferè ſunt legitimæ Monarchiæ, ſive Regni ſpecies, quot Regnandi modi, jura, & tituli: quibus ad Regiam auctoritatem jus acquiritur. Hi verò ſunt electio, ſucceſſio hæreditaria, jus belli, emptionis, vel emptionis contractus, de quibus infra. Facilè ergo eſt intueri, quòd plura Monarchiæ ſint genera: neque enim eſt omnium Regum modus, nec unus poteſtatis. In Lacædemoniorum enim Republica, ait Ariſtoteles videtur Rex eſſe maximè ſecundum leges: neque enim poteſtatem habet omnium: ſed cum egreditur extra Regionem, Imperium habet, ut refert Ariſtoteles, eorum quæ pertinent ad bellum: præterea Sacrificia, Deorumque ceremoniæ illi commiſſa ſunt, vitæ autem neciſque alicujus non habet poteſtatem. Sed hæc propriè dici non debet Monarchia, quæ ſupremam habet in ſubditos auctoritatem. Eſt & alia, ſubdit Ariſtoteles, Monarchiæ ſpecies: qualia ſunt apud Barbaros Regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet ſint legitima & ſecundum morem patta. Subditis enim tanquam ſervis imperant: quomodo hodie Turcarum Imperator ſubditis dominatur, & ob hoc, tyrannica videntur eſſe hujuſmodi Regna: ſed habent ſecuritatem, quæ tyrannidi deeſt: quia more, & legibus conſiſtunt. Eaque de cauſâ cuſtodiam habent Regiam, non tyrannicam: Reges enim à civibus; tyranni ab externis mercede conductis cuſtodiũtur, & reges ſecundum leges, & volẽtib⁹: Tyranni cõtra fas invitis dominantur. Tertia eſt ſpecies: ut antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Æſimenctas. Eſt autem hæc, ut ſimpliciter dicamus, electiva tyrannis, differens à Barbarica, non eo quod non legitima: ſed quod non conſueta. Poteſtas autem hujuſmodi, aut vivente eo durabat, aut tempore quodam præfinito, vel rebus geſtis finiebatur, qualem elegerunt quandoque Mitylenæi Pittacum adverſus exules ſuos. Hujuſmodi Monarchiæ ſpecies, quia dominationem habent, ſubditiſque ut ſervis imperant, tyrannicæ ſunt; quia verò electivæ & volentium, Regiæ ſunt. Quarta ſpecies regni eſt, quales erant Heroicis temporibus ſpontaneæ ſecundum morem, & leges; propter enim beneficia à patribus collata in populos, vel per artes vel per bellum, vel per congregationem in unum, vel propter acquiſitionem Regionis, delatum fuit eis Regnum de populorum voluntate, & ſucceſſoribus. Hi Imperium habebant, & belli, & rei divinæ cultum exercebant: præterea de controverſiis judicabant: hoc faciebant, alii jure jurando præſtito; alii ſine jure jurando: per Sceptri verò elevationem jurabant. Regiæ ergo poteſtatis quatuor olim erant ſpecies, una, quam erat temporibus Heroũm, volentium ſcilicet, & in quibuſdam determinatis rebus, nempe in bellicis, ſacris, & judicialibus. Altera erat Barbarica, ex progenie ſcilicet, dominatio partim tyrannicâ, partim regiâ: Tyrannicâ; quia Dominatio; Regia; quia ſecundum leges. Tertia, quam electivam tyrannidem diximus. Quarta Laconica, nempe imperium belli in quodam genere perpetuum. Quibus quinta addi debet: quãdo unus omnium habet poteſtatem, quemadmodum unaquæque civitas publicè, rectèque ordinata ad exemplar domus. Vt enim gubernatio patris familias eſt Regia quædam poteſtas domus; ita Regia poteſtas eſt civitatis, & gentis unius, aut plurium quaſi domeſtica quædam gubernatio. In hoc tamen differre videtur gubernatio domus, & Regni; quòd in illa pater jus necis in filios non habet; quod penes Regem reſidet.

Ex his quinque Monarchiæ ſpeciebus, ultima omnium præclariſſima eſt; quæ adhuc, apud Chriſtianos maximè variatur; in Gallia enim, & in Hiſpania, ubi Regnum hæreditariâ ſucceſſione ad nepotes deffertur, ſuprema eſt omnino in ſubditos, Regis poteſtas: itâ ut nec à populis, nec à Parlamentis, vel Comitiis pendeat, à quibus Reges conſilium in agendis, non legem recipiunt. Secùs in Polonia, & hodie in Anglia, aliiſque Regnis, quæ per electionem habentur. In his enim Reges auctoritatem in multis limitatam, & aliquomodo à Parlementis, vel Comitiis dependentem exercent. Quod & in Romano antiquitus Imperio contigit, in quo Imperatores nihil niſi de Senatus conſenſu, & arbitrio decernebant. Verùm, ut infra magis declarabitur, licet nihil ſine Sapientum, & proborum virorum, qui Regis conſilium ſupremum componunt, Reges Galliæ circa Regni ſtatum agant, eorum tamen ſententiæ non tenentur adhærere; ſed pro ut illis placuerit, aliter decernere. Longè enim major in Rege, utpotè totius Regni capite, viget ſapientia, quàm in cæteris membris, quibus præeſt, ut exemplo Salomonis patet, & Davidis, qui ſpiritum principalem à Deo acceperant.

CAPVT III.

Regiæ poteſtatis Iura, Tituli, & honores.

ADmiranda prorſus, propèque divina Regis in ſubditos poteſtas; quam Nero apud Senecam his verbis commendat. Ego ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum; qui in terris deorum vice fungerer. Ego vitæ neciſque gentibus arbiter; qualem quiſque ſortem, ſtatumque habeat in manu mea poſitum eſt. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat. Ex noſtro reſponſo lætitiæ cauſas, populi, urbeſque concipiunt. Nulla pars uſque, niſi me volente propitioque me floret. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum ſtringentur. Quas nationes funditùs excindi; quas tranſportari, quibus libertatem dari; quibus eripi; quos Reges mancipia fieri; quorumque capiti Regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ onantur, mea juriſdictio eſt.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Reges, Patriæ dicuntur, Regnique Patres.

Legitima hæc, & præſtantiſſima Monarchiæ ſpecies, ait Ariſtoteles 3. polit. c. 14. quando unus omnium habet poteſtatem ad exemplar gubernationis domus. Vt enim gubernatio patris familiâs regia quædam eſt poteſtas domus; ita Regia poteſtas eſt civitatis, & gentis unius; aut plurium quaſi domeſtica quædam gubernatio. Hinc Patres patriæ appellantur, de quo titulo audiendus Seneca lib. 1. de clementia c. 14. quot Regibus honores cognomina dara ſunt; magnos, & fœlices, & auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati quidquid potuimus titulorum congeſſimus; illis hoc tribuentes; Pattes patriæ appellavimus: ut ſcilicet patriam poteſtatem ſibi datam agnoſcerent, quæ temperatiſſima, nec in ſubditos, ſicut Domini in ſervos ſævitent; ſed ſicut patres, ut filiis indulgerent. Regum enim Imperium, paternum eſſe debet, non deſpoticum. Regis erga ſubditos pat erit, ac patris in filios poteſtas: utpotè quæ eodem ferè jure adſtruatut, Pater enim poteſtatem habet in filios jure naturæ, tùm ob generationem tùm ob educationem, morumque inſtitutionem; tùm ob conſetvationem curamque domeſtici tegiminis. Rex autem populos ſibi ſubditos optimis inſtituit diſciplinis, legibus format; regit, alimenta procurat, ab hoſtium inſultu tuetur, & pro eorum ſalute excubat.

CAPVT V.

Major Regis in ſubditos, quàm patris in filios poteſtas.

Supra paternæ in filios poteſtatis jura deſcripſimus; nempe quòd poſſit illos arguere, corrigere, caſtigare, abdicare, exhæredare, & à paterna domo eliminare, juſtiſſimis tamen de cauſis, nempe parricidii, propinati veneni, & atrociſſimæ rebellionis. Verùm quædam huic poteſtati fræna dedimus, ne filiis ſcilicet ſervilia onera imponat, eiſque ut mancipiis utatur; nec illos etiam victus gratiâ vendat; nec mortem inferat. Rex verò tam jure Divino, quàm humano jus necis habet in ſubditos, eorum bona proſcribete poteſt, exilio, infamiâ, variiſque aliis pœnis mulctare; præterea, pater leges ſetre non poteſt, nec præcepta imponere filiis, quæ illos ſub pœna temporalis, & æternæ mortis obliget; quod Rex in ſubditos poteſt. Adde, penes Regem eſſe ſupremam judicandi poteſtatem, quæ patri in filios non conceditur. Denique patribus non licet ſacra contingere, ſacrificia Deo offerte, quod Regibus conceditur.

CAPVT VI.

Sacra Regum Poteſtas, quos divina Vnctio efficit quodammodo Sacerdotes.

Sacerdotes Sacro Oleo unguntur, & hâc ſacrâ Vnctione ad ſummam evehuntur dignitatem, quam nec ipſi Angeli habent, ut ſcilicet Corpus Chriſti, in venerabili Euchariſtiæ Sacramento conficiant. O veneranda, exclamat Auguſtinus, ſacerdotum dignitas! in quorum manibus quotidie Dei filius incarnatut. Hanc non habent poteſtatem Reges terræ, niſi ſint Sacerdotes ſunt tamen Vncti, & Chriſti, & Sacerdotes: magna verò, & propè divina Sacerdotum poteſtas; paternâque in filios auctoritate major; utpotè quæ non corporibus, ut illa ſed animabus imperet. *Quodcumque enim ſolveritis ſuper terram erit ſolutum, & in cœlis; quodcumque ligaveritis in terra, erit ligatum & in cœlis*, ait Dominus Et alibi *Sacerdotium* à Petro *Regale* appellatur; æqualis enim quodammodo Sacerdotum ac Regum poteſtas; qui & Chriſti, ſicut & illi ex ſacra Vnctione vocantur, ſacerdotum unctio ſacratior. Apud Gentiles verò, etiam in corpora Sacerdotes jus vitæ habebant. Nam in Gennania olim nulli verberare, aut vincire, vel animadvertere, niſi Sacerdoti, permiſſum erat. In Meroë verò, Iovis Sacerdotum tanta erat auctoritas, ut non nunquam miſſo nuncio necem Regi Æthiopiæ demandarent, nullo dettectante. Quam in Turcarum Imperatores auctoritatem, penes ſupremum eorum Pontificem adhue reſidere, quidam referunt, nec poſſe illos ſine hujus conſilio aliquid magni momenti aggredi. Apud Ægiptios, ſoli Sacerdotes jura decernebant, publicamque Regni gerebant adminiſtrationem. Hinc Mercurius, Triſmegiſtus, ſive ter magnus appellatus; quòd Philoſophus, Sacerdos, & Rex fuiſſet. Sacerdotis olim apud Romanos inſignia Regia erant, Regiuſque apparatus. Nam & lictor coram ipſo apparebat, curulis Regia ſella, ac lectica inſignis; ad cujus fores pro ſplendore dignitatis, viridis laurus affixa videbatur; veſtis Regia, & Diadema Regium. Vnde Impetatores ſacerdotale munus, non minoti affectu ambire ſolebant, quàm Regiam dignitatem; Tituſque Veſpaſianus Saliorum Sacerdotibus gratias egit, quòd eorum collegio fuiſſet coaptatus. Præclara ergo ſaterdotum dignitas; nec diſpat à regum, quos olim fuiſſe Sacerdotes refert Ariſtoteles, ſupra à nobis adductus. Hi, inquit, Impetium habebant belli & tei divinæ cultum exercebant: nec mirum, cùm divinâ unctione conſecrentur. Sacerdotalem vero Regia ſuperat, apud Chriſtianos præcipuè, quòd penes Reges in ſubditos poteſtas ſit gladii, juſque vitæ & necis, quæ ſacerdotibus denegatur: licet etiam apud Gentiles, ſacerdotes, vitæ neciſque poteſtatem haberent; nam & Reges erant; quia verò Eccleſia neſcit ſanguinem, nec Chriſtus primus Eccleſiæ Chriſtianæ Pontifex, Rexque ipſe Regum, hâc uti voluit poteſtate; qui ad vitam, non ad mortem venerat inferendam; hac de cauſa hanc noluit in ſacerdotibus eſſe Chriſtianis; ſupra Reges tamen in hoc imperant, quòd poteſtatem habeant corpus Chriſti conficiendi, quam Reges non habent, nec ipſi etiam Angeli.

CAPVT VII.

Reges, ſupremi ſunt ſubditorum Iudices, penes quos ſummum jus eſt, ſumma judicialis poteſtas, legumque ferendarum ſumma auctoritas,

Tria Regia poteſtatis præcipua jura refert Ariſtoteles, 3. politic. jus belli, ſacrificij, & judicij. Hi, inquit, Imperium habebant belli, & tei divinæ cultum, & præterea de controverſijs judicabant. Iudicandi enim neceſſitas munus publicum eſt, quod cæteris Iudicibus imponitur à Principe: is autem Iudex populi proprius, & pri-

mus, à quo cæteri pendent Iudices acceptâ omni juriſdictione, & ab eo, ut radii à ſole, ut rivuli à mari procedunt. Reges enim ad hunc finem præcipuè inſtituti ſunt, ut populi controverſias judicio dirimerent; quod cùm per ſe ſoli efficere non poſſent, conſtituerunt judices, ut factũ à Moſe, Hinc qui Iudaïcam Monarchiam regebãt dicti ſunt Iudices; inter quos ſapientiſſimus Samuel ad hoc munus à Deo electus eſt: qui poſtea Reges inſtituit, & unxit. Penes ergo Regem ſumuum jus eſt, ſupremaque juſtitiæ exercendæ poteſtas, à quo Magiſtratus omnes civilis Regiminis creantur, confirmantur, & aliquando à propriis abſolvuntur officiis. Hinc in Gallia mortuo Rege omnia officia, novâ egent Regis ſucceſſoris comfirmatione. Eodemque Regiæ poteſtatis jure ſolus poteſt novos Magiſtratus Regios creare, officia eorum numero augere, juriſdictiones prorogare, vel reſtringere. Regiæ adhuc poteſtatis eſt Leges generales condere, explicare, abrogare: privilegia concedere, & exemptiones, veniamque delictis, & gratiam pænæ largiri: jus enim habet Rex vitæ & necis. Hujuſmodi tamen auctoritas circa leges condendas, vel abrogandas ſic debet intelligi, ut contra jus commune, tam naturale, quàm Divinum, vel Eccleſiaſticum, nec contra leges Patrias, & Regni ad quarum obſervantiam jure jurando ſe adſtrinxit, non ferantur.

CAPVT VIII.

An Reges ſupra leges ſint, vel illis parère teneantur.

SVbrepentibus vitijs in Tyrannidem Regna verſa ſunt, tuncque opus eſſe cœpit legibus, quas & inter initia tulere ſapientes; qui verò leges ferunt, ſciant earum ſe eſſe præſides, & cuſtodes, non infractores. Supra leges non ſunt, qui leges ferunt, ſed illis parère debent. Regere non poteſt, ait Seneca, qui regi nequit. Cæſari ipſi, cui omnia licent, multa non licẽt: omnium domos illius vigilia defendit; omnium otium illius labor; omnium delitias illius induſtria: omnium vacationem illius occupatio. Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum dedicavit, ſibi eripuit; & ſyderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, minus quàm illis licet, nec ſubſiſtere; nec quicquam ſuum facere: inſipientis, imò impij, & Tyranni olim Lyci hæc vox, *omnia mihi licent, quod Iovi*, id eſt Deo, *hoc mihi licet.* Verùm etſi licerent, non tamen expedirent. *Omnia mihi licent*, ait Apoſtolus; *ſed omnia non expediũt.* Principes, ut cap. ſeq. declarabimus, Dij quidam ſunt viſibiles, ac Dei loco in terris, à quo regna habent poteſtatem; ut Pilato Chriſtum judicanti Chriſtus objecit: non alio animo, ait Seneca, de clementia c. 19. Populus Rectorem ſuum intuetur, quam ſi Dij immortales poteſtatem viſendi ſui facerent. Quod & ſacræ paginæ teſtantur in pſalm. Ego dixi: *Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Verùm hoc audiant; *vos tanquam homines moriemini.* Sed Deus nihil contra leges, quas tulit, facit. *Fata ſequuntur, qui fata regunt.* Reges ſubditis bonorum operum exempla præbere tenentur. Reges ſubditorum Duces ſunt; Legum ergo æquarum obſervantiâ præire debent. Legibus ergo ſubditi ſunt, non quoad vim coactivam, ſed directivam, quas pro ratione temporum poſſunt mutare, & aliàs ſtatuere.

CAPVT IX.

Reges ſecundarij quidam, & terreſtres Dij, per participationem, non per eſſentiam, viva ſummi numinis ſimulachra, & imagines; quare divina propemodum illorum poteſtas.

EA eſt mortalium vanitas, ut ſe plus æquo cæteris vaniſſimâ Philaütiâ præferentes, ſemper plus de ſe, quàm in veritate ſit, opinentur, nec unquam ſuâ ſorte contenti, majora deſiderent, humanamque conditionem ſpreti divinam æmulentur majeſtatem. Hinc Reges olim apud Gentiles, ut Dij haberi voluerunt; & revera ut Dij culti infami Populorum ſuperſtitione, & adulatione. Clearchus, Ponticus factus Heracleotarum Tyrannus, divinos ſibi honores uſurpavit, veſtes Deorum induit; ſibi ſacrificia offerri permiſit; filium ſuum *Ceramunion*, id eſt fulmen appellavit. Alexander vanâ oraculi pronuntiatione, qua *παιδίον* fuerat appellatus, (vox ambigua, quæ filium Iovis, & pulchrum ſignificat) Iovem, Hammonem, abdicatis propriis parentibus, Patrem aſcivit, Simile quid Antiochus affectaverat, ſed divinâ plagâ percuſſus, & ex ſuperbia ad cognitionem ſui venire coactus; cùm nec fœtorem ſuum ferre poſſet, ait: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*: Quod & Alexander tandem agnovit, cùm accepto in brachio vulnere, cruoreque inde effuſo, mortalem ſe eſſe confeſſus eſt. Nulla ergo Regibus vera ineſt divinitas, ut pote qui mortales ſint; Verùm inter homines ſpeciali Dei munere, ipſius in terris vices gerunt, ſummi numinis viva ſimulachra in quibus tanquam in imagine, ſuprema illius majeſtas emicat, ex conceſſæ, divinituſque illis traditæ ſupremæ in homines poteſtatis privilegio, quâ jus vitæ, neciſque habent. Quare, ut quidam Dij ſecundarij & terreſtres à ſubditis flexis genibus adorandi. De illis enim divinus hic ſermo legitur. *Ego dixi; Dij eſtis.* Vnde de divinis illis honores delatos apud antiquos ex Hiſtoriis diſcimus. Divinitatem Trajano Plinius concedit; reſponſa illorum Oracula appellantur; Regia illorum domus templum vocatur, cubiculum ſacrario: ſceptrum fulmini, vox tonitruo, aſpectus, fulguri comparantur. Sacrilega tamen hæc, & Tyrannica Lyci Reguli vox apud Tragicum: *Quod Iovi, hoc Regi licet: Iovi dediſti conjugem, Regi dabis Senec. in furente* ſupremum enim in homines etiam in ipſos Reges, tam dominii, quàm juriſdictionis, Dei ſolius Imperium eſt, cui Reges ipſi, ut viliſſima mancipia ſervire tenentur: Regis autem in ſubditos paterna eſt, non deſpotica potentia.

Magna ergo Regum dignitas, ſed tremenda, ad quos Regius Vates pſal. 2. *& nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore, apprehendite diſciplinam nequando iraſcatur Deus & pereatis via juſta.*

CAPVT X.

CAPUT X.

Regis in ſubditos poteſtas, ut Patris in filios, non ut Domini in ſervos, quos civiliter, & regiè, non tyrannicè & deſpoticè regere debet.

REfert Suetonius ante paucos, quàm Auguſtus naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publicé, quo portendebatur Regem populo Romano naſciturum: Senatumque exterritũ cenſuiſſe, ne quis eo anno genitus educaretur. Portentoſa ergo res eſt Rex, quam ut monſtrum Romani metuebant: adeò Regiam dignitatem exoſi, ut expulſis Tarquinijs, lege cautum fuerit, ne quis impoſterum hoc nomen ſibi vſurparet; ne quidem apud illos audiretur; ſine dubio, quia Reges antea non regiè, ſed tyrannicè: Non ut Patriæ parentes, ſed ut Domini Romanis tanquam viliſſimis mancipijs imperaſſent. Hinc Octavius Auguſtus, ne populi Romani in ſe odiũ concitaret: abſtinuit ab hac Domini appellatione. Domini, inquit, Suetonius, appellationem, ut maledictum, & opprobrium ſemper exhorruit; cùmque ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet à Mimo, ò Dominum æquum, & bonum, & vniverſi, quaſi de ipſo dictum exultantes comprobaſſent, ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit, ſequentique die graviſſimé corripuit, ſeque Dominum poſthac appellari, ne à liberis quidem, prohibuit nec immeritò. Domini quippe nuncupatio, Tyrannicum, vel Deſpoticum in ſervos Imperium ſonat quod paterno filiorum regimini adverſatur; qualis eſſe debet Regia gubernatio. Forſitan tamen poſſet defendi jus heriſe Monarchię, & poteſtas deſpotica; ſi quando juſto bello ſuperati fuerint ſubditi. Nam tunc ex ſola Victoris miſericordia hoc habent, ut & virâ, & libertate, boniſque fruantur Quare idem in hoc caſu, ferè jus penes Regem eſſe videtur, ac Domini in ſervos, quibus vitam ſervavit.

CAPVT XI.

An privata omnia ſubditorum bona, fama, libertas, facultates, ipſa etiam vita Regij juris ſint?

H*Oc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis*, ait Dominus ad Iſraël qui Regem petierat *Reg*. 8. *filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi Tribunos, & Centuriones, Oratores agrorum ſuorum, & Meſſores ſegetum, & fabros armorum filiaſquoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas agroſquoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis,*

Ex quibus divini eloquii verbis innui videtur, quòd privata omnia, propriaque ſubditorũ bona, fama, libertas, facultates, ipſa etiam vita, Regis juris ſint, lege nedum civili, ſed etiã divinâ, quibus ipſe pro arbitrio uti poſſit; eaque ad ſui placitum ſubditis auferre poſſe, vel concedere. Quod certè veriſſimum exiſtimo, & æquiſſimum, vbi publicæ vtilitatis ratio id exigit, bonum enim commune, diviniſſimum eſt, cui bona omnia privata cedere debent, & ad illius conſervationem impendi. Nobis non nati ſumus, ſed Patriæ, pro qua & occumbere ſumma gloria ſumma libertas eſt. Quare & pro Regis incolumitate, qui totius Regni regimini, & conſervationi incumbit, ſubditorum bona, fama, libertas, facultates, quies, ipſaque vitæ præſentis vſura libenter offerenda ſunt. Quod & lepidé declarat Seneca, lib. de clemen. c. 3. illius inquit, nempe Imperatoris magnitudo ſtabilis, fundataq; eſt quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniverſorum quotidie experiuntur. Quare libenter objiciunt ſe pro illo mucronibus inſidiantium: paratiſſimi & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Nec hæc vilitas ſui eſt, aut dementia, pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam redimere nonnunquam ſenis & invalidi vitã ſuã regi; in hoc totiuſq; Regni incolumitatem amant: Nec inde ſequitur tale penes Regem in ſubditos jus eſſe, vt pro libito, contra jura, legeſque patrias cuncta illorum bona diripiat: hoc enim Tyrannicum eſt, Regumque inſtitutioni contrarium, qui populorum conſenſu electi ſunt ad conſervanda cuique rerum dominia, & libertatem perſonarum; & eò quoque pertinet poteſtas à Deo illis conceſſa, quæ nõ ad violandos ſubditos ſed tuẽdos data eſt. Sunt tamen alicubi hodie Regna, in quibus ſubditi non poſſident pleno jure. ſed veluti titulo locationis, & ad vitam à manu Principis, agros: ut apud Turcas, & in Regno Peruano.

CAPVT XII.

Poteſt Monarcha tum jure divino, tum humano tributa, vectigalia, ſubſidia à ſubditis exigere pro publica, & privata etiam vtilitate.

ANtiquiſſima, & ipſi primæ Regum in toto orbe terrarum Creationi & inaugurationi coæva fuit conſuetudo, ut ſubditi nedum jure belli, ſed jure electionis, vel hereditariæ ſucceſſionis ſuis Regibus tributa, vectigalia, aliaq; ſubſidia ſolverent; quod & leges, nedum humanæ, ſed & divinæ ſanciunt. Congregati vniverſi filij Iſraël, qui ſub Regimine Iudicum poſt mortem Moſeos vixerant, venerunt ad Samuëlem, qui populum judicabat, & dixerunt; *Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis Regem, vt judices nos, ſicut & vniverſa habent nationes, & egredietur ante nos, & pugnabit bella pro nobis: diſplicuit ſermo in oculis Samuëlis, & oravit ad Dominum: dixit autem Dominus ad Samuelem: audi vocem populi: non enim abjecerunt te, ſed me, ne regnem ſuper eos. Hoc erit jus Regis quem petunt, ait Deus ad Samuelem: ſegetes vestras, & vineas, & oliveta, & vinearum reditus addecimabit &c.* 1. *Reg.* Quod Politia Chriſtiana non damnat, ſed potius approbat, & confirmat: cùm enim Pharizei tentantes Chriſtum ab eo petiiſſent Math. 22. Num æquum eſſet dare cenſum Cæſari? reſpondit Chriſtus, reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & *quæ ſunt Dei, Deo*: quod proprio Chriſtus confirmavit exemplo, non abſq; miraculo: quando ex ore piſcis Petrus tulit didragma pro ſolutione tributi: ſed & Paulus ad Roman: 13. *reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, ve-*

Ʋectigal, cujus optimã hanc ſubiicit rationem; *Date tributa, quia Dei Miniſtri ſunt, & pugnant pro vobis & gladium portant, ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*: ratio enim naturalis æquitatis id poſtulat vt à ſubditis inveniur, qui pro ſubditorum ſalute, onera regia portant.

CAPVT XIII.

Quæ bona propriè dicantur Regalia, ſive Regij juris.

QVædam Regalia bona, ſive Regij juris propriè eſſe dicuntur, quorum Rex verus eſt Dominus: nempe primò, ea omnia quę ſub ejus dominio erant, antequam ad Regnum eveheretur, vel ad Imperium, vt Imperatori ducatus Auſtriæ, qui familiæ Auſtriacę ditioni prius addictus fuit. Secundò, quę publica dicuntur, & ad Remp. ſpectant: hęc enim conſenſu Populorum in Regem tranſlata ſunt. Tertiò, Tributa, Vectigalia, Subſidia quę à ſolo Rege in ſuo Regno à populis exigi poſſunt. Quartò confiſcationes. Quintò, ædificia publica, ut armamentaria civitatum, muri, vię publicæ, quę Regiæ vocantur, diſtinctę à privatis, agrarijs, & vicinalibus; inventa in viis publica, & pro derelicto habita, Theſauri abſconditi, & omnia bona, quæ nullius Domini ſunt, quæ ἀδέσποτα appellantur: flumina navigabilia, eorumque Portus & ripæ, Naviumque ſpolia, quę naufragio periere. Ex cōceſſione verò ſummorum Pontificum Reges Galliæ jus habent in bona Eccleſiaſtica, ut ex illis decimas exigant, & beneficia conferant.

CAPVT XIV.

Alia Regia poteſtatis jura & quidem primò de jure gladij, ſeu necis, & belli.

PRoprium Regum officium eſt, ait Hieronymus, facere judicium, juſtitiam ſervare, & oppreſſos de manu calumniatorum liberare, furta cohibere, impios de terra perdere, quæ omnia ſine gladii poteſtate exequi non poſſunt. Ius ergo ſolius Regis in ſuo Regno eſt, gladium habere, tùm adcomprimendam improborum contumaciam, in quos jus necis habet, pœnarum inflictione; tùm adrepellendos hoſtium extraneorum impetus, quod facit, bello illis indicto. Quare nullus ſine ejus licentia arma deferre poteſt, & ad illum ſolum modo ſpectat bellum gerere, militum copiam colligere, & exercitum cogere; quia ad illum ſpectat publici cura regiminis, & Reipublicæ deſenſio, quæ armorum præſidiis maximè conſervatur. Unde Reges, duces appellantur, & Imperatores, eo quòd exercitus ducant, & militibus imperent; à quibus denique pendent omnes exercituum Præfecti: ideo faſces olim cum ſecuribus Imperatores præcedebant, quibus jus vitæ, & necis ſignificabatur.

CAPVT XV.

Penes Regem ſpectat publicos honores decernere, Nobiles, Comites, Duces &c. creare.

DIgnitas, ait Ariſtoteles, 4. eth. ad extranea bona dicitur; quorum maximum id eſſe ſtatuimus; quod Diis attribuimus; quodque maximè appetunt; qui in dignitate conſtituti ſunt; quod item ob præclariſſimas res dari in præmium conſuevit. At hujuſmodi eſt honor, externorum enim bonorum id maximum eſt. Honores, inquit Gellius, ſunt veluti ſigna eorum, quæ veneranda, & honoranda ſũt, Reip. rectæ gubernationi vtiliſſimi, veluti præmia quædam, & aculei, qui animos ad virtutem, cujus honor præmium eſt, impellant: & in laboribus deſides, & torpentes excitent. Honores alij privati, qui privatis; alij publici, qui publicis perſonis & in dignitate conſtitutis maximè debētur: ut ex eo ſibi majus onus impoſitum noſcant, & honorantium judicio reſpondere ſatagant. Honores enim honorant, & onerant: viciſſimque onera onerant, & honorant. Quare publici honores, ſive dignitates magnanimis, & virtute præſtantibus, habitâ meritorum ratione, diſtribui debent in Rep. bene ordinatâ, quæ diſtinctione ordinum, & graduum ſummoperè refulget; Reſp. enim prœmio & pænâ conſervatur: & hi ſunt Dij; ut Empedocles finxit, qui humanæ & civili ſocietati pręſunt. Honorat Deus, quos vult ſuâ propriâ gratiâ, juxta illud: *Ego glorificantes me glorifico, & qui me contemnunt, erunt ignobiles*: Deus totius fons honeſtatis, & dignitatis, honeſtiſſimus, & digniſſimus; *in cuius manu divitiæ, & gloriâ, qui ſuſcitat à terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus populi ſui*: Quare ſolus propriè, & per ſe primò homines poteſt cohoneſtare, Quia verò Reges Dei in terris vices agunt, pulcherrima illius ſimulachra, hanc ab illo poteſtatem mutuarunt, vt & ſubditos, variis honorum titulis inſignire poſſint. Penes ergo illos ſummum illud jus eſt, ex ignobilibus nobiles creare; militię cingulum tribuere, quo olim milites præcincti, à publicis Tributis eximebantur, Barones, Comites, Marchiones, Duces & vtriuſque Militiæ Equites inſtituere, dignitates & Magiſtratus, imò ex ſacræ ſedis privilegio beneficia Eccleſiaſtica conferre.

CAPVT XVI.

De Origine, & fine Regni, ſive Monarchia.

MOnarchiæ originem, quidam in Nemroth, qui Babylonios vi ad obtemperandum ſubegerit, ideòque in ſacra Hiſtoria Venatorem robuſtum; hoc eſt, Principem appellatum referunt. Sed ille Tyrannus potius fuit, quàm legitimus Monarcha. Antiquior fuit Monarchia, ipſius ferè mundi exordio coæva. Adam enim primus fuit verè Monarcha, qui ſolus & primus toti orbi imperavit, juraque & leges poſteris ſuis dedit. Ius autem regnandi à Deo ſupremo omnium Monarcha acceperat, qui Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium, totiuſque Monarchiæ Origo, exemplar, & finis, *Tecum Principium*, canit Regius Vates, alia lectio habet: *tecum Principatus*: id eſt juxta Chriſoſtomi mentem in tua ſubſtantia, in tua eſſentia: non extraneus, ſed innatus; non adventitius, ſed naturalis, non accidentarius, ſed ſubſtantialis. Deus enim ſuum eſt eſſe, ſua Potentia, ſuum Regnum. Vnde ait: *in femore meo ſcriptum eſt, Rex Regum, & Dominus Dominantium. In femore*, hoc eſt, in ſubſtantia. Deus cum à ſeipſo habet, quòd in om-

nibus regoet: à nullo tegnandi poteſtatem mutuat, qui ex ſeipſo, & pet ſe, ipſum regnat, & à quo & per quem, & in quo omnes regnant. *Per me*, inquit, *Reges regnant, & juſta decernunt.* Deus ergo primus eſt totius tam Angelicæ, quàm humanæ Monarchiæ auctor; à quo Adam primus Regiam accepit poteſtatem, & ab illo in poſteros emanavit vſque ad diluvium. Poſt diluvium à Noëmo ad filios qui Turre Babylonicâ incoatâ, nec perſectâ, terratum orbem in varia regna partiti ſunt. Quare veriſimile eſt Monarchiam Chaldæorum, ſive Babyloniorum primam omnium fuiſſe, quæ ad Aſſyrios jure belli tranſlata eſt. Hujus verò primus Monarcha Ninus habetur, cui Semiramis ejus mater ſucceſſit. Ab Aſſyriis ad Græcos; à Græcis ad Romanos. Et hæ quatuor primæ, & antiquiſſimæ fuere poſt diluvium Monarchiæ, quatuor beſtiarum apud Danielem, & Nabuchodonoſoris ſtatuæ, aureæ, argenteæ, ferreæ, fictilis typo adumbratæ, Tempore verò Aſſyriorum cœpit Iudæorum Regnum in Iudea ſub Moyſe, vſque ad Chriſti Natalitium, quo finem habuit.

Finis verò Monarchiæ non conſumptionis. ſed perſectionis, præter communem illum totius civilis ſocietatis, nempe benè, & ſufficienter vivere, proprius eſt, vtilitas communis: Rex enim à Tyrãoo primùm differt, quod propriam iſte; ille ſubditorum per ſe primò intendat vtilitatem. Secũdò, Rex conſenſu Populorum juxta leges imperat. Tyrannus contra fas inviris, 3. Rex inſtiturus eſt, vt paci & tranquillitati Regni provideat, Regnum enim, ut lepidè Ariſtoteles 5. politic c. 7. ad bonorum perfugium, & adverſus populi injuriam præſidium comparatum eſt; Quare duo præcipua ſunt Regis munera ſubditos regere; & hoſtes expugnare: quorum primùm juſtitiâ, ſecundùm, virtute bellicâ complet.

QVÆSTIO SECVNDA.

TITULI, QUIBUS JUS regnandi acquiritur.

FEcit Rex Salomon Tronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus &c. 3. Reg. 10 *variis gradibus, ceu viis ad Regiæ poteſtatis faſtigium pervenitur; Electione hæreditariâ, ſucceſſione, emptionis, vel permutationis contractibus, jure belli; Et hi ſunt Tituli, quibus jus ad Monarchiam acquiritur: de quibus ſigillatim pauca delibanda occurrunt.*

CAPVT I.

De Titulo Electionis.

PRimus, omniumque antiquiſſimus Titulus, quo ad regiam dignitatem jus acquiritur, viaque patatur, videtur eſſe Electio. Cùm enim æquales natura homines fecerit, nec par in parem habeat Imperium; jure tamen civili, politica hominum ſocietas ex multis conſtet, quorum alii imperare debent; alij parère, æquum fuit, publicæque paci. valdè conſentaneum, ut communi hominum conſenſu ex omnibus aliqui eligerentur, qui cæteros vel regiè, ut in Monarchia; vel civiliter, ut in Ariſtocratia, vel populariter, ut in Repub. gubernarent. Abſque enim populorum conſenſu. vel ſpontaneo, vel quoquo modo libero nulla poteſt eſſe in ingenuos & liberos recta dominatio. Liberè ergo populi Reges communi ſuffragio elegerunt, tranſmiſſâ in illos pleniſſimâ regiminis potentiâ, ut apertè teſtatur ſacra Regum Hiſtoria, vbi Iſraëliticus Populus importunè à Samuële Regem petiit; dicens 1.Reg c. 8. *Rex erit ſuper nos: & erimus nos quoque ſicut omnes gentes; & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis*; quæ duo ſunt propria Regis munera, nempe populos rectè judicare & pro illorum tutela ſtrenuè pugnare, quorum primum pacis, ſecundum belli tempore exercet. Vbi adverte cum Suare Regem à populo Iudaïco poſtulari, à Deo deſignari, à Samuële Sacedote conſecrari; ſed prius à Populo electum, & approbatum. Idem de electione & conſecratione Davidis in Regem contigiſſe refert ſacra eadem Hiſtoria. Ex quibus patet Iudaïci Imperii poteſtatẽ Saüli & Davidi iure electionis populorumque conſenſu fuiſſe delatam, quæ poſtea iure hæreditariæ ſucceſſioois in poſteros emanavit. Nullis enim invitis regiè imperatur, Regnum enim civile eſt Imperium in liberos & ingenuos; quale patris in filios, non ut Domini in ſervos. Quare prærequitur ad illud ſpontaneus Populorum conſenſus, qui liberâ electione innoteſcit.

CAPVT II.

Varia Electionum Genera.

VAriis autem modis Regum electiooes fieri ſolent, Primò, divinitùs, cùm cœleſti quodam ſigno innuitur talis à Deo ad regnandum electus, & deſignatus: quomodo Plinius in Panegy. refert Traianum divinitùs inter aras, & ſacrificia fuiſſe electum; ſic apud Æthiopes, qui poſt longam Bacchantium more, corporis rota-

tiouem à Deo deſignabatur, Rex fiebat: præ cæteris vero à Deo Moyſes Rex fuir electus cui Virga pto Sceptro ſuir tradita: hâc viâ Saül & David, ad Regoum pervenere ſecundò: ſortibus, & caſu; ſortibus quidem, cùm ſchedulis, vel globulis in utnam projectis quibuſdam characteribus ſiguatis, qui Regiam extrahebat, ille Rex communi omnium conſenſu eligebatur. Quomodo Nohemum refert Hebræorum traditio, nullis ſortibus nepotibus orbem diſtribuiſſe: & hodie apud Venetos Magiſtratus à Senatoribus ſorte conferuntut; ſoitibus etiam Saülem in Regem fuiſſe electum ſacra teſtatur hiſtoria: *cecidit*, inquit, *ſors ſuper Saul filium Cis.* Caſu verò, ſicut de Dario refert Herodotus, cùm enim poſt diuturnam de Rege eligendo riaam conveniſſent Regni Perſarum Proceres, ut cujus equus ſub ortu ſolis primus hinnitum ediddiſſet; is Cambiſis Regnum obtineret; accidit, ut Darii equus primus hinnierit; quare ab omnibus Rea fuir proclamatus. Alius longè rationabilior huiuſmodi electionis modus occurrit, nempe, ut coactis Regni Comitiis communi omniuio, vel majoris, & ſanioris partis ſuffragio Rex ad Regnum evehatur; qui mos hodie apud Imperii Electores, ubi Imperator, & io Polonia, ubi Rea, & Romæ, ubi Summus Pontifex eligendus eſt, obſervatur; & hoc electionis genus maximè liberum eſt. Aliud verò eſt minus libetum; quando vel lege, vel moribus receptum eſt, ut ca certis fiar tantum electio, & juxta formam conſueram: ut olim Carinthiorum Archidux, non niſi agricola eligebatur. Quare Novus Princeps non niſi ruſticis veſtibus indutus, & io pratis ruſticotum turbâ circumdatus Princeps eligitut, ut refert Æneas Sylvius.

CAPUT III.

Qui ad Regnum debeant eligi.

SUpra pueros, amentes, mente infirmâ, ſpurios, ſervos, ſacrilegos, juata Patrias alicujus regni leges, Salicam nempe apud Gallos fœminæ à publico Reipublicæ regimine, ſaltem actuali capulimus; quare etiam à regni adminiſtratione; maximè ubi Reges jure electionis Sceptrum poſſident, procul eliminandi ſunt. Dixi maaimè ubi Reges eligi ſolent. Nam ſcimus in regno hæreditario pueros, mente parum firmâ parentibus in regno ſuccedere. Io Regnis verò electivis tales eligi non debent; quia eligendi ſemper ſunt meliores, vel ad mions qui ad Reipublicæ regimen apti ſint. Pueros verò, amentes, ſervos, fœminoas, & ſacrilegos, vel omnino ineptos, vel parum aptos ad Reipublicæ adminiſtrationem eſſe nemo inficiabitur. Circa ſacrilegos, hæreticos, & idolatras adhuc diſtinguendum; Nam apud Barbaros, & iufideles, ab infidelibus, qui ejuſdem ſuperſtitionis ſint eligi poſſunr; ſicut & parentibus in regno ſuccedere, nec Tyrannicè, ſed æquo jure, tum naturali, tum civili ſubditis ſuis imperant: ſecus inter Chriſtianos, qui Chtiſticolas eligere debeut, ejuſdemque veræ religionis cultores. Spurios tamen imò & ſervos, fœminaſque ad imperandum electas olim apud Gentiles fuiſſe hiſtoriæ teſtantur. In Meroë eligebautur qui prævalido corpore cæteris anteſtarent. Gordij Regem obeſum, præpinguem eſſe volebaur; quòd ex corporis mole animi indolem disjudicarent. Apud Medos, niſi qui viribus excelleret, præcipuoque corpore cæteris emineret, jure gentis nemo Rex eligebatur. In Lybia ſolùm qui citiſſimo curſu valeret. Apud Catheos indicam gentem, qui inſigni corporis formâ cæteris anteiret. Æthiopes qui opibus, & robore præcelleret. Sabæi, non niſi nobiliſſimos. Sidonij non niſi Regia Stirpe natos. In Taprobane, ſoli illi, qui filios non haberent. Apud Perſas, ſoli qui magnorum diſciplinis imbuti, & qui ea legitimo conjugio orti eſſent. Apud Germanos ſoli nobiles, & virtute præſtantes ad regnum promovebantur. Sironorum Gentious apud Suevos vetuſto more, non viri, ſed fœminæ imperabant. Apud Ægiptios ſoli Philoſophi, & Sacerdotes. Verùm hæc erit rectiſſima electionis methodus ut ſemper viri, tùm nobilitate; tùm animi magnitudine, tùm virtute; præcipuè verò ſummâ prudentiâ, & in rebus gerendis ſolertiâ, juſtitiæ, & religionis zelo præcelleotes eligantur. Er ad hoc ſummoperè ſanguinis nobilitas, formæ decus, corporis, vultuſque majeſtas, ſermonis facundia juvabunt; ſicut & divitiarum copia, & potentia ne tanto oneri impares ſiot.

CAPUT IV.

Qui & quales eſſe debeant Regum, & Imperatorum electores.

APud Ægiptios à ſolis Sacerdotibus Reges eligi mos antiquus fuit à quibus poſt modum ungebantur, Quod & apud Hebræos factitatum ſacra refert hiſtoria. Samuel enim Saulem primò, deinde Davidem Reges videtur elegiſſe, quos poſtea, conſecravit: verum communior eſt ſententia à Deo primùm deſiguatos & à Populo electos, à Samuele Sacerdote poſtmodum fuiſſe, conſecratos. Romulus à Paſtoribus Rex fuit proclamatus: quem morem Carinthij olim obſervabant, apud quos Archidux ab Agricolis eligebatur. Romani olim Imperatores à militibus proclamabantur. In Germania Imperator à ſeptem ducibus, vel cominibus Sacri Imperij electoribus hodie eligitur. Iu Polonia ea triplici civium ordine inſigniore, ad Generalia comitia deputati Regem eligunt. Apud Thraces, ut refert Solinus, in Regis electione non oobilitas prævalet, ſed ſuffragium univerſorum. Populus enim eligit ſpectatum moribus, & inveteratâ clementiâ, & annis gravem; ſed hoc in eo quæritur, ut illi liberi nulli ſiot. Nam qui pater fuerit etiam ſi virtute polleat, non admittitur ad Regendum; & ſi fortè dum regnat, genuerit, exuitur poteſtate. Neceſſarium ergo eſt, ad utilitatem Reipublicæ, perſonas dignitatibus aptas eligere, ut quibus juſtiria committitur, malis moribus non graventur, air Caſſiodorus. In electionibus verò, nec ſanguinis propinquitas, nec favor principum attendenda ſunt, ſed ſola æquitatis ratio, & Imperij utilitas, ſeu ſalus publica.

CAPUT V.

De Iure hæreditario ſucceſſionis in Regno.

ALiâ viâ ad Monarchiam, ſive Principatum itur; nempè hæreditariæ ſucceſsionis; cùm filius, vel nepos, vel conſanguinei, & qui ejuſdem familiæ ſunt, Regiique ſangninis, parentibus in regno ſuccedunt: & hic ſecundus eſt titulus, quo jus ad regnandum acquiritur. Filius enim jure

jure hæreditario bonis paternis ſuccedit, tùm lege naturali, tùm jure civili; tùm divino, tum humano; juxta illud Apoſtoli, *ſi filius, & hæres.*

Antiquiſſimus, primuſque omnium hic regnandi titulus, juri naturali maximè conſentaneus, & in Regia Politia magis uſitatus.

ANtiquiſsimum, primumque omnium regnandi titulum hunc exiſtimo, ipſaque electione, quamvis vetuſtiſsimà priorem. Quod ex hoc primum colligo; quia, ut ſupra oſtenſum eſt, Regia poteſtas à domeſtica originem habuit. Regnum enim nihil aliud eſt, ait Ariſtoteles, quàm magna domus; ſeu familia; ſicut Domus parvum eſt Regnum; nec diſpari modo Rex ſubditos regere debet, quàm pater filios. At in Domeſtico, ſive œconomico regimine filius patri ſuccedit, bonorum omnium illius hæres, jure quidem naturali, & divino. Ergo & filius in Regno, cujus familia origo, & exemplar eſt, patri debet ſuccedere; niſi patriæ leges repugnent, ut in Regnis Electivis. Quare veriſimillimum puto, propagatà hominum ſocietate, cùm ex variis familiis, vici; ex vicis, pagi; ex pagis, civitates; ex multis civitatibus Coloniæ & Provinciæ, ex multis Provinciis Regna conſtituta ſunt, ſucceſsivè filios, filiorumque nepotes in Regno ſervato hæreditariæ ſucceſsionis ordine parentibus ſucceſsiſſe; donec vel defectu hæredum, ex communi populorum conſenſu, electio introducta eſt, vel vi armorum Ius regnandi ad Victorem delatum eſt. Quod patet ex catalogo Regum antiquiſsimarum Monarchiarum; quales fuere Chaldaica, Aſſyria, Græca, Romana: in quibus filij, tam naturales, quàm adoptivi, filiorumque nepotes continuatà hæreditariæ ſucceſsionis ſerie, parentibus, avis, & proavis ſucceſſère. Secundò id colligo ex jure naturali, cui hæreditaria ſucceſsio maximè conſentanea eſt. Iure enim naturali filius patri in ejus bonorum poſſeſsione ſuccedit; quia filius patris quædam portio eſt, ipſiuſque naturalis, vivaque imago: qui pro una perſona cum patre in jure civili cenſetur, eumque repræſentat; in quo denique pater poſt fata quodammodo reviviſcit. Cùm ergo domus Regno ſit antiquior, & ex domibus facta ſint Regna; in Domeſtica verò Politia, patri filius ſuccedat jure naturali: Patriarchæ autem (id eſt plurium filiorum, & nepotum parentes) Reges tandem evaſerint (ut de Adamo conſtat, qui nongentis annis vixit, ſuæque familiæ propagationem uſque ad pluſquam centum generationes vidit) æquiſsimum fuit, jurique naturali, maximè conſentaneum, ut filii parentibus in Regno ſuccederent. Tertiò, ad hoc credendum adducor ex hoc quod hic regnandi modus, ſcilicet jure ſucceſsionis magis inter homines ſit uſitatus. Plures enim fuere Monarchiæ, & adhuc ſunt, & erunt, in quibus filii in Regno parentibus ſuccedunt, & hoc titulo jus ad regnandum aſſequuntur, quàm titulo electionis. Imò apud Gentiles, ubi electio vim habuit, adhuc quædam hæreditariæ ſucceſsionis ſpecies videbatur. Nam apud Lacædemonios ſoli illi, qui ex Heraclidarum genere erant, eligebantur, aut ex Euriconitidis, & Ægidis familia; vel ex ſtirpe Procli, & Euriſthenis prognatis Herculis. Sic in Papho ex Ciniraſorum gente, & Athenis ex Ericthei ſtirpe. In Ionia niſi ex Codri progenie fieri Rex nemo poterat, & apud Mileſios niſi ex Scamandri Hectoris filii, & Aſcanii Æneæ. Idem apud Marcomanos (ex quorum genere Turcæ) & Quados, ex Marobaudi, ex Thudri genere; Perſici quoque Reges ex Archemenidarum familia ſoli fiunt, & apud Siculos ex Teline prognati. Corinthi Bacchiadum familia annis ducentis imperitavit. Sic Imperatores non ſemel ex Auſtriaca familia eliguntur, ſicut Reges Poloniæ ex familia Guſtavorum. At quæ communius, & frequentius fiunt, ad naturalem ſtatum propinquius, accedunt; quia natura eadem in omnibus; juſque naturæ apud omnes idem eſt. Quare antiquiſsima eſt hæc regni adipiſcendi via, juri naturali magis conſentanea, & in Regia Politia magis uſitata, ut patet in Galliæ florentiſsimo totius orbis Regno.

CAPUT VI.

Qui debeant in Regno Regibus parentibus ſuccedere.

NAtura in omnibus ordinem quemdam obſervat, quo pulchrè emicat. Cùm ergo ſucceſſio ad Regnum, juris ſit naturalis, non indiſcretè, & confuſè, ſed ſervato quodam ordine fieri debet, ut prius primogeniti, ejuſque nepotes, qui avos repreſentant, parentibus in Regno ſuccedant. Quia verò uno avulſo, non deficit alter; mortuo ſine liberis primogenito, ſecundus natu; quo ſine prole ſublato, ultimus. Huic ſine poſteritis extincto, nepotes, vel conſanguinei; maximè in Regno, ubi lege Salica fœminæ à Regno excluduntur. Ubi verò fœminæ jus regnandi habent, viri fœminis ſemper præferendi, ſpurii jure tàm naturali, quàm civili, tàm humano, quàm divino ad Regni hæreditatem, non minus quàm ad paternam jus non habent quia ex illicito concubitu procreati. Regum primogeniti etiam pueri, imo poſthumi jus regni non amittunt; nec etiam in Gallia muti, ſurdi, & qui mente parùm firmâ ſunt; quibus tamen tutores, qui & curatores præfici debent, qui Regni adminiſtrationem gerant, donec ad annos pubertatis venerint, & ad ſaniorē mentem redierint. In Gallia Reginæ viduæ Pupillorum Regnum adminiſtrant. In Hiſpania, Suecia, & aliis Regnis, fœminæ parentibus in Regno ſuccedunt. Et hæc juris naturalis ſunt, & civilis. Pueri à Regno excludendi minimè ſunt: quia ſi filii, & hæredes. Sapor Perſarum Rex in utero matris fuit coronatus. Claudis, ſurdis, cœcis, & aliis hujuſmodi corporis vitiis affectis jus Regni auferri non debet. Philippus enim Rex Macedoniæ Monoculus fuit: ſicut & Lycurgus Lacædemoniorum Legiſlator; Ægipti Rex Seſaris cæcus ſapientiſsimè Regnum adminiſtravit. Poteſt & mente captis jus Regni conſervari, dummodo ſapientiſsimi Regni adminiſtratores inſtituantur, tùm quia poſſunt ad ſanam mentem redire; tùm quia & filios prudentiſſimos procreare: & maximè, ne fiat aliqua in Regno mutatio, quæ Reipublicæ tranquillitati ut plurimum nocet. Nec iniquum eſt, fœminas regnare, licet ſexus ſint infirmioris, & ad civile regimen minus quàm viri aptæ. Inventæ quippe ſunt, quæ animi virtute, & ſapientiâ viros ſuperarent. Quare, ubi patriæ leges non adverſantur, parentibus in Regno poſſunt, & debent ſuccedere: quia ſi filiæ, & hæredes. Spurios dumtaxat à Regni ſucceſſione eliminamus. Quamvis & aliquando parentibus ſu-

ceſſiſſe, vel patrum ultima voluntate, vel communum populorum ſuffragio; vel jure belli; ob præclaras tum animi, tum corporis dotes, fides ſit apud hiſtoricos. Iephte ſapientiſſime Iſraëliticam Rempublicam, Canon Athenienſem, Remus & Romulus Romanam, Guillelmus Dux Normanniæ Augliam gubernarunt, qui ſpurii fuere. Periculoſæ tamen ſunt hujuſmodi ſucceſſiones, & electiones; etenim plerumque nothi audaciſsimi ſunt, & ad vitia paterna proclives. Apud Sirones Suevis, & Germanis finitimos, vetuſto more, non virum, ſed fœminam imperare licebat. Aliquando etiam minores natu primogenitis; nepotes filiis; conſanguinei nepotibus: adoptivi naturalibus filiis: extranei proximis confuſo hæreditariæ ſucceſsionis jure naturali, ſolâ teſtatoris Regis voluntate, quæ ſucceſſores hujuſmodi regni declaravit; vel ex conſenſu populorum, vel vi armorum ſucceſſerunt. Sed illa potius electio magis tyrannica uſurpatio, quàm vera dici debet ſucceſsio. Filii enim jure naturali, & ſanguine proximiores ſuccedere debent. Natura enim ita ordinavit, ut qui ex eadem ſtirpe, ſunt ſibi ſuccedant; ſic ex radice truncus; ex trunco frondes, ex frondibus flores: ex floribus ſemina: ex ſeminibus iterum arbores naſcuntur.

Hic tamen adverte aliud eſſe, in locum Regis demortui ſuccedere jure hæreditario, aliud jure proximitatis, ſeu primogenituræ. Nam quando regnum defertur jure hæreditatis, hoc fit ex ultima Regis voluntate, & vi teſtamenti, quo futurum ſucceſſorem, Regnique hæredem declarat. Iure verò proximitatis, etiam ſine hujuſmodi declaratione, per teſtamentum facta, ab inteſtato, ut dicunt leges civiles, primogenitus patri ſemper ſuccedit: & ſic de alijs, ſervato ordine ſupra à nobis allato. Permittit verò aliquando Populus & ratam habet talem hæredum in regno per teſtamentum inſtitutionem, ſibi charorum principum, à quibus Reſpublica multis illorum vigilijs & vitæ periculis fuit juvata. Quare duplex eſt jus ſuccedendi in regno; primum lege proximitatis; ſecundum, vi teſtamenti, & hæreditariæ inſtitutionis. Utrumque autem ex libero populorum conſenſu robur habet; qui ſpontanè Regibus à ſe electis permiſere, ut ſibi in regno ſucceſſores eligerent, ex ſua familia procreatos. David Salomonem minorem natu Regni hæredem, & ſucceſſorem declaravit.

CAPUT VII.

Iudicium de utroque regnandi jure titulo, ſucceſſionis, & electionis: Quis alterutrum Monarchico regimini magis expediat.

NAtura mortalium avida Imperij eſt, ut dicit Saluſtius, in Iugurt. Eaque nec boni ipſi, nec bonum finem ſemper appetunt; quos turbare Rempublicam poſſe certiſſimum eſt, niſi jure gentium fuiſſent objecta duo potiſſimum remedia præſtantiſſima; unum ſucceſſionis, aliud electionis; quibus ad factiones, civileſque diſcordias aditus præcluderetur. Quod verò alterutrum Monarchico regimini magis expediat, apud Politicos controvertitur. Reges potius ad regnandum eligi debere, quàm ſuccedere hæc ſuadent. Primò; quia cùm natura æquales fecerit homines, & æqualis in æqualem non ſit Imperium, nec niſi ex Spontaneo Populorum conſenſu hoc ita fuerit ordinatum, ut alij alijs imperent (qui Spontaneus conſenſus tacita quædam eſt electio) hinc colligi poteſt, electionem ad regnum, ſucceſſione eſſe antiquiorem, jurique naturali, ſive gentium magis conſentaneam: quare & Monarchico regimini magis conformem & utilem: in quo Reges ſubditis, non ut ſervis, ſed ut liberis, & ingenuis imperant: at innata hominum in parendo libertas major apparet in electione, quam in hæreditaria ſucceſſione: quâ fit, ut ſubditi naturali quàdam neceſſitate ad parendum Regi cogantur, in illo verò Spontaneè, & liberè Regis Imperio ſe ſubjiciant, quod liberè elegerunt: ſecundò; quia in electione, non niſi ad regendum digniſſimi, prudentiâ, optimiſque moribus præſtantes, magnanimi, & ad res bellicas aptiſſimi: denique quos Populus approbavit: & quorum ingenium, indolem, & mores probè novit eliguntur: ſucceſſio verò hæreditaria pueros ſæpe; interdum mente valde infirmâ, varijs corporum vitijs affectos, & quod adhuc periculoſius eſt, moribus corruptiſſimos Reipublicæ tradit, quibus ſubditi velint, nolint parère tenentur, etiam diſcolis. Tertiò, quia dum filij parentibus ſuccedunt, & ab unius familiæ ſtirpe, Regia poteſtas ad alias numquam transfertur, videtur unus & idem ſemper Imperare, quod duriſſimum his maximè apparet, qui naturali deſiderio Imperium affectant, vel qui ſub unius Principis regimine ſæviſſimè vexantur, ſpe omnis levaminis penitus exciſâ, quæ ex ſola haberi poteſt regiminis innovatione. Adde quòd ex illa Regni perpetuitate ad Tyrannidem longè facilius aditus patet: qui enim perpetuò regnant, ſibi non alijs regnare videntur, populoſque ſibi ſubditos, non ut liberos, & filios, ſed ut ſervos regunt, Virgâ aliquando ferreâ, quod Tyrannicum eſt. Quartò, ex illa hæreditaria ſucceſſione cæteris omnibus ad ſupremum Reipublicæ regimen aditus obſtruitur; quod ſactionum, ſeditionum, & diſcordiarum ſæpiſſime incentivum eſt. Natura enim hominum, ut dixi, avida Imperij eſt, ſingulisque Reipublicæ civibus innata eſt per vices regnandi cupido: quæ in electivis regnis paululum tepeſcit futuri ſpe publici regiminis. Vnde in omni Politia rectè ordinata Magiſtratus, & publica munera nec perpetua ſunt, nec hæreditaria. Electio, ait Tacitus, digniores quærit, optimumque invenit: ſæpe autem qui parentibus in aliqua dignitate conſtitutis ſuccedunt, peſſimis ſunt moribus, hebetes & mente capti, nulliuſque civilis regiminis capaces: & hos aliis imperare, alioſque regere ant, ratio naturalis, legeſque omnes tam divinæ, quàm civiles prohibent. Hæc pro electione militant.

Fortiora tamen pro parte ſucceſſionis ſtant. Primò quidem Reipublicæ periculoſiſſimum eſt, quod mortuo principe in interregno Regnum fluctuet, veluti navis in medio pelagi ſine rectore, factionum & diſcordiarum procellis diu vexatum, ut in electivis regnis ſæpiſſime contingit; id verò nunquam ſucceſſio experitur, in qua patre è vivis decedente, filius ſine mora regni gubernacula complectitur; denique, qui prius fuerat Regni ſtatus, & tenor perſeverat. Vnde apud Gallos dicitur, quod Rex nunquam moritur. Omnis in regno mutatio periculoſiſſima eſt, maximè Regis; quo extincto, regna facillime extinguntur, & in aliud

Digitized by Google

tranſeunt nomen, aliamque ditionem, ut hiſtoriæ teſtantur. Sic Arbaces Sardanapalo Aſſiriorum Rege ſublato, Monarchiam in Medos, quibus imperabat, tranſtulit. In Regno verò per ſucceſſionem delato Rex numquam moritur; quia uno avulſo, non deficit alter: adde, in Regno electivo incertum eſſe, quis perventurus ſit ad Principatum; ſicque factiones & diſcordiæ oriuntur, quibus ſucceſſio minimè patet. Præterea, qui à majori electorum parte electus eſt, adverſæ partis aſſeclis infenſus, ſuos honoribus afficit; inimicos verò inſequitur. Hinc rixæ; hinc civilia odia, quibus tandem Regnum funditus ruit. Per mutationes adhuc diverſæ ſtirpis Regum, populorum mores, juxta Principis indolem facillimè mutantur (*Regis* enim *ad exemplum totus componitur orbis*) Ex qua mutatione maxima Reipublicæ pericula imminent, Religionis etiam aliquando; ubi Rex Hæreticus, vel Idolatra eligitur. In Regno verò per ſucceſſionem delato, eædem ſunt ſubditorum mentes, idem religionis cultus; quia Regi parent, qui patris ut plurimum ingenium æmulatur. Quare iiſdem imbuti diſciplinis, facillimè Imperii jugo jam diu aſſueto colla ſubdunt. Accedit, quòd in continuatione principatus per ſucceſſionem novis populus exactionibus, & tributis non opprimitur; quæ in regnis electivis ut plurimùm augentur. Vnde ſcitè ille dixit, ſatius eſſe ulceroſæ carni jam plenas muſcas ſanguine, & veluti ſatiatas ſuſtinere, quàm illis excuſſis, alias admittere famelicas, quæ reliquum ſanguinis exſugant. Ex mutatione denique Regum æraria publica imminuuntur. Denique ut experientia docet, ſemper cum novo Rege, qualis eſt in electione, nova lex ſequitur, novi Magiſtratus, novi amici, nova conſilia, novi inimici, novus modus vivendi: in ſumma, omnia innovantur, quod Reipublicæ maximè noxium eſt. Antiquior adhuc ſucceſſio, & receptior. Apud enim Gentiles, ut ex hiſtoriæ veteris conſtat monumentis, filii Regum patribus in Regno ſuccedebant, ut patet in Regna Aſſiriorum, Perſarum, Medorum, Græcorum, & Romanorum, quæ Regna fuerunt antiquiſſima: apud etiam Reges gentis Iudaicæ; filii in regno Patribus ſuccedebant, ut Davidi Regi Rex Salomon ejus filius; Salomoni Roboam, & ſic alii uſque ad tempus tranſmigrationis in Babylonem. Apud Reges Galliarum filii patribus ut plurimùm ſuccedebant, ſimiliter in Regnis Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, Hiſpaniæ, ipſaque conſtat experientiâ Regna, quæ viâ ſucceſſionis ad filios devolvuntur, diuturniora eſſe.

Satius ergo eſt Monarchico regimini Reges in Regno ſuccedere, quàm ad illud eligi. Succeſſio enim nedum antiquiſſima; ſed & juri naturali magis conſentanea; quare inter homines frequentior, & Monarchicæ politiæ utilior. Minori diſcrimine ſumitur Princeps, quàm quæritur, ait Tacitus 11. Hiſtor. Nam magnis aut novis conatibus opportuni ſunt tranſitus rerum; pravæque aliorum ſpes cohibentur, ſi ſucceſſor non in incerto eſt. Nullæ occurunt factiones; quia patre è vivis recedente, filius ſtatim illius unanimi conſenſu populorum recipitur, Rex agnoſcitur cum bis acclamationibus, Vivat Rex Ludovicus decimus quartus; Vivat Rex Auguſtus à Deo Datus, & de noſtris Deus ejus augeat annos.

CAPUT VIII.

De venali Principatu, per commutationis, vel emptionis contractus delato.

PHilippus nullam civitatem dixit eſſe inexpugnabilem, in quam aſellus auro onuſtus ingredi poſſet. Auro enim nihil potentius, ferro durius, telo acutius, bellicisque tormentis ad urbes expugnandas efficacius ut ait Petronius.

Multa loquor, quidvis nummis præſentibus opta
Et veniet; clauſum poſſidet arca Iovem.

Quare divitiæ novam ad regnum opulentis viam patant, & hæc via duabus aliis viis aperitur. Prima in Regnis electivis; cùm divites pecuniarum vi eligentium vota extorquent, potius quàm emunt: quod ab electoribus ſummoperè cavendum eſt. Eligendi quippe ſunt qui virtute præſtant, potius quàm qui nobilitate, vel divitiis excellunt. Secunda via, quando potentiſſimi, & locupletiſſimi Principes, ab aliis Principibus; qui pecuniâ egent, eorum emunt civitates, arces, & ſtatus; iſtaque via Regnis & Regibus infauſta. Nam ſicut vi auri & argenti Regna adipiſcuntur; ſic eâdem viâ facilè Regna empta amittunt; quando ſcilicet locupletiores graviore auri pondere ea redimunt,

Quia verò hodie virtus poſt nummos. Periculoſa nedùm ad Regnum hæc via; ſed & infamis. Alia patet tutior, & æquior, licet auro ſternatur, nempe permutationis contractus, vel matrimonio Sic Hiſpaniæ Regnum Familiæ Auſtriacæ viâ conjugii per fœminas, quibus pro dote Regnum ceſſerat, acceſſit. Sic Regio citra Rhodanum Lugdunenſi Territorio conterminia quæ ſub ditione ducis olim erat Sabaudiæ, permutatò Saluſarum comitatu, Regno Galliæ addita fuit.

CAPUT IX.

De jure belli quo ad Regnum iter aperitur.

IVre belli via ad regnandum aperitur, cùm juſtis de cauſis initur; vel pro tuenda, & propaganda vera ſummi Numinis religione, vel pro recuperando ab invaſoribus occupato Regno: vel pro expugnando Tyranno, qui vi & dolo aliena Imperia ſuæ ſubdidit ditioni. His de cauſis juſtiſſimè bellum initur, quo devictis hoſtibus, vel tyrannis, jus ad Regnum acquiritur. Injuſto verò bello nullum regnandi jus innititur; nulla æqua, & plana ad Regnum via aperitur. Hoc tamen adverte, Regna aliquando, initio dolo, vel vi armorum; belloque injuſtè inito comparata, poſt modum bonâ fide, & æquo jure à victoribus poſſideri; cùm vel temporum longiſſimis ſpatiis confirmata, nullo contradicente, & præſcriptione inductâ: vel tacito, aut expreſſo populorum conſenſu corroborata fuere. Iure tamen proprio ad repetenda Regna, & ad vim vi repellendam contra injuſtos invaſores ſpoliati Reges, vel populi nunquam privantur. Quare Chriſtiana Reſpublica, Regna olim Chriſtianorum imperio ſubdita, & ab Infidelibus, vel ab Hæreticis vi, & dolo erepta, juſtiſſimo bello contra illos inito poteſt recuperare. An verò infidelium, qui Chriſti, & Eccleſiæ jugo colla numquam dedere, Imperia, jure belli, ſive victoriæ ſolo religionis Chriſtianæ zelo poſſint expugnari, ſunt qui negent; ego exiſtimo Chriſtianis licere;

quia in hac cauſa, omnis homo miles, ut dicit Tertullianus.

CAPVT X.

De jure inveſtituræ.

PRincipatu inveſtiri dicuntur, qui à ſuperiore Principe, vel Rege, vel Imperatore, vel ſummo Pontifice principatum accipiunt, quo titulo jus ad imperandum acquiritur; cum aliqua tamen dependentia. Imperatores à ſummo Pontifice inveſtiri dicuntur Imperio; ſicut & aliqui Italiæ Principes, ut Reges Neapolitani, Dux Vrbinatis & Parmæ. Dux Mantuæ, aliique duces ab Imperatore; Reges Galliæ à ſolo Deo Regno inveſtiuntur.

CAPVT XI.

De jure deditionis.

JVre deditionis via ad Regnum aperitur; cùm vel ab hoſtis exercitu obſeſſa civitas dedere ſe cogitur; vel ſpontaneâ deditione gens aliqua alterius ſe ſubjicit imperio, quod fieri ſolebat aquæ & terræ quadam modicâ portione oblatâ, ut de Inachenſi Regione refert Plutarchus in quæſt. Græcis, quæ Atheniẽſium ditioni ſubjecta fuit, eo quod Inachenſium Rex ludibrium Temoni Athenienſium legato glebam dediſſet. Hæc verò glebæ traditio, dicitur Scolatio, de qua Innocentius 3. capitulo Lugdunenſi ſcribit: Hanc conferendi, inquit, formam eſſe propoſitis, ut modicum terræ conferatur, & ſuper altare ponatur. Alia deditionis forma à Livio refertur lib. quâ Sabini, Tarquinio, & Campania Populo Romano ſeſe dederunt ſpontaneâ traditione. Interrogati enim an ſe, agros, delubra, aquam, terminos, divinaque omnia, & humana Romanis traderent, reſponderunt; dedimus, & damus: Romani verò adjiciebant; at nos accipimus.

CAPVT XII.

Viæ iniquæ, & injuſti Tituli, quibus ad Tyrannidem, potius quàm ad Regnum itur.

QVid non mortalia cogis pectora regnandi ſacra Fames? hac regnandi libidine adeò ardet væſana hominum ambitio, ut contra humana & Divina jura, ſpretiſque tam naturæ, quàm civilis juris legibus, per iniquiſſimas, tortuoſas; nec non aſperrimas vias iter ad Regnum ſibi parare nitatur.

Si violandum eſt jus, imperii gratia
Violandum eſt; aliis pietatem colas.

Sacrilega hæc vox. Nec minus adhuc impia illa Polynicis.

Pro Regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare,
Imperia pretio quolibet conſtant bene.

Væſana Regnandi cupido ſcelerum omnium edoctrix eſt, & Magiſtra, addit Seneca.

Vt nemo doceat fraudis, & ſceleris vias.
Regnum docebit.

Hâc Regnandi libidine accenſus Alexander totius orbis Tyrannidem potius quàm Monarchiam ambivit; belloque cunctis gentibus injuſtè illato, innumeros Reges ſuis imperiis ſpoliavit. Cui meritò pyrata celeberrimus ab illo acerrimè objurgatus, neciquc adjudicatus, quod mare deprædaretur; ignoras, inquit, magna Imperia magna eſſe, latrocinia. Duplici autem viâ, Tyranni aliena occupant Regna, apertà vi armorum ſcilicet, & fraude; quod variis Lipſius demonſtrat exemplis. Iniquiſſimæ hæ viæ, aſperrimæ, & periculoſiſſimæ, quibus nullum ad Regnum jus acquiritur ut enim Imperium evertant, libertatem prætendunt, ait Tacitus 16. Annal: ſi everterint, ipſam aggrediuntur.

CAPVT XIII.

Perpetua eſſe debent Regna, ſive in Regnis per ſucceſſionem, ſive per electionem delatis, ſoliqué Regnantis morte finiantur, & ad ſucceſſores transferantur.

LIcurgus inſtituit, Regem non debere eſſe perpetuum; ſed pro aliquo tempore; & eo amoto alium inſtituere; & cauſa hujus legis, ait Iavellus noſter, movens animum Legiſlatoris fuit; quia exiſtimavit ſe ex legibus ſuis, non poſſe facere cives perfectè bonos: oportet autem Regem perpetuum eſſe perfectè bonum; ſed, ut dicit Ariſtoteles; magis eſt rationabile Regium Principatuum, non eſſe temporalem; ſed perpetuum. Plenariam enim Rex debet habere in ſuo regno poteſtatem, ut efficaciter ſtatum ſuum conſervet, & fœlicius regat; quod præſtare non poteſt, niſi per totam vitam regnaverit; nam ſi temporale eſt regnum illius, timebit alios offendere, & ſubditi minus eum timebunt, quod veriſſimum eſt in omnibus Regnis, ſive per ſucceſſionem, ſive per electionem delatis; & ipſâ demonſtratur experientiâ; nullum enim hodie Regnum, ſive hæreditariâ ſucceſſione, ut in Gallia, & Hiſpania; ſive electione delatum, ut in Polonia, quod non ſit perpetuum, & quod ſolâ Regnantis morte non finiatur; quæ Regna adhuc in priſtino ſuo ſplendore perſeverant: alia verò apud exteras Nationes penitùs extincta ſunt, vel factionibus inteſtinis, vel potentiorum Regum armis; & virtute bellicâ fortiori. Circa verò hæc quinque adhuc poſſunt moveri quæſtiones. Prima, an magis expediat; civitates regi optimis legibus, vel optimo viro. Secunda, poſito quòd magis expediat, ab optimo viro regi, an pro aliquo caſu expediat eam regi à pluribus viris optimis, quàm ab uno. Tertia, an ille debeat per generis ſucceſſionem, an per electionem Imperium adipiſci. Quarta, an ille habere debeat poteſtatem propriam, ultra illam, quam habet à lege. Quinta, ut cuncta pro ſola ſua voluntate diſponat; de quibus infra.

LIBER QVARTVS

LIBER QUARTUS,

DE MONARCHIA

PRÆSTANTISSIMA

OMNIUM POLITIA,

CUJUS

SVPRA ALIAS OMNES

PRÆROGATIVÆ,

ET COMMODA DECLARANTVR.

CIVILITATIS, hoc eſt civilis Politiæ tres ſpecies ſunt, totidemque tranſgreſſiones, quaſi corruptiones illarum: Civilitates quidem Regnum, optimorum potentia, & tertia, quæ à cenſibus exiſtit: quamcenſipotentiam Ariſtoteles vocat; ſed plerique Rempublicam eam appellare conſueverunt. Harum optima Regnum, ſeu Monarchia; peſſima cenſipotentia. Cæteras, verò civilis Politiæ ſpecies Monarchia antecellit primò, antiquitate.

QVÆSTIO I.

CAPVT PRIMVM.

Monarchia, prima omnium politia, origine, antiquiſſima & omnium Origo.
Prima ejus prerogativa.

MOnarchia unitatem ſonat, ſive unius Principatum; Ariſtocratia numerum, eſt enim optimorum poteſtas. Reſpublica, ſive populi potentia multitudinem. At unitas antiquior eſt numero, & multitudine, quia ab unitate numerus & multitudo fluunt. Monarchia igitur prior eſt, & antiquior origine duabus aliis Politiæ civilis ſpeciebus, quod & alia ratio ſuadet & quidem efficaciſſima. Cauſa enim prior eſt ſuo effectu; nedum dignitate, ſed & aliquâ temporis duratione, vel originis prioritate: at Monarchia Ariſtocratiæ, & Reipublicæ prima fuit origo. Nec hoc quis ſanæ mentis inficiabitur, memor eorum quæ ſuprâ ex Ariſtotelis mente adduxi, civilem omnem politiam ad domeſtici, ſive familiaris regiminis exemplar eſſe efformatam, in quo quatuor inveniuntur hominum ſocietates, totidemque regiminis ſpecies. Societas quidem primò patris & filiorum, quæ Politiæ ſive Monarchiæ idea eſt & forma. Secunda viri, & uxoris, quæ optimatum potentiam, Græce Ariſtocratiam exprimit. Tertia, fratrum quæ Reipublicæ, vel cenſipotentiæ, in qua æqualitas, & paritas quædam in cenſibus, & honoribus publicis obſervatur, ſpeciem refert; inter fratres vero ſicut & inter amicos omnia debent eſſe communia; quia frater idem eſt ac ferè alter Quarta Domini & ſervorum, quæ Tyrannidi correſpondet. At familiaris ſive domeſtica ſocietas, unius eſt imperium, ut dicit Philoſophus, nempe unius patris familiâs; qui & uxori, quatenùs vir; filiis & fratribus ut pater; ſervis, ut Dominus imperat; omnium quidam veluti Monarcha, juxta illud ejuſdem Ariſtotelis; *Domus, parvum quoddam eſt Regnum; Regnum parva quadam eſt domus.* Cum ergo domus ſive familia, prima ſit omnium ſocietas, ab uno, regiè, civiliter, deſpoticè gubernata, nempe ab uno patre familiâs, juxta triplicis in illa regiminis formam

hoc ordine, ut regia cæteras antecellat. Antiquiorem eſſe Ariſtocratiâ, & Democratiâ Monarchiam quis negabit? cum cauſa effectum vel tempore, vel origine præcedat: Monarchia verò aliarum politiarum ſons ſit, & origo, utporè ad domus exemplar efformata, quæ prima fuit hominum ſocietas, & ex qua civitas originem habet; plures enim domus civitatem fecere; at primi Reges, ut refert Ariſtoteles, civitatibus imperabant; quod & Hiſtoria Sacra teſtatur. Ab ipſo enim mundi naſcentis exordio certiſſimum eſt, Adamum nongentorum annorum ſpatio ſexcentis vel plus familiis ex quarum quamplures civitates coalüere, Regiè, tanquam primum illorum Monarcham imperaſſe; utpotè qui illorum omnium protoparens, poſt verò diluvium, Noë primus totius orbis Monarchiam obtinuit; priuſque apud Babylonios, Medas, Aſſyrios, Ægiptios, & Iudæos ſub Moyſe Regna fuiſſe & Monarchias, quàm Ariſtocratias, & Reſpublicas omnes, tam Sacræ, quàm prophanæ hiſtoriæ fidem faciunt; antiquiſſima ergo omnium politiarum Monarchia.

Sed pro majore hujuſce rei intelligentia, advertendum ex Iavello noſtro, Monarchiam quinque ſpecies continere quarum prima, dicitur Ducatus exercitus; & hæc ſuit in uſu apud Lacædemonios; apud quos, unus, quem Regem appellabant, imperabat ſecundum legem, & auctoritatem ſibi datam, non tamen erat Dominus omnium in civitate exiſtentium; quoniam non poterat ſuâ voluntate punire homicidam: ſacrificia autem & cæremoniæ Deorum, & inſtitutio Sacerdotum ei committebantur. Quando verò ad bellum extra nationem procedebat, univerſalem habebat vitæ & necis poteſtatem, & virtutem condendi leges in exercitu; & hæc Monarchiæ ſpecies dicebatur Ducatus Imperialis exercitus, quia hujuſmodi Rex non habebat auctoritatem ſupra civitatem, ſed tantùm ſupra exercitum; quæ Monarchia erat perpetua. Secunda Monarchiæ ſpecies, dicebatur *Barbarica*, quia apud Gentes Barbaras vigebat, id eſt quæ ratione non utuntur, quorum Reges ſubditis, ut beſtiis imperabant; & hæc Monarchiæ ſpecies Tyrannis potius quàm Monarchia dicenda. Tertia, apud Græcos *Eſineta* appellata, quia per electionem fiebat, non erat propriè Tyrannica, quandam tamen ſpeciem tyrannidis habebat; quia in illa Reges ſubditis, ut ſervis imperabant; qualis eſt hodie Turcarum Monarchia. Quarta ſpecies Heroica, ad quam Heroes, ut Saturnus, Iupiter, tanquam Dii culti propter virtutem evehebantur. Quinta, in qua Rex unus erga Deum religioſus, erga ſubditos clemens.

CAPVT II.

Monarchia ſupremum Dei in omnes Imperium æmulatur, qui ſolus & unus mundum regitum. Secunda ejus Prærogativa.

NEmo eſt quidem qui ſapiat, rationemque ſecum putet, qui non unum Deum eſſe intelligat, qui & condidit omnia, & eadem quâ condidit virtute, & ſapientiâ moderetur. Quid enim multis opus eſt ad mundi regimen ſuſtinendum? niſi fortè arbitremur, ait Lactantius, ſi plures ſint minus habere ſingulos neruorum, atque virium. Quod quidem faciunt ij qui eſſe multos volunt; quia neceſſe eſt imbecilles eſſe; ſiquidem ſinguli ſine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum ſuſtinere non poſſent: Deus autem, qui eſt æterna mens: ex omni utique parte perfectæ conſummatæque virtutis eſt. Quòd ſi verum eſt, unus ſit neceſſe eſt, omnium rector, & Dominus. Id ſolidum exiſtimandum eſt cui nihil decedere; id perfectum, cui nihil poteſt accedere. Quis verò dubitet potentiſſimum eſſe Regem, qui totius orbis habeat imperium. At ſi plures partiantur orbem, minus certè opum, minus virium ſinguli habebunt, cùm intra præſcriptam portionem ſe quiſque contineat. Virtus vero Deò, cum ſit infinita, una ſolummodò eſſe poteſt. Quid quòd ſumma illa rerum poteſtas, ac divina vis ne ſemel quidem dividi poteſt? Quidquid enim cupit diviſionem, & interitum capiat neceſſe eſt: Deus autem ſemper eſt. Præterea, ſi plures eſſent Dii, mundique Rectores: vel inter ſe mundi regimen dividerent: ut unus cœlo, fortè Iupiter juxta Poëtarum fabulas; alius, mari, ut Neptunus: alius terræ, & inſerioribus ejus partibus, ut Pluto imperarent: nullus eorum perfectæ virtutis, vel ſapientiæ eſſet, qui mundum univerſum regere ſolus non poſſet. Si verò omnes ſimul mundum regerent, non ut plures, ſed ut unus, abſque ulla poteſtatis, & regiminis diviſione, ut in Ariſtocratia contingit: præter quàm quod illud fieri non poteſt abſque aliqua virtutis ſingulorum diminutione, cùm ſinguli diverſa obitent munera: ſuperfluum eſſet plures totius mundi regimini præficere gubernatores, cùm unus ad regimen ſufficeret. Quare ad regendum mundum unius perfectæ virtute magis opus eſt, quàm imbecillitate multorum. Ideo enim in Ariſtocratia plures ad Reipublicæ regimen aſſumuntur: quia unus non ſufficit. Qui autem putat mundum non poſſe ab uno regi fallitur: cùm Deus infinitæ ſit virtutis, & ſapientiæ: & ubique per ſuam immenſitatem adſit & præſit: video rurſùs quid è contario dici poſſit: tales illos plures eſſe, qualem nos volumus unum. At hoc fieri nullo pacto poteſt: quoniam ſingulorum poteſtas progredi longius non valebit occurrentibus ſibi poteſtatibus cæterorum: neceſſe enim eſt, ut ſuos quiſque limites aut tranſgredi nequeat: aut ſi tranſgreſſus fuerit, ſuis alterum finibus pellat. Præterea, non vident qui multos mundi Rectores eſſe credunt, fieri poſſe, ut aliquid diverſum velint: ex qua re diſceptatio inter eos, & certamen oriatur, ſicut Homerus bellantes inter ſe Deos finxit: cùm alii Troiam capi vellent, alii repugnarent. Vnius igitur arbitrio mundum regi neceſſe eſt, ſicut in uno exercitu unus eſſe debet Dux, & Rector. Si enim in uno exercitu tot eſſent Imperatores quot legiones: primùm nec inſtrui poſſet acies, unoquoque periculum recuſante: nec regi facilè, aut temperari, quòd ſuis propriis conſiliis utantur omnes, quorum diverſitates plus noceant, quàm proſint: ſic in hoc rerum naturæ imperio, niſi unus fuerit ad quem totius ſummæ cura referatur, univerſa ſolventur, & corruent. Dicere ergo multorum arbitrio regi mundum; tale eſt, quale ſi quis affirmet, in uno corpore multas eſſe mentes. Hactenùs Chriſtianus Philoſophus, ſed & audiendus Ethnicus, qui non diſpari philoſophandi methodo ſupremam Dei Monarchiam demonſtrat. Vetus ſermo eſt, ait Ariſtoteles, lib. de Mundo c. 6. à majoribuſque proditus inter omnes homines, univerſa tùm ex Deo, tùm per Deum conſtituta fuiſſe, atque

coagmentata : nullamque naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium, ipſius demum tutelæ permiſſa ſit ; proinde hæc de Deo ſentienda nobis ſunt, illò quidem, ſi vim ſpectes, valentiſſimo ; ſi decorem, formoſiſſimo; ſi vitam, immortali, ſi virtutem præſtantiſſimo. Quapropter cùm ſit inconſpicabilis naturæ omni interituræ, ipſis nihilo ſeciùs ipſe cernitur ab operibus, quæ ipſius ſunt cum Imperio ſummo mundum, ac pro poteſtate obtinentis. Fama eſt, Phydiam Minervæ Statuam cùm coagmentaret, in medio ejus ſcuto faciem ſuam eo artificio expreſſiſſe, ut ipſam ſi quis eximere cuperet, minimè poſſet : aliter certè, quàm ut ipſum ſolveret ſimulachrum. Hanc eandem rationem Deus habet in mundo, utpotè qui univerſorum coagmentationem cohærentem cohibeat, & regat. Vt verò ſummatim jam loquamur ; quod in navi gubernator eſt ; quod in curru agitator ; quod in choro præcentor ; quod denique lex in civitate, & dux in exercitu, hoc Deus eſt in mundo. Vnus porrò Deus cùm ſit, pluribus nominibus appellatus eſt, ab iis utique ſuis omnibus affectibus denominatus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Atque eum quidem tùm Zena, tùm Dia vocant inter ſe compoſitis utentes nominibus, quibus ſignificent, *par quem vivimus.* Is *Cronos*, id eſt, Saturnus, ſiue tempore genitus dicitur, nimirum ab ævo ſempiterno, ad alterum ævum pertinens. Vocatur & *Fulgurator*, & *Fulminator*, & *Pluvius*, à pluviis, & fulminibus, *αναγκη* dicitur, ſive *neceſſitas* ; quòd natura quædam ſit immobilis : & fatum à ſerie rerum conſerta, inoffenſoque tenore procedente ; & *πεπρωμενη* quod ab eo omnia terminata ſunt; ac nihil in rerum natura infinitum ſit. Quin & *Mœra*, id eſt, *ſors* appellatus à partitione rerum ; & *Nemeſis*, quaſi poteſtas divina, ejus quod viſum eſt cuique diſtributrix, & *Adraſtia*, quam fallere nemo, aut vitare queat. *Aſin* quoque appellant, quaſi ſemper exiſtentem. Proinde hæc omnia non aliud quidquam quàm Deum eſſe, planum eſt, ut eximius Plato cenſuit. Vnum ergo Deum totius mundi Rectorem & Monarcham agnovit Ariſtoteles ; quamvis circa illius providentiam, & regimen erraſſe videatur : cùm Deo indignum judicet, terrenorum curam habere : quorum gubernationem immediatam Diis, nempe Angelis adſcribit. Verùm excuſari poteſt, cùm hoc tantùm exiſtimet Deum parùm decere, nempè ut minutiſſima quæque naturæ opera ſolus abſque aliorum miniſterio gubernet. Quare Deorum, id eſt, Angelorum innumeram copiam pet aëra diſcurrentem bis præficit miniſteriis ; ita tamen ut Deus omnium habeat notitiam : nihilque ſine illius ordinatione contingat.

Ex his apertè conſtat, Monarchiam ſupra alias politiæ ſpecies præcellere, quòd ad divini Imperii formam propius accedat : ſicut enim unus Deus & ſolus unus, non unicus, ſolus non ſolitarius, unus enim, & trinus, totius mundi regimen obtinet, omnium perfectiſſimus Monarcha : ſic in humana Monarchia, vnus eſt Rex, penes quem ſuprema reſidet totius regiminis poteſtas. Quare meritò Dei viva dicitur imago, ſummique numinis ſimulachrum.

CAPVT III.

Monarchia totius naturæ legi, & Regimini maximè conformis.
Tertia ejus Prærogatiua.

DEus, ait Philoſophus (ut eſt vetuſto verbo proditum) principium & finem & media rerum omnium tenens, rectâque lineâ incedens, operatur ille quidem ſecundùm naturam, è veſtigio comitem habens juſtitiæ Præſidem, quàm *dicem*, nominaverunt, divinæ legis vindicem, Vbi adverte Deum dici operari ſecundum naturam ; non quòd in operibus ad extra neceſſariò operetur; ſed quia ſingulis, quæ ad eorum ſpectant naturam, tribuat. Naturam verò dicimus, naturalem cujuſlibet rei ſtatum, omnibus quæ ad ejus perfectionem neceſſaria ſunt, pleniſſimè inſtructum : qualis eſt totius mundi, qui græcè Κοσμος appellatur : id eſt, perfectus, rectàque partium omnium ſymmetria ordinatus. Quare præclarior erit politiæ forma, quæ totius naturæ ordinem legemque perfectius attigerit. Naturæ verò totius regimen Monarchicum eſt : ut per omnes illius ſtatus gradus diſcurrenti facillimè innoteſcet. In cœleſti enim mundo Empyreum reliquis cœlorum orbibus, ſol verò ſyderibus præeſt : Sol dictus, quaſi ſolus. In Elementari ignis reliquis imperat elementis Quod adhuc clariùs elucet in animalibus. Grues enim, ait Ariſtoteles, unum Ducem quem ſequantur, eligunt, qui cæteris dormientibus, erecto collo & capite proſpicit, & quod ſenſerit, voce ſignificat. De apibus ſcribit Plinius : eſſe ſine Rege non poſſunt: cùmque plures fuerint, vno ſervato, cæteros interimunt : potiuſque naſcentium domos dituunt ; quod & Phildſophus refert : enecant, inquit, apes etiam duces, qui plures quàm ſatis ſit habeantur & potiſſimnm improbos, ne Principum multitudo ſeditiones in examine faciat. Præcedit armenta Taurus, inqnit Seneca, qui magnitudine, & toris cæteros mares vicit : ovium vervex ; Elephantorumque gregem excelſiſſimus ducit. Vnde alibi ita concludit : Natura commenta eſt Regem quod & in omnibus naturæ operibus licet agnóſcere. In illis verò quæ ratione carent, imperium quoddam eſt non propriè civile, quod ſolis hominibus congruit, ſed Harmoniæ, ut dicit Ariſtoteles ; quatenùs excellentiora inferioribus præſunt : & omnis multitudo ad unitatem reducitur. Naturæ enim eſt, addit Seneca, potioribus deteriora ſubmittere ; ſic in omni animali quod corpore, & animâ conſtat, ait Ariſtoteles ; anima ſecundùm naturam imperat, corpus paret : mens appetitui dominatur : cum hoc quidem diſcrimine, quòd animus in corpus dominicum habet Imperium, mens verò in appetitum civile, & regium ; vtrumque tamen quodammodo Monarchicum ; quia una tãtum eſt in corpore anima, mens una. Quod adhuc cernere eſt, ſubdit Philoſophus, in prima hominum ſocietate, quæ conjugio fœderatur. Familia enim unius eſt Regimen, in quo vnus Pater familiàs : vt vir, vxori civiliter ut Pater, filiis regiè : Dominus, ſervis deſpoticè imperat : ſicut in corpore animalis ; vnum eſt

caput, quod cætera membra regit. Neque enim in una domo plures eſſe poſſunt Patresfamiliàs: nec plures unius vxoris viri, nec plures Domini. Hoc autem familiare regimen maximè ſecundum naturam eſt, ait Ariſtoteles. Hoc adhuc in artibus apparet. Vnus enim Imperator, toti præeſt exercitui; Vnus navem regit Nauclerus: vnus currum auriga ducit: vnus cantorum choro præcentor adeſt; vnus, totius mundi Rector Deus & omnium Regnorum Primus Auctor, per quem Reges regnant, cujus imperio virtutes cælorũ, & omnes poteſtates ſubijciuntur. Monarchia ergo totius naturæ Imperium maximè æmulatur, quæ & ipſius Dei Imperio conformatur Quod & ipſa quâ Monarchæ, ceu Reges ornantur corona figurat. Corona enim Spherica eſt, quæ præſtantiſſima eſt inter figuras, quia capaciſſima, in quo finis principio cohæret, & vnitas ad vnitatem redit.

CAPVT IV.

Monarchica politia rationi naturali, maximè conſentanea.

RAtio naturalis Monarchiam Ariſtocratię, & Democratiæ anteponit. Quando Princeps, ſive Chriſtianus, ſive Gentilis, Tyrannus evadit, proprium in omnibus, non publicum ſtatus commodum quærens, tunc non expedit vnius, ſed plurium Principatus. Talis enim populum irritat, diſſipat, & diſcordem reddit: ideò non eſt dignus Principatu; ſecus, ſi Princeps ſubditos, ſicut pater filios regat, erga Deum religioſus, erga ſubditos clemens, erga ſeipſum optimis moribus imbutus. Longè ergo melius, & rationabilius eſt ab uno populorum multitudinem regi, quàm à pluribus, quod rectæ rationi, etiam naturali maximè conſentaneum eſt. Nam civium vnitas, pax, concordia præcipuè in Regno debent intendi, quæ ſe habent ad Regem, ſicut ſanitas ad medicum. Reges enim in ſacris paginis comparantur medicis; juxta illud, *non ſum medicus, nolite me Regem inſtituere*, Iudic. ſed conſtat quòd uno ſolo principante major ſervatur inter cives vnitas, pax, concordia, quàm pluribus regnantibus. Secundò, quò fortior erit principantis potentia, & auctoritas, tunc multitudinem immenſam populorum ſibi ſubditorum facilius continebit; virtus autem vnita fortior eſt diſperſâ; Propter ergo integritatem, & conſervationem civilis politiæ, magis expediens eſt Chriſtianam civitatem regi per unum, quàm per plures. Tertiò, ſocietas civilis quædam eſt multitudo ordinata: multitudo verò rectè ordinari nequit, niſi ab uno, ut docet Ariſtoteles. Sicut enim ab unitate incipit omnis numerus, ita per unitatem, tanquam formam perficitur, Quartò, omnis creata Monarchia, ſicut à Deo originem habet, ſic & ab illo tanquam ſuo exemplari debet regulari. Deus autem vnus eſt, & omnium Monarcha. Quintò, in quibuſcumque invenitur naturale regimen, illud ſemper pendet ab vno. v. g. in corpore humano, omnibus membris cor præſidet, in elementari ignis, in cœleſti primùm movens &c.

CAPVT V.

Iure tum divino, tum civili Monarchia cæteris politiis prælata.

CÙm mundus creatus eſt, & animalia viventia, vnus Rex conſtitutus eſt homo, qui illis dominaretur, & electa eſt à Deo Monarchia vbi etiam ſociam habuit tunc; quia opus erat regimine imperfectioris naturæ, maximè poſt peccatum: Monarcha iterum homo conſtitutus à Deo eſt: & dictum mulieri, *ſubdita eris viro:* & ab Adamo Monarchia in nepotes continuata eſt: ex quibus Cain, Lamech, Nembroth, qui voluerunt ſeorſim ab Adamo imperare, & voluerunt conſtituere Ariſtocratiam, ſeu plurium dominationem contra verũ Monarcham, vique ſe ab ejus imperio ſubduxerunt, Tyranni, & latrones, ſeu venatores dicti ſunt. Idem Deus poſt diluvium conſtituit, ut omne filii Noë, eorumque Nepotes, illius ſubderentur imperio. Cumque Deus populum ſibi peculiarem Iſraeliticum delegiſſet; unum illis Rectorem, & Monarcham Moſem præfecit: cui Ioſue in Monarchia ſucceſſit ex Dei præcepto. Iure etiam gentium, non civili Monarchia cæteris politiis præſtat. ut pote quæ prima omnium ab hominibus inſtituta eſt Quod ſacra Regum hiſtoria teſtatur. Cum enim Iſraëlitico populo Samüel Regem conſtituere nollet, ejuſque votis in hoc reſiſteret: *nequaquam*, inquiunt: *Rex enim erit nobis, & erimus nos quoque ſicut omnes, & judicabis nos Rex noſter.* Vt hinc videas Monarchiam jure gentium fuiſſe antiquiſſimam,

CAPVT VI.

Monarchia inter homines frequentioris vſus, latius excurrit, & in plures orbis partes porrigitur.

PLures longè fuiſſe, & adhuc eſſe Monarchias quàm Ariſtocratias, & Reſpublicas Hiſtoriæ teſtantur: ipſaque demonſtrat experientia. Vbiq; enim hodie ferè regna videntur: paucæ occurrũt Ariſtocratiæ, & Reſpublicæ. Exceptis enim in Europa Venetorum, Genuenſium, Helvetiorum, Batavorum Rebuspublicis, omnia ferè loca obtinet Monarchia: quæ in omnes Aſiæ, & Affricæ & Americæ partes ſola vagatur; quod & antiquis retro temporibus etiam contigit. Nemo enim eſt, qui ignoret prudentiores olim populos, meliuſq; rectos ſub Monarchia fuiſſe Aſſyrios, Medos. Perſas, Ægiptios, Indos, Parthos, Macedones, Celtas, Gallos, Scythas, Arabes, Iudæos, Turcas, Moſcovitas, Tartaros, Anglos, Africanos, Danos, Hyſpanos, Aquitanos, antiquos Italos, Græcos & Germanos; imò antiquiſſimos ipſos Athenienſes, Lacædemones, Corinthios, Achæos, Sicyonios, Æthiopes, Latinos, Etruſcos, Romanos, antequam degenerarent à Monarchia, ad quã, poſtea recurrente naturâ redierunt.

CAPVT VII.

Monarchia ut cæterarum Politiarum origo, ita & finis illarum eſt, ad quam omnes tandem revertuntur.

PEndet ab origine finis: omniſque multitudo ab uno originem trahens, ad unum redit; ſicut ad

ſicut ad mare, vnde omnia oriuntur flumina, revertuntur. Cum ergo à Monarchia, ceteræ Politiæ humanæ ſpecies ortum habuerint, ut ſupra dictum eſt, quid mirum ſi ad illam tandè refluant, ſicut radii ad ſolem, & rivuli ad fontem? Vrbem Romanam à principio, ait Tacitus 1. annal, Reges gubernabant. Libertatem, & Conſulatum, hoc eſt Remp. L. Brutus, expulſis Regibus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebantur; neque decemviralis poteſtas ultra Biennium: neque Tribunorum militum conſulare jus diù valuit: Non Cinnæ, non Syllæ longa dominatio: & Pompeii, Craſſique potentia citò in Cæſarem; Lepidi, atque Antonii arma in Auguſtum ceſſêre, qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis, Imperium accepit. Sicque Romana Reſp. quæ à Monarchia exordium ſumpſerat; ad Monarchiam tandem revoluta eſt. Quod & in ipſius mundi fine continget, juxta antiqua Prophetarum Oracula, quibus prænunciatur; quod tunc vnius erit, totius orbis Imperium; nec non peritiſſimi Aſtrologi Laurentii Miniathenſis, qui hæc cecinit.

Illis autem noſtris jam cùm ventura ſub annis
Eſt melior, noſtra legis vix pauca refringet
Aſpera, qua nimirùm ſacris, & dura ferendis:
Et genus omne mali tollet, pompaſque Sacrorum;
Ac Regem dabit innocuum, qui terminet Orbem,
Et reget Imperio populos, gentemque rebellem
Imperio ſubdet, toti & dominabitur Orbi
Hic vero erit Rex Galliæ.

CAPVT VIII.

Monarchia ſupra alias Politiæ ſpecies commoda.

Vtiliſſima omnium Monarchia, quia tranquilitati humanæ ſocietatis maximè favet.

MOnarchia quibuſdam diſplicet; primùm, quòd in illa unus omnia agat pro libidine, & arbitrio impunè: ſecundò, quod qui optimus antea fuerit, cùm in ea tamen poſitus eſt, mutet mores; tum, quia naturâ ipſâ hominibus eſt ingenita invidia, & ex preſentibus bonis generetur inſolentia. Tertiò, quòd qui ſolus regnat, bonis ſæpè invideat, deterrimis delectetur, Patriæ jura labefectet, & omnia in propriam convertat utilitatem: ſicque periculum ſit, ne Monarchia, ſive Regnum in tyrannidem degeneret; cui finitima eſt, & ejus quandam ſpeciem præfert: quare exoſum illis eſt etiam ipſius Regni & Regis nomen: Reſp. verò ſummoperè placet; quòd in illa ſumma vigeat libertas, & aurea æqualitas. Ita Ottanes contra Monarchiam pro regimine populari peroravit apud Herodotum. Verùm longè ſapientius Darius pronunciavit, nihil melius eſſe Imperio unius hominis, qui optimus ſit. Quod fortè ab Homero didicerat, qui ait, non bonum multorum Dominatio; unus ſit Dominus Rex; cujus denique ſententiæ reliqui quatuor ex ſeptem viris acceſſerunt. Et hæc ſapientiſſimorum omnium Nomuthetarum mens eſt, Platonis, Ariſtotelis, & aliorum; ex hoc præcipuè quòd Monarchia civili hominum regimini, ſit omnium Politiarum utiliſſima. Primò enim humanæ ſocietatis paci, & tranquilitati maximè favet, ut demonſtrat Iſocrates. Tanto, inquit, ad Nicoclem, Monarchiam faciliorem non immeritò judicaverim, quantò facilius eſt, animum ſuum unius viri inſtituto accommodare quàm conari multis, & variis opinionibus, ut in Democratia, & Ariſtocratia contingit.

CAPVT IX.

Firmior, & diuturnior Monarchia.

COncordia firmat Regna, diſcordia evertit: cùm ergo tranquillior ſit Monarchiæ ſtatus, quam Ariſtocratiæ, vel Democratiæ, firmior procul dubio erit, & longè perennior: ut de illo dici poſſit, quod de Romanis olim Vates cecinit, *Imperium ſine fine dedi.* Quod & Romanæ Reipublicæ exemplo ſupra ex Tacito demonſtravimus, quæ numquam firmior ſtetit, quàm ſub Monarchiæ ſtatu. Vtilitatem Monarchici regiminis D. Thomas ex triplici capite declarat lib. 1. de regimine Principis c. 2. & quidem primò, ex fine regiminis, qui finis eſt ſalutis procuratio. Gubernatoris enim nautici eſt navem contra maris pericula ſervando illæſam, ad portum ſalutis perducere: bonum autem & ſalus multitudinis eſt, ut ejus unitas conſervetur, quæ pax dicitur, juxta illud Apoſtoli, *ſolliciti ſitis, ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Vnitatem autem magis efficere poteſt, quod per ſe unum, quàm plures; ſicut calidum, quod eſt per ſe calidum magis calefacit; utilius ergo eſt hominum multitudinem ab uno regi, quod fit in Monarchia, quàm per plures, ut in Democratia, vel Ariſtocratia contingit. Secundò, plures multitudinem tueri nequeunt, ſi ab invicem diſſentiant: requiritur ergo in pluribus quædam unio; ſicut nec multi navem trahere poſſunt, niſi aliquo modo conjuncti. Vniri autem dicuntur plura per appropinquationem ad unum; major ergo erit plurium unio in Monarchia, in qua multitudo per unum regitur, & ex conſequenti firmior erit hujuſce regiminis forma. Tertiò, quæ ſunt ſecundùm naturam optimè ſe habent; in ſingulis enim natura operatur quod optimum eſt: commune autem naturæ regimen ab uno eſt, quod inductione factâ eleganter à D. Cypriano lib. de unitate Eccleſiæ declaratur. Vnus enim eſt Deus totius mundi Rector, una eſt anima in corpore, à qua ejus membra reguntur, præterea, omnis multitudo ab uno derivatur. Ergo ſi ea, quæ ſunt ſecundùm artem imitantur ea quæ ſunt ſecundùm naturam, & tantò melius eſt artificium, quantò ad naturam propius acceſſerit; cùm totius naturæ regimen ſit Monarchicum, perfectius erit politicum, in quo multitudo ab uno gubernatur. Sub regimine Iudicum, contigit juxta Domini eloquium, *paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.* Vnde idem Deus per Prophetam Ezechielem, pro ſummo munere populo ſuo pollicetur, *quòd ponet caput unum, & quod Princeps unus reget populum ſuum.*

CAPVT X.

Vnus Rex imperet, non plures.

DVo aliquando ſoles in cœlo viſi ſunt, verùm non ſolis, ſed ejus imago ex varia radiorum reflexione multiplicabatur: ſicut ergo cœlum plures non habet ſoles; ſic nec Regnum plures Reges; ſi verò, ut in Romano contigit Imperio duo, vel tres eſſent Imperatores, unica tamen erat auctoritas, & per modum unius regebant.

Nulla fides Regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortii erit. Lucan.

Non capis Regnum duos, canit Tragicus, *Regna, nec tæda ſocium ferre poſſunt*: Serinus, ſi duos ſoles velint eſſe, periculum, ne inceodio omnia perdantur. Non poteſt Regia domus, quamvis ampliſſima duos capere Rectores. Vnde Tertulliani audaciſſimam vocem ſatis mirari non poſſum, dicentis lib. de Pallio: Quantùm Vrbium aut produxit, aut auxit, aut reddit præſeotis Imperii triplex virtus, Deo tot Auguſtis in unum ſavente, nempe Severo, Peſcennio Nigro, & Clodio Albio: quorum ille in Oriente invito Severo ab exercitu Imperator eſt appellatus; hic in Gallia Cæſar dictus eſt. Verùm difficile eſt, poteſtatem, & concordiam conciliare; omnis enim poteſtas conſortis impatiens eſt: & ut ipſa probat experientia, Provinciæ, quæ à pluribus reguntur, laborant diſſentionibus, ut populo Iſraëlitico ſub regimiue Iudicum contigit juxta divinum eloquium; *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam Ezech.* Vnde Dominus per Prophetam pro ſummo munere populo ſuo pollicetur quod ponet illi caput unum, & quòd Princeps unus erit in medio eorum.

CAPVT XI.

Regum inſignia ſive propria ornamenta.

NAtura, inquit Seneca, commenta eſt Regem, quod ex apibus licet agnoſcere; quarum Regi ampliſſimum cubile eſt: medioque, ac tutiſſimo loco. Pręterea inſignis Regis forma eſt, diſſimiliſque cęteris, tùm magnitudine, tùm nitore: Reges verò natura cęteris fecit æquales, etſi virtute, cæleſtiumque donorum Chariſmatibus ſupra alios emineant: hęc plerũq; mortalium oculos ſugiunt; & interdum ſub viliſſimi corporis ſpecie latent. Quare, cùm Regibus maxima debeatur reverentia: ne à ſubditis ea vili corporum pręſentia parvi pendantur, prudenter ab hominibus inſtitutum fuit, ut Regea quibuſdã regiæ majeſtatis inſignibus veluti characteribus à cæteris diſtioguerẽtur. Quia verò Princeps caput veluti populi eſt, cui præficitur: ideò in illius capite præcipua ſui Principatus Inſignia recipit, & geſtat, vt Coronam. diadema, faſciam, pileum ducalem: Deinde in manu ſceptrum, in corpore purpuram. Conſtantinopolitani Imperatores puniceis vſi ſunt calceis, pro inſignibus; quibus etiam ignis præferebatur, divinitatis Symbolum: quod à Perſis mutuaverant. Fuerũt antiquitus & ſigna Imperii legitimi faſces, & ſecures, quibus virgæ colligatæ erant, quas ferunt primùm Ianum inſtituiſſe ad terrendos noxios, & innoxios tuendos. Diadema Regium tam Romanis, quàm exteris gentibus, candida olim erat faſcia, vel purpurea, apud aliquos quadrangulari figurâ; apud alios orbiculari; forte qualis hodie apud Turcas videtur nomine *Turban*; Apud Romanos frequens Laurea, capitis decorum fuit; & diſtincta radiis corona. Diadema, ſive Corona, victorię & æternitatis Symbolum eſt. Quare Regibus propria, quibus poſt victoriam partam ſubditi annos optant æternos; vel ut hinc diſcant ſeipſos regere: ſceptrum in manu, poteſtatem Regiam, juſque vitę & necis ſignificat. Vnde olim pro ſceptro, haſtas geſtabant; quas Gręci ſceptra dixere: fortè quia olim veteres pro Diis immortalibus haſtas coluere. Sceptrum propriè baculus eſt, & columna, quâ Reges ſubditos ſulciantur. Inde Rex Βασιλεὺς apud Græcos appellatur, quaſi Populi baſis & fulcrum. Sceptro ergo vtraque Regis poteſtas ſignificatur directionis, & correctionis, ſive coactionis. Vnde Princeps Moſcoviæ cùm aliquem Nobilium alicui officio præponit, baculum illi date ſolet: quo poteſtas regendi, & judicandi deſignatur. Lydorum Regum pro ſceptero erat ſecuris, Romanis Lituũs incurvus, qualis baculus augurum. Quorumdam Regum ſceptra in ſummo ciconiâ, in imò Hippotamo exornabantur: illa Symbolum pietatis hoc violentiæ. Ægiptii nunc Tauri, nunc Leonis, aut Draconis efficti imaginem, aut ignem ſupra caput ferebant.

CAPVT XII.

Ritus inaugurationis, & conſecrationis Regum.

INterdum olim Reges inter aras eligebantur, cùm Diis ſacrificarent, ut argumento eſſet, Reges à Deo pro ſummo munere hominibus dari, quod de Trajano Imperatore Plinius teſtatur his verbis: ſi dubium foret, fortè caſuque Rectores terris; an aliquo numine darentur, Principem tamen noſtrum liqueret divinitùs conſtitutum: non enim occultâ poteſtate fatorum; ſed ab Iove ipſo coràm ac palàm repertus, electus eſt: quippe inter aras, & altaria, eodemque loci, quo Deus ille eſt tam manifeſtus, ac præſens, quàm cœlum ac ſydera inſedit. Cùm ergo à Deo Reges pro ſummo dono hominibus concedantur, vt ipſius vices agant, nec minus Sacerdotali, quàm Regia polleant poteſtate; quò novus illis divinę majeſtatis character imprimatur, ſolent Sacri Olei Vnctione inaugurari: hinc Chriſti appellati, id eſt uncti, juxta illud; *nolite tangere Chriſtos meos hoc eſt, Reges.*

Varios autem hujuſmodi inaugurationis, ſive conſecrationis ritus, tam apud antiquos, quàm apud noſtros invenio. Æthiopes, ut ſupra ex Diodoro ſiculo retulimus, à Sacerdotibus Sacerdotem prius, poſtea Regem electum, flexis genibus adorabant hac lege quod prius more bachantium diu circum circa delatus à Deo ad regnandum deſignaretur. Apud Perſas novus Rex electus Bellicæ Deæ, Minervæ ſcilicet templum ingrediebatur, vbi propriâ veſte depoſitâ, eâque, quàm Cyrus priſcus antequam Regno potiretur, veſtiebatur, indutus, caricis veſcebatur, Terebinthum prò bellariis deguſtabat, poculumque lactis ebibebat; aliiſque peractis myſteriis à Sacerdotibus conſecrabatur. Solebant Batavi & Germani Regem, quem delegiſſent humeris attollere, ſcutoque exceptum ſuccollari per vicos pro regio feſtigio deferre: quem morem Galli olim, & Romani obſervabant. Vtopienſes Regem cùm inaugurabant, non ſceptrum, nec veſtem regiam, aut Diadema, ſed manipulum frumenti dabant: fiebat olim Archiducis Carintheorum electio, & inauguratio ad ſaxum, ſeu lapidem marmoreum, in medio prati erectum, cui Dux inſidebat veſtibus ruſticis indutus, circumdante ruſticorum coronâ: ſexageniſque denariis traditis, cum bove, & aſina, jurabat ſe leges patrias & Chriſtianæ fidei dogmata ſervaturum, quo facto, levique colapho à ruſtico Principi dato, conſcenſoque lapide, nudum gladium manu vibrans, adorabatur. Electuri Sueciæ Regem, confluunt ad ſaxum cam-

peſtre: vbi Rex proclamatur: quod & faciunt Dani ſaxis inſiſtentes; quâ lapidum firmitate Regni conſtantiam auſpicantur. Apud Ægiptios Sultani electi equum olim ad potãdam Nili aquam ducebant, & hoc ſigno Imperii latitudinem ominabantur: Perſarum verò Reges ex Euphratis & Iſtri aquâ allatâ bibere ſolebant, quæ *Suſi* in theſauro recondita, tanquam in pignus Imperij, totiuſque orbis dominij ſervabatur. Reges Romanorum electi à ſummo Pontifice inungebantur, conſecrabantur, & coronabantur. Triplici coronâ Cæſares, vel Imperatores hodie coronati tradunt juris Pontificij Enarratores; Aquiſgrani primùm ferreâ, per quam Germanorum Reges deſignantur; Medocij oppido Longobardorum argenteâ alia corona palea intextâ: Tertia, aurea eique Romæ à ſummo Pontifice tradita. Prima, quâ fortitudo, & robur ad debellandos infideles, & rebelles coërcendos deſignatur. Argentea, munditiam, & claritatem ſignificat, quæ requiruntur in Principe. Aurea, juſtitiam repræſentat. Rex Romanorum electus, & Imperator deſignatus hoc modo Aquiſgrani inauguratur. Primùm, Enſis Regalis, vel Imperialis à Duce Saxoniæ illi traditur. Comes Palatinus Pomum Imperiale portat. Marchio Brandeburgenſis, Sceptrum: & hi Imperatorem præcedunt; Rex Bohemiæ ſequitur Reges. A Sacerdotibus conſecrati in ſacris ædibus ad aras, & inter ſacrificia, mos ferè fuit apud omnes gentes. Oleo verò etiam Sacro inunguntur: tùm quòd ſacerdotali quodãmodo dignitate polleant: tùm quia Dei ſunt ſimulachra, tum, ut meminerint juſtitiæ, & lenitatis. Oleum enim tipus eſt miſericordiæ oleo gladius acuitur. Reges autẽ utrũque miſcere debẽt. In ipſa verò inauguratione ſolemni ſe juramento obſtringunt, patrias, Regnique leges ſervaturos, jus vnicuiq; ſuum reddituros; primùm Deo, quoad religionis cultum: 2. Regno: 3. ſingulis ſubditis, quæ omnia in conſecratione, & inauguratione Regum Galliæ religioſè ſervantur, quam ſequuntur acclamationes his vocibus: *vivat Rex, vivat in ſempiternum.* Deinde à cunctis adoratur. Cùm Deus populo ſuo Moyſem Principem conſtituit, dedit illi virgam ſignorum, & prodigiorum inſtrumentum pro ſceptro & poteſtatis ſymbolo; in poteſtatia autem Sacerdotalis ſymbolum alia conſtituit inſignia, alioſque titus conſecrationis, veſtimẽtum ſcilicet lineum, tunicam, ſuperhumerale, rationale, Baltheum, Tiaram in capite, cum lamina ſancta ſuper Tiaram, & vnctione ſacrâ capitis. Reges Galliæ hodie, & antiquis retrò etiam temporibus, hoc modo inaugurantur. Primò, ſacrâ factâ ex oleo columbæ de cœlo delato, vnctione, corona capiti eorum imponitur, ſceptrum in manus traditur; cum gladio; Baltheoque præcincti, Regias induunt veſtes, poſtea Reges proclamantur. Huic verò inaugurationi, quæ in Eccleſia Remenſi celebratur, adſunt duodecim pares Franciæ, quorum ſex EccleſiæPrincipes, ſexque Laici, tùm Duces, tùm Comites, alijque Regni proceres.

CAPUT XIII.

Specialis, & præ cæteris Regibus, admiranda Regum Galliæ conſecratio.

De hac ſpeciali, & admiranda Regum Galliæ Vnctione ſupra diſſeruimus tractatu de Laudibus, & prærogativis Regni, Regumque Galliæ; ſed repetita placebunt. Apud omnes pene orbis terrarum gentes, antiquiſſima hæc eſt conſuetudo, reges inauguratione oleo ſacro inungi; & inde Chriſti vocantur, & Sacerdotali donantur dignitate: ſpecialis tamẽ eſt, nec nõ ſtupẽda regũ Galliæ conſecratio. Nam, ut referunt Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores, die abluendo Regi Clodovæo indictâ, paratoque ingenti Lavacro, cùm Sacroſanctum oleum, quo, ritu Chriſtiano ſolent leniri baptizandi, ſive Miniſtrorum incuriâ, ſive tranſitu ob ingentem populorum aſtantium multitudinem illis denegato, ſive, ut credibilius eſt, hoc agente Deo, non eſſet allatum: ecce de ſuperis delapſa Columba Phialam, quam Ampullam vocant, odoratiſſimi liquoris oppletam ad manus S. Remigii detulit. Creditur Spiritus S. miniſtetio id perpetratum eſſe. Eo liquore Clodovæus primùm; poſteri deinceps Francorum Reges hactenus Regnum adminiſtraturi ſacrantur. Hoc verò oleo vnctus Clodovæus, ad circumſtantem Nobilitatem, populumque brevi oratione habitâ, ſuadet falſam Deorum Religionem aſpernari, & Chriſtianam profiteri, Fidemque Catholicam amplecti, à qua nullus à tempore Clodovæi Rex Francorum receſſit, nulluſque vſque ad mundi occaſum recedet; quod Sacri Olei Unctioni piè adſcribitur; cujus & virtute ſoli Reges Galliæ hanc à Deo gratiam obtinent, vt ſolo digitorum tactu morbo Scrophularum oppreſſos ſanant, his verbis: Rex te tangit: Deus te ſanet.

CAPVT XIV.

Varia Regum, Regnorumque Stemmata.

Ægiptii Hieroglyphicis quibuſdam ſignis, vice litterarum ſcribebant; quibus res omnes exprimerent. Sceptro erecto, & oculo ſuperpoſito, Regiam ſummique numinis potentiam demonſtrabant. Inde ſtemmatum, & inſigniorum origo; quæ ſigna veluti ſunt, litteræque Heroglyphicæ, quibus præclara antenatorum geſta, ad diſtinctionem familiarum, & antiquæ nobilitatis argumentum indicantur. Hæc verò nedùm à familiis, ſed & à civitatibus, Rebusp. Provinciis, Regnis, Imperiis, eorumq; Rectoribus vſurpantur. Scytharum ſtemma *Fulmen* fuit: Phrygum *ſus*: Thraciæ *Mars*, Perſarum *Arcus*, & *Pharetra*: Romanorum *Aquila*, Cretenſium *Gallus Gallinaceus*: Iudæorum *Leo*; Regis Davidis olim inſigne; his verò temporibus Polonorum *Aquila alba expanſis alis*: Moſcovitarum, ex vna parte, *hominis nudi imago equo ſive ſella inſidentis, haſtaque draconem transverberantis: à tergo Aquila biceps, vtroque capite coronata*: Scotorum *Leo rubeus*: Anglorum *tres Leopardi*: Hiſpanorum *Leo*: Germanorum *Aquila*: præter hæc propria quibuſdam Regibus inſignia fuere Seleucus Imperator *Anchora in annulo ſignatorio*: Octavius Auguſtus in epiſtolis & diplomatibus *Sphinge vtebatur* Lilia è cœlo per Angelum ipſa die, quâ Rex Clodovæus à S. Remigio Remenſium Archypreſule Remis Sacrâ Baptiſmi Aquâ fuit aſperſus, & immerſus, non abſque miraculo, Buffonum loco, qui Regem Galliæ ſtẽma Regium primitùs erant Lilia delata: ſequentibus ſæculis Regiis ſtemmatibus appinguntur, de quibus fusè ſupra ex hiſtoriæ Galliarum ſcriptis diſſeruimus. Ex his verò efficaciſſimum ducitur

contra leges Regni, cuncta pro ſui arbitrio, nec attentà communi, ſed propriâ utilitate, Tyrannico modo imperat. Secunda, cùm Regno, vi, vel dolo uſurpato, invitis pro ſuo arbitrio, ſuique dumtaxat gratiâ, contra jura dominatur; & hæc maximè propriè tyrannis appellari débet Regiæ poteſtati abſolutè oppoſita, quæ violentum eſt unius Imperium præter mores & leges,

Tyrannidis incommoda.

Peſſima eſt,& innumeris obnoxia malis, hæc regnandi forma; utpotè iniqua, & violenta. Primò; enim,parum durat tyrannis, nullum enim violentum durabile. Regnum malis artibus comparatum, & vi retentum non poteſt durare, ait Demoſthenes; quod tam ſacræ, quàm Prophanæ teſtantur hiſtoriæ, Alexandri, Iulii Cæſaris, Domitiani, pertinacis Imperatoris exemplis,qui breviſſimo tempore regnarunt: malè enim parta citò dilabuntur: præterea, cùm tot hoſtibus, quot civibus imperent; undique illis pericula occurrunt, ubique parantur inſidiæ; quare ſemper timeant neceſſe eſt, qui alios terrent, ut canit Poëta.

Qui terret, plus timet; ſors iſta Tyrannis
Convenit; invideant claris, forteſque trucident;
Munitique gladiis vivant, ſeptique venenis
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.

Quin & illud dictum de Nerone à Suetonio, quòd dum vellet ſpontè mori, & ab aliquo interimi, nec amicos qui juvarent; nec inimicos, qui mortem accelerarent, inveniſſe. Gladii, tela illorum impendent cervicibus, imminent undique ſpicucula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro ſtudio; ut dixit olim Saturnius Imperator, cui accinit Poëta.

rapta, ſub trepidâ manu
Sceptra obtinentur. Omnis in ferro eſt ſalus,
Quod civibus tenere te invitis ſcias,
Strictus tuetur enſis, alieno in loco
Haud ſtabile Regnum eſt.
Qui ſceptra duro ſævus Imperio regit;
Timet timentes: metus in auctorem redit.

Hos verò regnare Deus permittit, ut ſubditi debitas pœnas luant; quibus non ut Reges, ſed ut carnifices à Deo præficiuntur. Tyranni hæ ſunt voces Neronis, *oderint, modò timeant, me vivente terra igni miſceatur.* Caligulæ, *utinam Reſpublica unam haberet cervicem, ut uno ictu poſſet amputari;* Lyci, *quod Jovi, hoc Regi licet.* Neronis adhuc, quàm pulchrè ſplendet Roma, cùm eam conflagrantem in Smaragdo contemplaretur. Et alius, quàm ſuavis odor? cùm ſupra civium corpora tabe fluentia incederet. Tyrannicæ verò actiones, optimates necare, bonos & ſapientes opprimere, ſtudia bonarum artium abolere, licitas congregationes prohibere, Schyſmata fovere; extraneis magis quàm ſuis fidere, Virgines rapere, thalamos alienos adulteriis fœdare, leges tam divinas,quàm humanas,juraque omnia effringere & in propriam utilitatem cuncta convertere. Tyrannus apud Græcos, à fortitudine derivatur; eo quòd per potentiam ſubditos opprimat. Cùm enim ſpreto bono communi, privatum in omnibus quærat; inde ſequitur, quòd ſecundum diverſos, & inordinatos affectus, quibus movetur, ſubditos ſupra modum gravet,eorum opibus inhiat: crudelis ſanguinem effundit. Vnde in ſacris paginis Tyranni ſæviſſimis belluis comparantur, lupis urſis, Leonibus Ezech. 22. *Principes ejus, in medio ejus, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem.* Et de Tyranno Iob 15. *ſonitus terroris.* Salomon *leo rugiens,urſus eſuriens Princeps injuſtus.*Hunc Deus populis in furore ſuo tribuit, juxta illud Oſee 12. *Dabo vobis Regem in furore meo.* Pulchrè tyrannum Iob hypocritam vocat c. 34. *qui regnare facit Hypocritam*, nam hypocrita ille dicitur,qui perſonam viri probi refert, cujus virtutem, & ſanctitatem non habet. Sic tyrannus, ſolam veri Regis ſpeciem refert, cujus virtutes à ſe rejicit,

LIBER QUINTUS,

DE REGE,

SEU

MONARCHA,

REGIISQVE VIRTVTIBVS, QVIBVS ORNATVS, DIGNE IMPERAT.

QVÆSTIO I.

DE SINGULIS REGIIS VIRTUTIBUS.

CAPVT PRIMVM.

Regis Sanctitas, totius Regni Sanitas, & Fœlicitas.

PRæclarè Plinius in panægiric. quod inquit, pulchrius aut præſtantibilius Deorum munus, quàm caſtus, & Sanctus, & Diis ſimillimus Princeps! Principis, ſive Regis ſanctitas, totius Regni ſalus eſt, & fœlicitas. Nec mirum: cùm Reipublicæ, ſeu Regni, vel Imperii caput, Rex ſit: corporis autem ſanitas ex optima capitis pendet valetudine, vitali in fluxu, rectoque regimine.

Arctà quàdam cathenâ colligantur in corpore civili, qui parent cum imperante, ſicut in naturali animalis corpore membra capiti cohærent: & ut in corpore, capite languente, languent membra; ita in civili ſocietate; Princeps, qui illi capitis inſtar præeſt, ſi ad virtutem præit, ſubditi ſequuntur; ſi ad vitia, inclinant. Si benè beatèque agit, florent Regna, & Reſpub.: ſi peccat, labuntur cum illo juxta illud: *quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi*: & ut ex ſolis ad nos vel acceſſu vel receſſu terra illuſtratur, & obſcuratur: ſic à Principe ad virtutem progrediente, vel regrediente, Regnis dies, & nox accedit. O verè juſtum, & legitimum illum Principem, qui ſibi non cives, ſed ſe civibus datum arbitratur: qui in Imperio, non Imperium dumtaxat, ſed ſubditorum ſalutem, non propriam, ſed communem per ſe primò, intendit utilitatem: qui hominibus præeſt, non ſui gratiâ, ſed hominum cauſâ: non tam rerum Dominus & arbiter, quàm tutor, rector, & adminiſtrator: qui in ſummo faſtigio conſtitutus, non tam magnus, quàm bonus audire deſiderat, duaſque res diverſiſſimas, potentiam, & modeſtiam miſcet; quem deinque prodeuntem certatim ſubditi, veluti beneficum, & ſalutare ſydus quoddam aſpiciunt, inter amorem, timoremque medii: & alternis judiciis ambigentes, Dominum ſalutent an patrem. Hæ verò à ſuis ſubditis demerebitur, ſi ſe totius Regni caput eſſe meminerit: capitiſque munera implere ſtuduerit.

Summus olim à gentilibus capiti præ cæteris corporis humani membris honor deferebatur: ut per illud, quaſi per Iovem, cui ſacrum erat, jurarent. In hoc fortè naturæ ingenium æmulati, quę præcipuam hanc corporis partem, ſingularibus inſignivit prærogativis. Siquidem in illa tanquam in arce, mentis, & animæ ſedem, & veluti ſolium collocavit, ex qua ſenſus, & nervi originem ducunt. In illa vigent omnium ſenſuum organa, in hac formæ decor nitet, & hominis majeſtas: Hæc non in terram more pecudum prona, ſed in cœlum erecta, ut cœleſtia contempletur, diviniſque tota inhæreat; juxta illud.

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri

Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Hæc in cœtera membra principatum habet, regimenque exercet, ex cujus vitali influxu corporis ſalus pendet. Quare præ cœteris corporis membris metuit honorari; coronâ enim Regioque Diademate inſignitur. Quamobrem illi religionem ineſſe, & veluti rem ſacram divinamque ſanctè obſervari, & coli decere, Gentiles arbitrati ſunt. Ideo ſi quem revereantur, aut honore dignum putabant ad ejus occurſum caput revelabant. Summus verò olim Sacerdos caput ſemper pileo opertum habebat, ſummæ reverentiæ in argumentum & ſupremæ majeſtatis.

Triplex ergo capitis munus eſt, primum, ut cœlum ſpectet, cœloque inhæreat. Quò fortè Plato reſpexit, cùm dixit: hominem arborem eſſe inverſam, cujus radices cœlo fixæ ſint. Hinc capiti ſanctitas, & divinitas olim conceſſa, quòd cœli ſpeciem referat: utpotè figuræ ſphæricæ, oculorumque veluti ſyderum ſplendore refulgens: quòd cœlum ſpectet, & à terra longiùs, quàm reliquæ corporis partes recedat, quæ certè divinitatis, & ſanctitatis argumenta ſunt. Deus enim ἄγιος, ſanctus appellatur, quaſi ſine terra: puriſſima mens, cujus cœlum ſedes, terra verò ſcabellum pedum ejus. Secundum capitis munus eſt, ut in cœtera corporis membra influat, eaque recto regimine gubernet: ex quo corporis vita, & ſalus pendet. Verùm, ut vitam influat optimam, & perennem, vivat ipſum, & quidem vitâ optimâ firmâque fruatur valetudine, & conſtitutione neceſſe eſt: & ut rectè ſubjecta membra gubernet: debet ſeipſum primò regere. Ad hæc à natura quinque ſenſuum organa accepit, quibus primò ſibi, aliis deinde corporis partibus provideat; inſuper mentis, & rationis ſedes, & domicilium: effecta eſt. Quo ſenſu intelligi poſſunt hæc ſapientis verba, *initio fecit Dominus hominem rectum*: id eſt, recto corpore, vel facie in cœlum erectâ. Rectitudo verò æquitatem, & juſtitiam ſonat. Iuſtitiæ verò, quæ unicuique ſuum jus tribuit, triplex munus eſt: nempe Deò quod ſuum eſt, reddere: honorem ſcilicet, religionis cultum, & obedientiam, ſibi propriam ſalutem: & aliis, ſi æquales ſunt, amorem, ſi impares, & inferiore, optimi regiminis curam. Tria verò hæc perfectæ juſtitiæ munera caput in humano corpore exercet. Deo enim cultum, & honorem reddit, erecto ad ſydera vultu, ſuæ verò, ſaluti ſtudet cùm innatum conſervat decorem, rectamque conſtitutionem. Membrorum utilitati ſibi ſubjectorum providet; cùm ſalutares illis vitæ influxus infundit; eaque recto regimine gubernat. Quare tota capitis perfectio triplici juſtitiæ munere conſummatur, quæ in Principe totius Regni capite deſideratur, ut pro ſuo munere rectè illud gubernetur. Quare, ſolus ille verè Rex, Regnique caput dici debet, in quo juſtitia, Regia prorſus virtus ſummoperè reſplendet. Hâc potius, quàm ſceptro regnat; hâc, Regio tanquam Diademate coronatur, quæ ſola quodammodo in Principe deſideratur, utpotè quæ cœteras omnes regii muneris dotes ambiat. Hâc enim unicuique ſuum jus tribuit, Deo Religionis cultum, reverentiam, & obſequium; ſibi gloriam; propriamque perfectionem; ſubditis ſalutem; & in his totius Monarchici, Ariſtocratici, & Democratici ratio verſatur.

CAPUT II.

De Iuſtitia Regia.

IUſtitiæ nomine aliquando nobiliſſimus virtutum omnium chorus ſignificatur, quo ſenſu dixit Regius Vates; *Iuſtus ut palma florebit; Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Iuſtus enim in ſacris paginis ille cenſetur, qui legem implet, & omni virtutum genere micat. Iuſtus idem, ac ſanctus: quare juſtitia ſub hac acceptione denotat ſanctitatem, de qua infra. Alio modo juſtitia preſſiùs pro ſpeciali quadam virtute accipitur, cujus hoc proprium munus ſit, ſuum unicuique jus tribuere, & hæc ſub ſe varias adhuc ſpecies complectitur, juxta varia juris genera. Aliud enim jus divinum, aliud humanum: humanum aliud univerſale, aliud particulare. Iure divino Deo ſupremus religionis cultus pietas, obſequium debentur; & hæc ad Religionem ſpectant; quæ pars quædam eſt juſtitiæ, ut docet Angelicus Doctor. Sibi quiſque aliquid debet, nempè proprii ſtatus perfectionem, ut ſupra dictum eſt: & hoc jus ad juſtitiam monaſticam, ſive particularem pertinet. Aliquid etiam proximo debemus: & hæc propriè juſtitia appellatur, quæ ad alterum eſt. Hujus adhuc variæ ſpecies: alia enim dicitur, Harmonica, alia Commutativa, alia Geometrica, alia Arithmetica. Ad juſtitiam commutativam refertur Arithmetica æqualitas; quæ numerum ad numerum conferendo, vel rem ad rem, æquale ab inæquali diſtinguit, ſicut binarii ad binarium. Diſtributiva verò juſtitia Geometricam habet æqualitatem, ſeu proportionem. Sicut enim Geometriæ figurarum ratione, alias alias res æquales dicunt; quamvis quantitate ſint inæquales: ſic ratione dignitatis plus uni merenti, quàm alii non merenti diſtribuentes; & dantes, uniquique quod meretur, æqualia dare dicuntur; non habitâ ratione quantitatis. Etenim Geometriæ rotunditatem parvæ pilæ, æqualem dicunt rotunditati orbis, non quantitate, ſed figurâ, & inæquales figuras, rotundam, quadratam, triangularem. Sic ſi reſpiciamus quantitatem pœnarum, leviùs punitur nobilis, quàm vilis, liber, quàm ſervus: ſed ſi reſpiciamus æqualitatem Geometricam, æqualis pœna debetur: unde Princeps conſideratè aget, ut potius cuique in honoribus, & aliis diſtribuendis, ſecundum dignitatem, & proportionem Geometricam, quàm Arithmeticam jus reddat. Harmonicam Bodinus, ex Geometrica, & Arithmetica componit. Arithmeticam democratico regimini propriam eſſe dicit; quia in Republica ſtatuque populari ſumma in officiis publicis diſtribuendis paritas, & æqualitas obſervatur; quæ Arithmetica eſt. Geometricam Ariſtocraticæ adſcribit; in qua meliores, ditiores, & nobiliores Rempublicam gubernant; quòd ad Geometriam ſpectat, cujus æqualitas non adeò rigoroſa eſt, ſicut in Arithmetica; Harmonicam Monarchiæ tribuit, quæ cæteras omnes Politiæ ſpecies eminenter comprehendit. Sub unius enim Principis ſuprema auctoritate, Magiſtratus, & Senatus ex ſapientiſſimis viris compoſitus Rempublicam adminiſtrant.

Communiter tamen juſtitia propriè ſumpta, & ut à cæteris virtutibus moralibus diſtinguitur, in commutativam, & diſtributivam ſolet diſtin-

gui. Commutativa in æquali conſiſtit rerum cõmutatione; cujus inſtrumenta ſunt contractus: quibus commercia hominum,ab inæqualitate opinionis; aut falſæ functionis ad æquum vel te, vel conſenſu deducuntur: & circa hanc æqualitas Arithmetica, ut diximus, verſatur. Diſtributiva Geometricæ æqualitatis regulis inſiſtens, cujuslibet merita, vel demerita æquâ lance ponderat, & unicuique vel prœmia decernit, vel pœnas infligit. Quare diſtributivæ duplex munus eſt; prœmia nempè benè merentibus decernere; & malè merentibus ſupplicia inferre; hinc bifariàm ſubdividitur, in prœmiativam & vindicativam. Vtraque penes Principem, vel Reipublicæ Rectores, Magiſtratus, & Iudices ſolummodò reſidet propriè loquendo. Commutativa inter cives exerceri poteſt ratione commercii; Principi verò adhuc, & Reipublicæ Rectoribus,ſive Iudicibus congruit; quatenus ſuum unicuique jus ad æqualitatem geometricam latâ ſententiâ decernunt.

Iuſtitia commutativa, & diſtributiva politico Regimini, tùm Ariſtocratico, tùm Democratico, tùm Monarchico ſimpliciter eſt neceſſaria, quia, ut lepide Plutarchus, lib. de Principe, finis legis juſtitia eſt; lex verò Principis opus, Princeps Dei imago; *Deus* autem, *omnia in pondere numero, & menſura gubernat*, ut dicit ſapiens, quibus verbis triplex juſtitia innuitur, Arithmetica, Geometrica, & Harmonica. Arithmetica; dùm omnia numeris diſtinguit: Geometrica; ubi ſingulis rebus propriam præſcribit menſuram; Harmonica, cùm innato pondere cuncta in fines proprios ordinat. Hinc à Platone dicitur Deus arte muſicâ, ſive Harmonicâ, Arithmeticâ, & Geometricâ mundum condidiſſe; & in ejus regimine triplicis hujus artis munere fungi. Quia verò totius Politici Regiminis Principatum Rex habet; qualem Deus habet in univerſali totius mundi Republica, ideò præ cæteris virtutibus juſtitiâ Princeps pollere debet, tam Harmonica, quàm Geometrica, & Arithmetica. Principes enim, ut ſubdit Plutarchus, Dei Miniſtri ſunt ad tutandam hominum ſalutem, ut quæ Dii bona hominibus largiuntur, ea partim diſtribuant; (quod ad diſtributivam juſtitiam ſpectat.) partim conſervent; quòd ad commutativam, & quale elegantiſſimum in cœlo ſimulachrum ſui Deus ſolem, atque lunam infixit; tale in civitatibus ejus exemplum eſt, atque lumen Princeps; juxta illud Homeri. Odiſſ. 3. *Iura Dei ſimilis, qui dat mortalibus æqua.* Nec immeritò Principem Soli cõparat Plutarchus, qui apud Ægiptios, juſtitiæ ſymbolum fuit, tùm diſtributivæ, tùm commutativæ. Æqualiter enim ſol ſui luminis radios in omnes terræ partes effundit.

Vt ergo Dei imaginem fœliciter in ſe Princeps referat, præ cæteris juſtitiam colat, neceſſe eſt. Nam, ut docet Ariſtoteles, lib. de Mundo, Deus, ut vetuſto verbo proditum eſt,principium,& finem, & media rerum omnium tenens, rectaque lineâ incedens, operatur quidem ſecundum naturam; è veſtigio comitem item habens, juſtitiæ Præſidem, quam *Dicen* nominaverunt, divinæ legis vindicem, ſimul ut quidquam contra ſanctionem ejus prætermiſſum eſt.

Iuſtitia verò, quæ in Principe micat, dicitur à Plutarcho Regia, & politica; cujus duplex munus; unum circa hæc, quæ tranſiguntur inter Regem, ſeu Principem, & ſubditos: altera de his quæ fiunt inter ſubditos, & ſubditos. Prior reſpicit ea quæ debet Principi populus; & quæ Princeps populo debet. Debent autem ſubditi Principi obedientiam, & auxilium. Populo Princeps debet bonum exemplum, optimique regiminis curam; de quibus omnibus infra fusè. Ad hanc pertinet Regia fidelitas in verbis, & promiſſis, ut quæ ſubditis ſpopondit, opere compleat. Ad partem verò juſtitiæ Regalis, quæ reſpicit ſubditorum curam, inter illos, ſpectat juſtitia judicialis; quæ juxta leges unicuique ſuum jus tribuit, & conſervat. Præ cæteris enim curare debet Princeps, ut leges ſerventur. Ad illarum verò cuſtodiam judices, & Magiſtratus requiruntur. Quare ad optimum Reipublicæ regimen neceſſe eſt, ut Princeps æquiſſimas leges ferat, quarum præſidio prudentiſſimos Iudices præficiat: de quibus adhuc infra. Quia verò leges abſque conſilio ferri nequeunt: tunc perfectę juſtitię cultor Princeps habendus eſt: cùm omnia ex ſapientium conſilio decernit. nequo etiam infra.

Diligite ergo juſtitiam, qui judicatis terram. Sap. 1. Ius enim reddere Principis munus eſt: hâc de cauſâ creatus: *hoc uno Reges olim ſunt ſine creati*, ut canit Heſiodus in Theog. *Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.* Nihil in Principis penatibus venale ſit, aut ambitioni pervium; cauſas, reoſque audiat; quia inauditi, atque indefenſi innocentes pereunt, judicetque ea legum præcepto; in legibus enim ſalus civitatis ſita eſt, ut docet Philoſophus; 1. Rhet. c. 3. remotâque juſtitiâ, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia, ut dicit. Auguſt. 4. de civit. Ius & æquitas vincula ſunt civitatis, inquit Cicero. in Parad.

Iuſtitia Regis pax eſt populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, ſerenitas m[illegible], terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæ[illegible]as filiorum, futuræque ſpes beatitudinis.

Exurge de cœlo juſtitia, exclamat Tertullianus, & quidem jure optimo: à terris enim juſtitia exulavit, Hoc enim tempore, injuſti, impii facinoroſi in terris exultant; juſti verò, pauperes probi Dei amici lugent, impiorum, facinoroſorum, perfidorum perſequtionibus oppreſſi, qui perfidi ſub ſpecie interdum pietatis, ſuperbiâ elati, pauperes ſpiritu, id eſt, ſimplices continuò deprimunt, ut Prælaturas ambiant, quas ſimplices, & humiles corde abiiciunt.

In te verò, Auguſtiſſime à Deo Date, & Deiparæ Virginis Sacratiſſimi Roſarij precibus Nate, Ludovico decimoquarto Rege Galliarum, & univerſi orbis protectore, eximia illa, veréque Regia virtus, quantùm ad omnia ejus munia emicat, & quidem primò, erga Deum, eximiò Religionis Chriſtianæ cultu; quam inviolatam ſemper ſervaſti; ſecundò, erga teipſum, virtutum Moralium cultu, veſtræque æternæ ſalutis deſiderio. Tertiò, erga ſubditos veſtros, quos, ut pater filios diligis, & ab illis ex corde amaris. Si enim interdum tributa ab illis requiris, Majeſtati veſtræ jure naturali, divino, & civili debita, hæc ob publicum, & commune totius veſtri Regni commodum, & gloriam, ſubditorumque etiam utilitatem Majeſtas veſtra requirit, quæ Regni Galliarum fines virtute bellicâ, & Heroicâ ultra Rhenum tranſtulit, totiuſque Liliati veſtri Regni hoſtes procul à noſtris terris fugavit;

CAPVT III.

CAPUT III.

De Religione, Deique cultu, primo Iuſtitiæ Regiæ munere.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Religionem cum juſtitia connectit Poëta, quia religio primus eſt juſtitiæ munus, ut docent Theologi, quâ Deo reddimus quod illi debemus, honorem, cultum, & obſequium. Religio ſummum hominis bonum: ut diait Cicero, ſolique homini propria. Ex tot enim generibus, nullum eſt animal præter hominem, quod habeat aliquam Dei notitiam. Ex hominum verò genere, Regibus & Reipub. Rectoribus Regia hæc virtus maximè congruit Vnde Plutarchus: adverſus Colotem, in legum conſtitutione, primum & maximum eſt, de Dijs recta opinio. Quamobrem, inquit, & Lycurgus Lacædemonios, & Numa Romanos, & Dioa antiquus Athenienſes, & Deucalion Græcos ferè univerſos Dijs conſecrarunt, votis, ſacramentis, vaticiniis obnoxii. Et ſi terras obeas, invenire poſſis vrbes muris, litteris, Regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, gymnaſiorum, & theatrorum neſcias; vrbem tamen templis, Dijsque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causâ ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi, ſine ſolo eſſe puto, quàm opinione de Dijs penitùs ſublatâ civitatē coire, aut conſtare. Religio enim eſt id, quod omnem continet ſocietatem, omniùmque legum fundamentum eſt: Cùm ergò Reges civili hominum ſocietati optimè regendę præficiantur, ejuſque incolumitati, & tutelæ providere debeant, religione inprimis verique Dei cultu fulgeant, neceſſe eſt. Ideo olim Reges poſt inaugurationem apud Græcos in templum ducebantur; & apud omnes ferè gentes in templo inter altaria, & ſacrificia à Sacerdotibus conſecrabantur, & in conſecrationis ritu ſolemni ſe jure obſtringunt divina maximè Religionis jura ſe ſervaturos. Trajanus, ut refert Plinius, religioſiſſimus erga Deos fuit; & inter aras & ſacrificia à Deo, ad imperandum deſignatus: Quod & regum muneri, & dignitati maximè congruit Deo conſecrari: nec minus ſacerdotali, quàm Regiâ Poteſtate inſigniri. Hinc olim apud Romanos, Imperatores omnes ſummo fungebantur Sacerdotio: & apud Ægiptios ſoli Sacerdotes regnabant. Ariſtoteles, ut ſupra relatum eſt: duo præcipua Regum munera fuiſſe tradit; primùm circa res divinas, & ſacrificandi ritum; penes quos ſacrorum jus erat; ſecundum exercitus ducere, bellum gerere. Hinc Regum Iuda domus Regia Heroſolymis templo conterminua, & in eodem montis Sion vertice conſtructa videbatur; vt facilis eſſet ab aula Regia ad ædes ſacras tranſitus. Et proinde Legiſlatores illuſtriores, qui regio hoc munere vſi ſunt, quo ſibi majorem apud ſubditos auctoritatem compararent, erga Deos religioſiſſimi fuere, aut ſaltem tales apparere voluerunt, ut de Zoroaſtre, Triſmegiſto, Minoë, Charonda, Lycurgo, Dracone, Solone refert Ariſtoteles. De Numa primo Romanorum Legiſlatore legitur, quòd Ægeriæ Nymphæ fuit familiariſſimus, à qua finxit ſe leges accepiſſe. Perſarum Reges Poſagurdas proficiſcebantur, ut à Sacerdotibus ſacris initiarentur. Romani ſingulis annis duodecim juvenes primæ apud illos nobilitatis in Etruriam mittebant, vt à Tuſcis Sacerdotibus ſacros ritus edocti, Reip. regimini aptiores evaderent. Sic meminit Livius Romulum ſalutarum Regem, primùm inſtituiſſe ſacra quædam Albano ritu, & alia Herculis; deinde politicos Magiſtratus: qui ab auſpicio, quod ad religionis cultum ſpectat, futuram Imperii magnitudinem ominatus eſt. Ea religionis cultu innumera oriuntur commoda; primò enim Regum ingenia feroeiſſima miteſcunt divinæ metu vindictæ; ſubditi quoque facilius obedientiæ jugo ſubiiciuntur. Theodoſius Honorium, & Arcadium Hæredes Imperii moriens hortabatur, ut in primis religionem, & pietatem colerent, aſſerens per eam, & pacem ſervari, & bella confici, & hoſtes fundi, & trophea ſtatui, & victorias parari.

Religionis verò duo prima hæc ſunt præcepta. Primum, ut de Deo rectè ſentiat Princeps; Secundum, ut rectum ei cultum, tùm animi, tùm corporis exhibeat. Nam, ut præclarè Plinius in paneg. Dii non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ, & ſanctitate lætantur, gratiorque exiſtimatur, qui delubris eorum puram mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit. Nedum autem religionis veræ cultor eſſe debet, qui Rempub. regit: ſed & tuendæ, propagandæque religionis zelo ardentiſſimo flagrare; ut pro aris acerrimè pugnet, indicto contra impios, Sacrilegos, hæreticos, & Idolatras & Atheos bello: religioſiſſimorū Principum exemplo, Moyſis qui vituli aurei cultores gladio trucidari juſſit, Davidis qui à Deo electus, Regnum ſuum à reſtitutione, & reformatione cultus Domini auſpicatus eſt. Non enim, ut optimè dixit Ecphantes Philoſophus, qui aliis imperat, illum ignorari ſinere debet, à quo ipſe regitur. Sic facilius ſubditos reget; quia, ut ait Q. Curtius nulla res efficacius multitudinem regit, quàm Religio. Vnde Mecœnas ad Cæſarem, apud Dionem lib. 52. hiſtoriç, Deum, inquit, ſemper, & vbique colle, ut moribus Patriæ receptum eſt, & ad eumdem cultum alios compelle; peregrinarum religionum auctores odio, & ſuppliciis compelle. Hinc conjurationes, & conciliabula exiſtunt, res Principatui minimè commodæ. Vnde Sacrilega Machiavellis Politia, qui Principi ſuadet pro bono regiminis, ut diverſi, & contrarii cultus religiones in ſuo ſtatu patiatur, execrabilis eſt, abominanda, & à Regno eliminanda. Ad hunc verò religionis cultum facillimè Rex adducetur, ſi ſe Reipub. caput eſſe meminerit. Caput enim, pars corporis Sacra, Regalis, Principalis, & quodammodo Divina, cœlumque verſus erecta, cœleſtia contemplatur, & à terra longius remota Divinis intendit: ideoque ſola meruit coronari, cæteriſque corporis partibus imperare.

Hæc in te, Auguſtiſſime, à Deo-Date Ludovice decimoquarte Galliarum Rex, Religio præ cæteris Regiis virtutibus emicat: ut omnibus terræ Incolis appares, quam enim à Ludovico primo, ſeu Clodovæo abavo tuo, & à S. Ludovico, & à Ludovico decimo tertio fœlicis memoriæ iuſtiſſimo, ac religioſiſſimo Patre tuo accepiſti, hanc ſemper illibatam, & inviolatam habuiſti: pro qua tuenda, vrbes ab Hæreticis vſurpatas expug-

gnaſti, Eccleſias Fidelinm Catholicis, earumque reditus reſtituiſti; Præſules ſuis in Sedibus collocaſti, pro qua amplificanda Calviniſtas in Regno tuo, ad culium Dei, verꝍque Romanꝍ Eccleſiꝍ obedientiam aiteris revocare.

CAPVT IV.

Deo ſe in omnibus ſubjiciat, qui alios ſibi vult eſſe ſubjectos.

OMnia indigent Dei regimine, & Imperio, ait Auguſtinus, & miſera, & fœlicia: quia ſine illo miſer non ſublevatur, & fœlix non regitur. Tyrannica ergo hæc vox; *quod Iovi, hoc Regi licet.* Deus enim nulli paret, nulli ſubjicitur, omnium ipſe Dominus; Rex verò Deo ſubjici debet, à quo habet quod aliis imperet Nam, ut optimè Tertullianus in Apolog. c. 30. Sciant Reges quis illis dederit Imperium; ſciant, quia homines ſunt: ſciant Deum eſſe ſolum, in cujus poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi; poſt quem primi ante omnes, & ſuper omnes Deos. Cœlum, ne debellabit Imperator, cœlum, ne captivum triumpho ſuo invehat; cœlo, ne mittat excubias, cœlo ne vectigalia imponat? non poteſt. Ideo magnus eſt; quia cœlo minor eſt. Illius enim eſt ipſe, cujus & cœlum, & omnis creatura. Inde eſt Imperator, unde & homo antequam Imperator. Inde poteſtas illi, unde & ſpiritus. Deo ergo ſubjici debet Imperator, à quo imperandi pro ſummo dono accepit poteſtatem. In Apocal. Quod ſapientiſſimi illi Reges probè norunt, qui coronas ad pedes Chriſti depoſuere. Novit & ille Rex Poloniæ, qui pro inſigni manum è cœlo coronam illi porrigentem aſſumpſit. Novit, ſed ſerò novit Antiochus, qui divinitùs ulcere fœdiſſimo percuſſus; *juſtum eſt*, exclamavit, *mortalem Deo ſubditum eſſe.* Quod quia probè non noverat Dionyſius Siciliæ Tyrannus, ſupra humanæ elatus conditionis ſortem, divinamque æmulatus Majeſtatem, Regno meruit ſpoliari; futuræque ſuæ ruinæ hoc omen accepit. Plutarch. in Dione. Aquila enim è cœlo in terras ruens raptam ſatellitis lanceam in ſublime tulit, & inde in profundum demiſit; Vates autem interrogatus, reſpondit, miniſtram eſſe aquilam Iovis, lanceam Principatus inſigne. Antiquis enim Regibus haſta pro ſceptro erat. Igitur everſionem ejus tyrannidis moliri Deorum Principem. Quid ergo ſtolidius, quàm ad Atron montem Legatos mittere, eumque minaciſſimis litteris territare, mari vincula injicere, flumina flagellis cœdere, quod fecit Xerxes ambitione ebrius: cœlo bellum indicere, ut alter? Certè cui ad augendum Regiæ dignitatis faſtigium, nihil supereſt, ait Plinius, hæc uno modo creſcere poteſt, ſi ſeipſum ſubmittat, ſecurus magnitudinis. Fateor rebus ſecundis mutari animos. Verùm ille Imperio dignus eſt, qui fortunâ arridente nihil de prioris vitæ manſuetudine, & moderatione mutavit; vel hoc tantùm pacto mutatur, quòd civilior factus, proſperorum invidiam frangat, ut de ſuo Iuliano, falſò pronunciavit Mamerſinus in Paneger.

CAPVT V.

Humilitas, & modeſtia Regem maximè decent.

QVem finem Rex debeat intendere, circa hoc, diſſidium eſt inter artis politicæ Magiſtros, Tullius de Republica, cenſet Rectorem civilis alendum eſſe gloriâ, quia, inquit, Princeps, cui honor, & gloria non ſufficiunt, Tyrannus efficitur; ſubditorum opes rapit, uxoribus alienis vim infert. Meliùs in hac re ſenſit Fabius Maximus dicens, vanam gloriam mundi qui ſpreverit, veram habebit. Rectus ergo nedum ſubditorum, ſed & Principum, totiuſque politici regiminis finis, cœleſtis eſt, & æterna gloria, quꝍ in ipſa ſummi boni, Dei ſcilicet optimi, maximi poſſeſſione ſita eſt. Cujuſlibet enim rei finalis perfectio, ut Divus Thomas lib. de Principis regimine, completur ab aliquo ſuperiori: quia bona, meliora redduntur ex adjunctione meliorum; ſicut ex adjunctione deteriorum, fiunt deteriora; ſicut aurum ex mixtione plumbi. Uniuſcuiuſque rei deſiderium fertur in ſuum principium, à quo accepit eſſe; humanæ verò mentis prima cauſa efficiens & finalis eſt Deus: naturaliter ergo mens humana fertur in Deum à quo ſolo poteſt beari. Hunc ergo finem Rex debet intendere; non vanos ſæculi honores, qui bonos mutant & corrumpunt mores; itaut aliquando viliſſimi homunciones ad regiam dignitatem evecti, propriæque mortalitatis obliti, homines ſe eſſe dedignati fuerint.

Sapor Rex Perſarum, ſcribens Cæſari Conſtantino hos ſibi arrogavit titulos; Rex Regum Sapor, ſyderum frater, Solis, & Lunæ, Conſtantio fratri meo ſalutem plurimam. Eò verò proceſſit quorundam Principum ſuperbia, ut tanquam Dij haberi, & coli à ſubditis voluerint. Cæſar Caligula, ut refert Xiphilinus, Deorum veſtimenta inducebat, ut nunc Iovis, nunc Martis, nunc Minervæ perſonam repræſentaret. Et hæc prima fuit Idolatriæ origo, Regum ſcilicet væſana ambitio, qui adulatorum lenocinijs obcꝍcati, divinos æmulati ſunt honores. Princeps quo major fuerit, tanto plus ſeſe debet in omnibus humiliare; abſque nimia tamen animi dejectione.

CAPVT VI.

Quꝍ Principem ad modeſtiam, & humilitatem movere debeant.

Hominem ſe agnoſcat.
Primum Incentivum.

GRande Imperatoris nomen, ait Tertullianus, in Apolog. quod à Deo traditur. Negat illū tamen Imperatorem, qui Deum dicit; niſi homo ſit, non eſt Imperator. Hominem ſe eſſe etiam triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, Reſpice poſt te. Hominem memento te eſſe. Etiam utique hoc magis gaudet, tanta ſe gloria coruſcare, ut illi admonitio conditionis ſuæ ſit neceſſaria. Minot erat; ſi tunc Deus diceretur. Major eſt, qui revocatur, ne ſe Deum exiſtimet. Auguſtus Imperatot, Imperijque ſormator, ne Dominum quidem dici ſe volebat: & hoc enim Dei eſt cognumen. Quando ergo Deus haberi volet Princeps, ex eadem carne plaſmatus, qua reliqui hominum, in eandem dejectus terram ex utero matris, eundem hauriens aëris ſpiritum, ejuſdem mortis legibus obnoxius? Sapientiſſimè ergo ille de regia dignitate ſenſit, qui ex ruſtica familia ad thronum evectus, viliſſimos primæ ſuæ conditionis Pannns ante ipſum deferri curabat, cùm in publicum pro-

Digitized by Google

ccderet. *Namque ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & dico huic vade &c.* aiebat Centurio, & ſapientiſſimus Rex Salomon; *Ego homo mortalis ſum, ſimilis omnibus, & ex terreno genere:* Vnde Plinius de Laudibus Trajani, hoc illum, inquit, magis extollit: quod unum es nobis ſe eſſe putat, nec minùs hominem ſe eſſe, quàm hominibus præeſſe.

CAPVT VII.

Regalis dignitas magis onerat, quàm honorat. Secundum incentiuum.

PRæclara D. Bernardi vox ad Eugenium Papam; video gradum, ſed timeo caſum: altiorem locum ſortitus es, ſed non tutiorem: tot Dominis ſervis, quot imperas ſubditis: ſervus ſervorum effectus, Inde Βασιλεὺς, apud Græcos, Rex appellatur, quaſi Βάσις λεως baſis & fulcrum populi. Baſis autem impoſito ſubſtat oneri. Hinc currus, & auriga ab Elizæo vocatur. *Pater mi, Domine mi,* ad Heliam, *currus & auriga Iſraël,* Currus, quia Regnum portat, & vehit Princeps, auriga; quia regit. *Namque ego homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus.* Pondera illud, *ſub poteſtate.* Poteſtas enim Regia pondus eſt: onus eſt, cui Rex ſubjicitur. Onus profectò graviſſimum, ſub quo fortiſſimus David fatiſcebat. *Impoſuiſti*, inquit, *homines ſuper caput meum*, quaſi pondus immensæ molis. Vnde olim Reges, Turrita Diademata geſtabant; in quibus Turres, & Vrbes depingebantur. *Ego feci, ego portabo*, ait Deus; qui verbo ſuo portat orbem: ſummuſque Sacerdos ſupra humeros in pondere totius orbis imaginem ferebat, An ignoras Principatum, nobilem eſſe ſervitutem, dixit olim Antigonus ad filium? Revera Principes purpurata ſunt mancipia.

CAPUT VIII.

Tertiò, humiliet ſe Princeps, quia inter hoſtes vivit, totque æmulis imperat, quot ſubditis.

G*Eneri quid optem, quidve decernam haud ſcio,* aiebat Iocaſta; apud Tragicum in Thebaide. *Regnum repoſcit: cauſa repetentis bona eſt; mala ſic petentis. Vota quæ faciam parens? Regnare enim maxima pœna eſt. Ne metue, addit Iocaſta, pœnas ſolvet, & quidem graves: regnabit. Hæc eſt pœna: ſi dubitas, avo, patrique crede. Cadmus hoc dicet tibi, Cadmique proles. Sceptra Thebarum fuit impunè nulli gerere, nec quiſquam fide ruptâ tenebit illa. Iam numeres licet fratrem inter iſtos. Regnare non vult, eſſe qui inviſus timet. Simul iſta mundi Conditor poſuit Deus, odium atque Regnum. Tot enim hoſtibus plerumque Rex imperat, quot ſubditis: maximè, cum Tyrannicè imperat.*

CAPVT VIIII.

Periculoſa, timida, anxia Dignitas Regia Quartum humiliationis incentivum.

M*Ihi crede: falſa nomina placent*, ait Thyeſtes apud Tragicum. *Dum excelſus ſteti nunquam pavere deſtiti: atque ipſum neci ferrum timere lateri, rebus parvis alta præſtatur quies. Nec abnuendum ſi dat Imperium Deus: nec appetendum. Quid numerem everſas urbes, Regumque ruinas: & rogo Croeſum, Priamumque in littore truncum: Cui nec Troja regus; quid captos agmine Reges?* Imperium cupientibus aut habentibus nihil medium inter præcipia & ſumma, ait Tacitus; nec his gradibus ad ſummum perventum eſt, retro-ritur, inquit Seneca lib. 6. de benef. c. 33. ſœpè inter fortunam maximam & vltimam nihil intereſt.

CAPVT X.

Humiliet ſe Princeps ſub Deo ſummo Iudice, cui rationem eſt redditurus.

S*Celera Regum majore taxantur modo.* Hæc Gentilis. Quid Chriſti ſervus. Quid fidelis? *Audite hæc Reges,* ait Sapiens. ſap. 6. *& intelligite: Diſcite Iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo; qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non rectè judicaſtis; nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ: horrendè, & citò apparebit vobis; quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt, fiet: potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatus. Aſſueſcat ergo Imperator cum Imperio calculum ponere, ſic imperet quaſi rationem redditurus.*

CAPVT XI.

Sic ſe Rex humiliet, ut à ſubditis timeatur.

NImia humilitas, vel ſuæ dignitatis neglectus & Principis majeſtati, & ſubditorum nocet ſaluti; nam, ut docet Auguſtinus in ſua regula, dum nimia ſervatur humilitas, regendi frangitur auctoritas, auctoritas, & majeſtas in principe, Regni veluti anima eſt, & opinio ex admiratione, & metu in mente ſubditorum concepta, ſalutis Imperii eſt tutela. Quare hoc præ cœteris curabit Princeps; ne à ſubditis parvi pendatur. Quam ob rem Reges Perſarum ſemel tantummodò in anno, & adhuc oppanſo velo, populis ſeſe conſpicuos exhibebant, quem morem non appobo, illudque Plinii in panegerico Traiani probo, & ſummopere laudo; facilius, inquit, ô Cæſar, adiri vis, & è proximo accipis vota ſubditorum tuorum, ut quiſque illorum conſultor ſit, etiam ſi meruerit, quod eſt rarum, repulſam tamen ferat, viſi Numinis conſcientiâ.

CAPVT XII.

Adulatores, tanquam Reipublicæ hoſtes procul eliminandi, eoſque Reges ſummo odio proſequantur.

BIon interrogatus, quod eſſet animal maximè noxium; ſi de feris, inquit, percunctaris, Tyrannus; ſi de mitibus, adulator. Satius enim eſſet, ajebat Anthiſtenes, in corvos incidere, quàm in paraſitos, & adultores. Quare à Principe, tanquam hoſtes Reipublicæ infenſiſſimi procul à Regno eliminandi. Dulce venenum adulatio, dulcis proditio in Principatu & Republica. Plato illam appellabat beſtiam omni humano generi peſtilentem, & nequiſſimo Dæmoni ſimillimam, quæ ſub noxiæ voluptatis eſca incautos animos ad vitia pellicit Hâc Princeps primùm ineſcatus, & obcæcatus, ſuæque mortalitatis oblitus ſupra ſeipſum extollitur ut caſu graviore ruat. Hâc fit, ut veritatem rarò diſcat, quæ ſumma eſt Principis miſeria. Monſtrabo

Quod attendens Trajanus, teſte Plinio, oblatum Imperium diu recuſavit: acceptato autem Imperio humilitatem animi ſemper ſectabatur. Pedibus incedebat, lætabatur labore, ſine ulla tamen ſuæ Majeſtatis diminutione. Nihil in ipſo fortuna mutavit. Hæc veta gloria Principis, gloriæ ſcilicet contemptus, ſubditoſque virtute præcellere, & in primis magnanimitate, quæ non lubricam & vanam, ſed veram & ſolidam gloriam ſectatur.

Et hæc tibi Ludovice Auguſte laus debetur, qui adulatores averſaris, nec hominum plauſus quæris, ſed Deo placere.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE SECVNDO REGALIS JUSTITIÆ munere, quo ſibi Rex ſuum jus reddere tenetur, Sacro virtutum regiarum Cultu.

PROOEMIVM.

NVLLI magis proprium jus tenetur reddere Iuſtitia, quàm ſibi ipſi. Et quamvis hæc virtus propriè ſit ad alterum, ut docent Theologi, nulluſque ſibi debitor eſſe poſsit; ab hoc tamen nemo munere abſolvi debet, ut in alios æquus ſibi ſit iniquus. Vnuſquiſque ergo aliquid ſibi debet; proprii nempè ſtatus perfectionem, propriæque ſalutis curam; ut perfectus; alios valeat perficere; ſuæque ſalutis anxius, aliorum ſaluti fælicius provideat. Quare Princeps in Deum religioſus, & pius; erga ſeipſum debet eſſe juſtus, ut ſubditos æquo valeat regimine gubernare. Sibi jus proprium reddet; ſi Deo primùm obtemperet; ſi rationi pareat; ſi legibus (Divinis maximè) ſubjectus ſit. Vulgata eſt Ariſtotelis ſententia, neminem rectè imperare, qui obedientiam non didicerit. Pareat ergò Princeps neceſſe eſt, & quidem primò Divinæ Legi, quæ prima eſt, & æterna Lex, cæterarumque origo, & exemplar.

CAPVT I.

Princeps Divinam perpetuà Legem contempletur, illique obtemperet.

QUi Regum conſtituit inter homines auctoritatem Deus; hanc quoque normam dedit, formamque regendi: *Cùm conſtitueæ*, inquit Deus, Moyſi, Deuter. 17 *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero Fratrum tuorum; poſtquam ſederit in Solio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus: & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat, timere Deum ſuum & Dominum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege, præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos; neque declinet in partem dextram, vel ſiniſtram; ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus, ſuper Iſraël.* Quod probè edoctus David ſapientiſſimus Princeps, Divinæ Legi contemplandæ totus inhiabat; dicens, *& Lex tua meditatio mea eſt, die ac nocte* Divinæ autem Legis contemplationi tenetur Princeps incumbere, ut illam impleat; cui poſtquā parüerit; ſubditos ad ſimile obſequium verbo & exemplo debet impellere: utpotè, qui Dei in terris vices gerat, Divinæque Legis Tutor ſit & cuſtos.

CAPVT II.

Legi naturali, nempè rationis, & conſcientiæ dictamini ſubditus ſit, qui aliis præeſt.

LEx naturalis divinæ & æternæ legis radius eſt, & emananatio puriſſima. Hæc verò naturalis ratio eſt, & conſcientiæ dictamen, ſive judicium practicum; quo docemur alteri non facere, quod fieri nobis diſpliceret. Hæc lex Dei digito ſcripta in tabulis cordis, ut dicit Apoſtolus; quam gentes habuere. Huic qui parêre detrectat, in Deum rebellat: quare illi obtemperare debet, & in omnibus rectæ rationis judicium ſequi, qui aliis præeſt. Si vis omnia tibi ſubjicere, te ſubjice rationi, ait Seneca Ep. Multos reges, ſi te ratio rex erit. Ab illa diſces, quid & quemadmodùm aggredi debeas. Sicut hominibus Reges; ita Regibus dominandi deſideria dominantur. Hoc eſt Regnum magnum; nolle regnare, cùm poſſis. Vis ergo Regnum tibi dari; rege teipſum.

CAPVT III.

Ille verus Rex, qui ſeipſum regit, propriiſque dominatur affectibus.

EXpectata diù tandem Provincia, cùm te
Rectorem accipies, pone iræ fræna, modumque
Pone, & avaritiæ; miſerere inopum ſociorum
Oſſa vides Regum vacuis exhauſta medullis:
Reſpice quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine juſto
Et Capita, & Tutor ruerint, damnante Senatu.
Piratæ Cilicum. Iuvenal. Satyr. 8.

Quomodo enim, ait Seneca, hic aliis imperabit; qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare? refrænet primùm libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam; cæteras animi labes repellat. Tunc incipiet aliis imperare, cùm ipſe improbiſſimis dominis parêre deſierit. Dum his quidem obedit, Rex habendus omninò non erit. Soli ſapienti Stoïci imperandi tribuunt auctoritatem; quia ſolus ſapiens ſibi imperare didicit. Quis ergo imperabit Principi? ait Plutarchus lib. ad Princ. ineruditum? Lex omnium mortalium Regina, at-

que immortalium, ut dicit Pindarus: non ea foris ſcripta, in libris inſculpta; ſed viva in ipſius corde ratio, ſemper una habitans, atque cacubans, & animum nunquam ſinens eſſe Principatus vacuum. Sanè Perſarum Rex unum de cubiculariis ad hoc habebat inſtitutum, ut manè ad Regem ingrediens, diceret: Surge ô Rex, & curam rerum gere, quas te curare Oroſmades voluit. Eruditus, & cordatus Princeps intus habet, qui hoc identidem occinat, & admoneat. Hunc Princeps ſi audierit, & quod cum docet, præſtiterit; dignus erit Imperio. Si vis tibi ſubjicere omnia, priùs ſubjice te rationi. Regem illũ vocabis qui fœdiſſimis cupiditatibus ſervit? Cui libido, ira, avaritia dominantur; ſervum potius illum voca, qui tot tyrannis ſpontè ſubjicitur. *Si mei non fuerint dominati*, exclamát Regius Vates, tunc verè Rex ero, *quoniam emundabor à delicto maximo.* Domeſtici noſtri, affectus ſunt noſtri; Hi ſi non fuerint dominati, id eſt, ſi adverſus rationem non inſurgant, nec Legi Divinæ parêre detrectent, tunc à turpiſſima vitiorum ſervitute liberamur; tunc maximum regnum comparamus.

CAPVT IV.

Civilium Legum Rex Tutor eſt, non Arbiter, & Dominus; quare illis parêre tenetur.

QVod Iovi, hoc Regi licet. Eſto (quamvis tyrannica, & ſacrilega ſit hæc vox.) at nec Deo licet contra proprias agere leges. Fata enim, ut dicit Seneca, qui ſcripſit, ſequitur. Non quòd fati legibus Deus ſubjiciatur, ſed quod ſapientem dedeceat propoſitum mutare, propriaque reſcindere decreta. Regni leges, vel ipſe Rex tulit, vel latas, & à ſapientiſſimis Regibus inſtitutas invenit. Si tulit, proprio debet illas confirmare exemplo: Si latas invenit; tenetur illas cuſtodire; tùm quòd omnis in Regno innovatio Reipublicæ noxia ſit; tùm quòd ad illarum cuſtodiam ſolemni ſe voto obſtrinxit. Pulchrius ergò illud in Troade: *nimiùm decet libêre. Cur nimium licet, multa enim licent, ſed non expediunt. Cum omnia poſſimus, ſola credimus nobis licere nobis, quæ ſunt laudanda.* Rex legum tutor eſt & cuſtos, non arbiter & Dominus; & in hoc à Tyranno legitimus Princeps differt, quòd ille contra jura Regni, pro libidine, & proprio arbitrio, per fas & nefas, attentâ propriâ ſolâ utilitate ſubditos non civiliter, ſed deſpoticè regat: Rex verò juxta Legem omnia decernat. Quo ſenſu, intelligendus eſt Ariſtoteles, cùm ait, in Republica bene ordinata Legem debere dominari, non hominem; quia lex immota, & ſine ulla perturbatione imperat; homo verò variis affectuum motibus perturbatur. In Regno verò, Lex ſemper dominatur, etiamſi homo imperet; quia per hominem imperat, nempè per Regem; quæ nihil contra legem decernit; illique parêre tenetur. Anaxarchus, ut refert Plutarchus lib. ad Principem indoctum, Alexandrum conſolans ob Cliti cædem; an ignoras, aiebat, Ius, & fas Iovi aſſidere, ut quidquid Rex agat, id fas, juſtumque putetur? non rectè illi pœnitentiam delicti amovit; illum ad alia ſimilia audenda hortando. Quod ſi conjecturis hæc ſunt examinanda, non profectò Iovi juſtitia adſidet; ſed ipſe jus, & fas eſt, ac omnium legum antiquiſſima, & perfectiſſima; atque propterea veteres hæc finxerunt, ut oſtenderent ſine Iuſtitia, nec Iovem quidem rectè potuiſſe imperare. Debet ergo Princeps magis metuere, ne quid faciat mali, quàm ne quid patiatur. Atque hic metus humanus eſt, nec à Principe degener; timere, ſubditis, ne pravo ſuo exemplo malum aliquod accidat. Subjicitur ergo Princeps Legi, quàm ipſe etiam tulit; non quoad vim coërcitivam, ſed quoad directivam: voxque illa tyrannica eſt, quidquid Rex agat, id juſtum eſſe. Non eſt Princeps ſuper leges, ait Plinius in Paneg. Sed leges ſupra Principem. Idem Cæſari quod cœteris non licet. Intrat in Legem attendentibus Diis, ad cujus obſervantiam, juramento ſe obſtringit. In noſtro Trajane ipſe te legibus ſubjeciſti; Legibus Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quàm nobis. Sic feciſti, ut nos tibi, plus velimus. Turpe eſt illud Caracallæ, *licet, ſi libet.*

CAPVT V.

Rex ille ſibi verè; aliiſque juſtus, qui omni virtutum genere ornatus ſummi Numinis, cujus imago eſt, ſanctitatem æmulatur.

LUcianus lib. de regno, non illepidè Regnum præ grandibus coloſſis comparavit. Etenim illorum quiſque, quoad illa quæ foris apparent, Neptunus ipſe eſt, aut Jupiter, mirificè Deorum auro, eboreque compactus; & aut fulgur, aut fulmen, aut tridentem dexterâ ſuſtinet: Cæterùm ſi immiſſo capite, quæ ſunt intùs inſpicias, videbis vectes quoſdam, paxillos, & clavos introrſum prominentes; nec non vimina, cuneoſque, & picem ſubliram, aliamque deformitatem intrinſecus habitantem, ſæpeque mures & ſerpentes latitantes. Non diſpari modo ſæpiſſimè ſub aureo Diademate, purpureaque chlamide turpiſſima mens, fœdiſſimique mores reconditi ſunt. Quare ne Rex iniquè Principis nomen uſurpet, non tam auro & purpurâ, quàm virtutum omnium ornatu debet fulgêre; ut ſibi & aliis juſtus ſit. Iuſtitia enim ſæpiſſimè in ſacris paginis pro ſanctitate, & omnium virtutum nobiliſſimo cœtu accipitur. Nullum præſtabilius, aut pulchrius munus Deorum eſſe, exiſtimavit Plinius, quàm caſtum, ſanctum, Diiſque ſimillimum Principem. Sanctitatem in Principe deſiderat; quia Dei ſimulachrum eſt, ſummique Numinis imago. Deus autem ſanctiſſimus eſt, ipſaque ſanctitas increata: Et ut docet Dionyſius, ſanctitas in Deo ſupremi ejus imperii, totiuſque dominationis radix eſt, & fundamentum. Undè titulo Regiæ poteſtatis, ſanctitatis nomen præponit; & ambas arctiſſimo vinculo connectit, ideoque Regem eſſe demonſtrat, omniumque dominatorem; quia ſanctiſſimus eſt: Quod fortè ab Eſaïa mutuaverat. Hic enim poſt Seraphicum de ſanctitate divina canticum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, addit dominationis titulum: *Dominus Deus ſabbaoth.* Quo fortè reſpexit Deus, dum juſſit Summi Sacerdotis Tiaræ, Regio certè ornamento, laminam auream apponi; in qua ſcriptum erat; *Sanctum Domino:* Quo ſanctitatis, ſive conſecrationis titulo Sacerdotes olim Regnis præerant, ut ſupra oſtenſum eſt. Et hic legitimus dominandi & regnandi titulus, ut primo tomo de dominio Dei demonſtravimus. Imperium nemini convenire pronunciavit olim Cyrus, qui, quibus imperat, melior non ſit. *Princeps*, inquit Plutarchus, lib. ad Principem indoctum, *Dei imago eſt omnia regentis.* Is verò Phidia, aut Polycleto opus non habet qui eum fingat, ſed virtutis operâ ſeipſum Deo quam ſimillimũ facit, jucundiſſimumque ſectatur opus, & Diis chariſſimum. Quale verò elegantiſſimum in cœlo ſimulachrum ſui Deus ſo-

Digitized by Google

lem, atque lunam infixit; talem in ci*vi*tatibus ejus exemplum eſt atque lumen Princeps; juxta illud Homeri Odyſſ. 3. *jura Deo ſimilis, qui dat mortalibus æqua*; ſcilicet rectâ præditus ratione; idque habens divinum, non ſceptrum, non fulmen, non tridentem; quomodo non nulli ſe pingi, ac fingi jubentes, ſtultitiam ſuam invidiæ expoſuerunt, dùm affectant ea quæ conſequi nequeunt; virtutis ergo principatu Rex Deum imitatur. Hâc contra hoſtium inſidias tutiſſimus erit. Diſcimus enim experimento, ait Plinius in Paneg. fideliſſimam eſſe cuſtodiam Principis ipſius innocentiam. Hæc arx inacceſſa: hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Hæc vera Principis magnitudo, quæ non ſceptro, & regno; ſed virtute, & ſanctitate comparatur. Quæ enim præclarior illius laus quem non minus conſtat optimum eſſe, quàm maximum. Ille enim patens hominum Deorumque optimi prius, deinde maximi nomine colitur. Minus ergo eſt Imperatorem, & Cæſarem, & Auguſtum eſſe, quàm dici & eſſe meliorem.

QVÆSTIO TERTIA.

DE SAPIENTIA, SCIENTIA; Prudentia Principis.

PROOEMIVM.

Capiti in cætera membra Principatum natura conceſſit; qua in parte, tanquam in arce, mens, ſedeſque animæ creditur eſſe, ſenſuſque omnes vigent, viſus, auditus, olfactus &c. qui ad corporis regiminis artem maximè conducunt. Debet ergo, qui aliis præeſt ſummâ pollere ſapientiâ, ſcientiâ, & prudentiâ; utpotè qui ſit civilis corporis caput. Sapientia oculorum; ſcientia auditus; prudentia olfactus in hoc capite vices, & munus implent.

CAPVT PRIMVM.

Regi ſapientia maximè propria.

IGnem olim præferri Imperatoribus, & in eorum ſolemnitatibus lucernas accendi, ſupra annotavimus; quod & Tertullianus variis in locis tradit. Grande, inquit; videlicet officium ſocos, & choros in publicum educere, Apolog c. 34. Et 2. ad uxorem, procedere de janua laureatâ, & lucernatâ; ignis verò, & lucernæ Imperatoribus præferuntur, quòd ignis Divinitatis ſymbolum ſit, cujus & Princeps ſimulachrum eſt. Hoc ita Ecphantes Pythag. lib, de regno interpretatur. Rex, inquit, unicum, & excellens quoddam opus eſt, imago ſuperni illius Regis, Creatori ſuo ſemper familiaris, à ſubditis vero Regno, tanquam lumine conſpicua, Ex hac verò antiquiſſima conſuetudine hoc colligo, ſapientiam Principes ſuum moperè decere. Lucerna enim, & ignis ſapientiam optimè repræſentant; quia ſicut in igne lux eſt, & calor; ſic ſapientia ex duobus conſtat, Divinorum nempè notitiâ, & amore; ſapientia enim dicitur; quaſi ſapida ſcientia; quæ ex amore ſapit, ex ſcientia verò fulget. Sapientia ergo Principi maximè propria eſt, utpotè rerum divinarum, & humanarum notitia, quam principes callere debent. Sapientia eſt cognitio per altiſſimas cauſas; Principis verò munus eſt Rempublicam regere per altiſſima Politicæ Artis Principia: unde Salomon, ubi Regio Solio inſedit, ſapientiæ donum à Deo petiit: *da mihi* inquit *Domine aſſiſtricem ſedium tuarum ſapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret. Et* alibi; *optavi, & datus mihi ſpiritus ſapientiæ*: hic ille principalis ſpiritus, quem David à Deo petebat; *& ſpiritu principali confirma me.* Hæc totius Imperii mens, Principi neceſſaria, qui Reipublicæ caput eſt; in capite verò mentis ſedes ſita eſt. Vndè Plato beatas illas fore Reſpublicas pronunciavit, in quibus, aut Philoſophi regnarent, aut Reges Philoſopharentur. Philoſophia autem eſt vera ſapientia; utpotè rerum divinarum, & humanarum notitia. *Si delectamini ergò ſedibus & ſceptris, ô Reges diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis,* ſab. 6.

CAPVT II.

Scientia Regem ſummoperè decet.

SCientiam aliqui (maximè Philoſophiam) Principi nedum indecoram, ſed & noxiam eſſe pronunciant, eo quòd, inquiunt, animi vires enervet; veramque deſtruat generoſitatem, & virtutem bellicam, quæ Reipublicæ regimini neceſſaria eſt. Fateor aliquam Philoſophiæ partem; illam ſcilicet quæ Sophiſmatibus, & cavillationibus texendis intendit, Principem parùm decere, & Reipublicæ ſaluti ſuperfluam, imò noxiam interdùm eſſe, quæ fallendi artes ignorare debet. Vnde Sophiſtæ olim ex urbe Romana procul eliminati ſunt. Verùm aliæ Philoſophiæ partes, quæ rerum naturas indagantur; vel mores efformant, Principi utiliſſimas eſſe; nemo inficiabitur, qui Ciceronem legerit, hæc in ejus laudes perorantem. O Philoſophia legum inventrix; magiſtra morum, & diſciplinæ virtutum indagatrix, & expultrix vitiorum: tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in vitæ ſocietatem revocaſti; tu ex feris & agreſtibus mites reddidiſti; eoſque domiciliis, & conjugiis copulaſti. Vnde non immeritò Poëtæ Minervam, & amorum, & litterarum Præſidem commenti ſunt: fortè quia penes Deum, Dei filius, qui patris ratio eſt, & ſapientia, virtus ejus, & fortitudo appellatur. Hinc innata ardentiſſima illa, Impe-

ratotum etiam animis diſcendi cupiditas : itaut Marcus Imperator etiam ſenex tabellam geſtans, puerorum more ad ſexti Philoſophi ſcholam pergeret, ut diſceret, quod nondùm ſciret. Certè Alexandro Magno non nocuit Philoſophiam, omneſque ferè liberales diſciplinas ab Ariſtotele didiciſſe; qui ita litterarum ſtudio incubuit, ut Homeri Iliadem ſecum ſemper haberet. Num Cæſar ille ſtrenuiſſimus bellator, Philoſophiam non calluit? Denique Marcus Imperator filium Commodum, magnâ diligentiâ, & curâ educavit, accitis undique viris doctrinâ claris. Et Alexander Diogenis Philoſophiam demiratus, exclamavit, niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem : atqui, ut dicit Plutarchus, licebat & philoſophanti, & animo fieri Diogenem, & fortunâ manere Alexandrum: denique quod oculus in capite, hoc ſcientia in Principe.

CAPVT III.

Prudentia Principi maximè neceſſaria.

QVod capiti totius corporis præſidi olfactus, hoc Principi totius civilis corporis Rectori prudentia : olfactus enim à longè odores excipit & diſcernit, ſic & prudentia futura proſpicit : hâc virtute quiſquis ſibi, & aliis bona conſulit, & mala futura præcavet; quare duplex eſt, alia monaſtica, & particularis : alia politica, & univerſalis; quæ in Principe maximè deſideratur. Vtraque in tribus conſiſtit, in memoria præteritorum, in præſentium ordinatione, in futurorum cautione. Si prudens ſit animus tuus, ait Seneca, præterita recordare, præſentia ordina, futura cave. Conſtituit autem Ariſtoteles 6. morib. civilem quandam prudentiam, quam vocat *ἀρχιτεκτονικὴν* vel *νομοθετικὴν* id eſt legum ferendarum peritiam. Hujus proprium munus eſt, leges, juxta cujuſque proprios mores, ingenium, & indolem ferre, & illius naturæ aptare. Quare Principis prudentiæ eſt, ait Plutarchus lib. de præceptis Reipub. leges ſubditorum moribus accommodare. *v. g.* Athenienſes, inquit, ad iram facilè provocantur, & ad miſericordiam non magno negotio traducuntur : laudari ſe apprimè gaudent, ſermonis jocoſum, & facetum genus maximè amplectuntur: nec hoſtes quidem ſuâ humanitate dedignantur. Diverſum Magiſtratibus meruendi, Cartaginenſis populi ingenium, moroſum, tetricum, Magiſtratibus obſequens, ſubditis grave, abjectiſſimum dùm metuit, ſæviſſimum ubi iraſcitur, perſtans in decretis, durum adverſus jocos, & blanditias. Noſcenda ergo eſt Principi natura vulgi, cui imperat, & quibus modis temperanter habeatur. *Principis enim eſt virtus maxima noſſe ſuos*; ait Martialis. Sunt adhuc proximorum populorum mores cognoſcendi, cum quibus Reſpublica vel Princeps commercia, fœdera, bella, pacem, inducias cogitur habere : aliæ enim gentes ſunt audaces, aliæ timidæ, inquietæ; aliæ pacatæ, quæ diverſo modo tractandæ ſunt. Morum ergo ignoratio non minus impedit, irritaque facit Conſilia in civilibus negotiis, quàm in amicitiis Regum. Non ita tractabilis eſt multitudo, ut cujuſvis ſalutare ſit ei frænum injicere: maximè ſi ut eſt bellua ſuſpectoſa, & inconſtans, nullo viſu, audituque conſternata rectorem admittat. Quia verò prudentia tria temporis genera ſpectat, præteritorum annorum geſta, tam in ſua, quàm in aliena Republica Gubernator conſiderare debet, quid factum fuerit, quid verè, vel malè ſucceſſerit; ut olim agebat Aſſuerus, & ad hoc hiſtoria inſerviet. Præſentia vero negotia ex præteritorum memoria rectè ordinabit : denique ad futurum reſpiciens, quæ in bello, vel in pace gerenda ſunt, diſponet, præhabito de omnibus maturo conſilio, de quo infra. Debet autem prudens eſſe, non callidus. *Abominatio enim Domini eſt* proverb. 3. 27.

CAPVT IV.

Hiſtoriæ notitia Principi utiliſſima, quâ prudentia civilis comparatur.

ÆGiptiis olim Principem ſceptro, cujus faſtigio oculus undique patens imminerer, repreſentare mos fuit, ut hinc cunctis innoteſceret, Regi nedùm potentiam; quæ ſceptro ſignificatur; ſed & ſapientiam, ſcientiam, vel prudentiam maximè politicam, cujus oculus ſymbolum eſt, neceſſariam eſſe, Civilis autem prudentia hiſtoriæ notitiâ facillimè comparatur. Hiſtoria enim, ut ait Tacitus 4. Annal. veritatis cuſtos eſt, illuſtrium virorum virtutis teſtis, malorum ſceleris, benefica in omne genus humanum. Prudentia, quæ ſola præit, & ducit ad rectè faciendum, ut dicit Plato in Memnone; quæ intellectus eſt, & delectus rerum, quæ publicè, privatimque, aut fugiendæ ſunt, aut appetendæ; quæ juxta Tullium ars vivendi eſt, ut Medicina valetudinis : quæ fallere non vult nec falli poteſt; quia præterita recordatur, præſentia ordinat, & futura proſpicit; quâ juxta Plautum ſapiens ipſe fortunam ſibi fingit: cui juxta Menandrum omnia famulantur; cujus deniquè uſus pater eſt : hanc memoria gignit, ex auditu, & lectu; ſicut uſus ex viſu, & tractatu, juxta illud Manilii: *per varios uſus artem experientia fecit exemplo monſtrante viam.* Longum iter per præcepta, breve per exempla; loquit Seneca : At hiſtoria exempla ſuggerit, quibus Princeps facillimè formari poteſt ad artem politicam. Vnde Alphonſus Rex dicebat, optimos Conſiliarios mortuos, libros eſſe, nihil blandientes, nihil celantes, qui puram propinent veritatem. Legendi ergo virorum eruditorum libri, & præ cæteris à Regibus Annales ſeu hiſtoriæ Regum, ex quibus Regiam diſcunt prudentiam.

CAPVT V.

Iuriſprudentia Principi neceſſaria, quâ ars politica formatur.

COnſtat profectò, ait Cicero 2. de legibus, ad ſalutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam conditas eſſe leges, eoſque qui primùm ejuſmodi ſcita ſanxerunt, populis oſtendiſſe, ea ſe ſcripturos & laturos, quibus illi adſcriptis, ſuſceptiſque, honeſtè, beatèque viverent. Cum ergo Princeps ad hoc à populis electus ſit, ut Reipublicæ ſaluti, & omnium civium fœlicitati procurandæ intendat, quod ſine legum obſervantia fieri nequit; proculdubio Principi neceſſaria eſt Iuriſprudentia; quæ nihil aliud eſt, quàm legum perfecta notitia. Præterea: Regii muneris eſt juſtitiam exercere, & unicuique ſuum jus reddere : juris autem origo à Lege proficiſcitur; leges ergo perfectè calleat, neceſſe eſt.

Vnde

Vndè olim ad Legiſlatores, Reges, Summoſque Pontifices legum civilium explicatio ſpectabat. Quis enim melius leges interpretabitur; quàm qui eas condidit? Ius civile, quo tota continetur Iuriſprudentia à Iuſtiniano Imperatore, ſapientiſſimorum Iuriſcoltorum auxilio Digeſtum eſt: indè Digeſtum; & in alterum volumen redactum; indè Codex. Quare Iuriſprudentia à Socrate ſcientia Regia appellatur: & hæc Regi recti regiminis forma à Deo præſcribitur Deuteron. 17. ut poſtquam *ſederit in Solio Regni ſui, deſcribat ſibi Deuteronium Legis, habeatque ſecum, legatque illud omnibus diebus vitæ ſuæ.*

CAPVT VI.

Ars politica maximè propria Principis diſciplina.

SIcut indecens eſt Philoſophum, qui nunquam Reipublicæ regimini præfuit, de Imperatoris officio loqui; ut Hannibal Phormioni peripatetico quondam improperavit; ſic certè parùm Principem decet viliſſimis artibus ſtudere, politicâ diſciplinâ neglectâ; quæ proprii illius muneris eſt, ut ſupra fusè demonſtratum eſt. Ars civilis, ait Ariſtoteles moral. c. 1. omnium præcipua eſt, utpotè Architectonica, ſub qua familiaris, militaris tanquam ſubalternæ collocantur. Nam ſi Ethica Monaſtica, cæteris diſciplinis ſpeculativis præſtat, quòd hominis actus formet, & in ultimum ordinet finem; quanto ſupra illam aſſurget politica ars, quæ non unius hominis bono, ſed totius humanæ providet ſocietati? Pulchrius enim & divinius eſt, ſi genti, ac civitatibus bonum efficiatur. Hæc propria eſt Principis diſciplina, cui Bellica ſubeſt; de qua infra; utramque Poëta complectitur his verſibus:

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Difficillima quidem, ut ſupra oſtenſum eſt, ſed præſtantiſſima, & penè divina. Huic hiſtoria, & Iuriſprudentia maximè opitulantur, cujus duplex munus, juxta duas temporis differentias; pacis, & belli. Pacis tempore jura ſingulis tribuit; æqua judicia decernit: belli tempore Principem edocet, quomodo Reipublicæ hoſtes aggrediatur: huic inſerviunt ſummoperè virtutes politicæ, quas deſcribit Plotinus lib. de virtut. Prudentia, juſticia, fortitudo, & temperantia, de quibus infra. Præclarè ergo Plato lib. 16. in Theage Civilis, inquit, facultas civitatis, & gentium commune bonum conjectans, dicitur, & abſoluta ſapientia, Regia diſciplina: hujus ſubjectum civitas, vel ſocietas humana, finis commune bonum: miniſtræ artes omnes; officia duo, leges condere, & conditas exſequi: illud per prudentiam nomotheticam, hoc per juſticiam legalem, & judicialem agit.

CAPVT. VII.

De aliis artibus quibus ars politica juvatur & ornatur.

Eloquentia principi utiliſſima.

NOn defuere, quibus exoſa fuerit eloquentia, quaſi Reipublicæ noxia, eo quòd Rhetores verborum lenociniis civium animos corrumpant: unde à Laconibus olim Cephiſophon Orator eloquentiſſimus; à M. Catone, Carneades, aliique à Licinio Craſſo ex urbe eliminati ſunt. Vtiliſſima tamen Reipublicæ bono eloquentia, & principe digniſſima; imo, ſi fides ſit apud Tullium, hæc prima urbes pepetit, & Reſpublicas fundavit, quod lepidiſſimo carmine cecinit Horatius de Arte Poëtica, Orphei fabulâ; qui non citharæ ſuaviſſimo concentu, ſed ſermonis ſui facundiâ Thebanam condidit urbem. Vnde Theſeus cùm in unam civitatem ex agris Atheníenſium populum vi ſuæ orationis compuliſſet, Veneris popularis, & Suadelæ cultum induxit, arâ utrique erectâ. Quò antiqui Galli, ut refert Lucianus, reſpexere, cum Galliei, ſive Celtici Herculis ſimulachrum hac formâ effinxere, ut cathenulis auro, electroque fabrefactis ex lingua ejus pendentibus, hominumque auribus alligatis turbam traheret. Magna procul dubio facundiæ vis, quam Euripides mentium, & eotdim Reginam, Ennius flexanimam appellavit. Quare Principi maximè neceſſaria, qui civium mentibus, potius quàm corporibus debet imperare. Eloquentia, ait Plutarchus in Politic. veluti gubernaculo navem, & fræno equum Princeps populum gubernat, quæ pacis comes, otiique ſocia, inquit Cicero, jam benè conſtitutæ civitatis, quaſi alumna eſt. Vnde Ariſtot. 1. Rhetor. Alexandrum ad Rhetoricæ ſtudium vehementiſſimè hortatur; quòd, inquit, turpe ſit Regem purpureâ veſte cives præcellere, & ſermonis ornatu ab illis vinci. Præterea intueri licet eos omnes, qui optimâ inter Græcos Republicâ utuntur, oratione prius, quàm rebus convenire: itemque apud Barbaros; qui dignitate præſtant, orationem rebus anteire; eo quod probè noverint, orationem arcem eſſe Reipublicæ, non manu factam, ſed linguâ, prorſuſque inexpugnabilem. Hinc Regius Vates futuri Meſſiæ Imperii fœlicitatem portendens, ſic canit: *diffuſa eſt gratia in labiis tuis, populi ſub te cadent.* Quare Plato in civili ſcientia, Oratoriam dignitatem cum Regia auctoritate conjunxit. Vulgus enim, ut dicit Plato, animal verſatile oratione maximè flectitur, & ut dicit Plutarchus lib. de Reipub. præceptis, magni illi Reges à Ioue prognati voluerunt eſſe Oratores; neque ſolum Iovem Conſiliarium, & Minervam coluerunt, ſed & Calliopen invocaverunt. Quæ comes ſolet eſſe verendis Regibus.

CAPUT VIII.

De Mathematicis Diſciplinis, Arithmaticâ & Pictura.

MAthematicæ diſciplinæ Principi utiliſſimæ ſunt; maximè ea pars, quæ bellicæ arti favet, & ad præſidium arcium, vel civitatum munimenta ſpectat. Deſideravit Plato, ut nemo Geometriæ ignarus Scholas ejus ingrederetur, & Xenocrates ad eum, qui neque Geometriâ, neque Arithmeticâ, vel Aſtronomiâ inſtructus, ludum ſuum frequentare cupiebat; abi, inquit, anſis enim, & Philoſophiæ adminiculis cares. Vnde Socrates docuit intereſſe Reipublicæ hujuſmodi diſciplinas addiſcere. Thales Mileſius, ut refert Ariſtoteles Aſtrologiæ beneficio futuram agrorum ubertatem agnovit, undè rei familiaris augendæ non modicum emolumentum aſſumpſit. At ſi Oeconomiæ utiliſſima eſt Aſtrologia: quidni & Regnorum Politiæ? Hadrianum Romanorum Imperatorem ferunt ex Matheſeos peritia præſciviſſe futura. Seneca Alexandrum deridet, quod imminente illi morte, Geometriæ, ſerò nimis ſtuduerit. Nec quidem tamen hanc artem in privatis hominibus idem Seneca multùm laudat. Quid mihi prodeſt, inquit Epiſt. 88. ſcire agellum in partes dividere? quid prodeſt

Digitized by Google

colligere ſubtiliter pedes iugeri, & comprehendere etiam ſi quid decem pedem effugit, ſi triſtem me facit vicinus potens & aliquid ex meo abradens? doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis: ego diſcere volo, quomodo totus hilaris amittam. O egregiam artem! Scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcunque acceperis formam. Intervalla ſyderum diſcis: nihil eſt quod in menſuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animũ: dic quàm magnus ſit, dic quàm puſillus. Scis quæ recta ſit linea: quid tibi prodeſt, ſi quid in vita rectum ſit, ignoras? Natandi verò peritia, quamvis Delphinum, & Ranarum maximè propria ſint, ut Ariſtippus iuveni improperavit, qui de illa nimium gloriabatur, Principi tamen non inutilis videtur, cujus ope Cæſar olim armis onuſtus flumen enatavit. Vnde apud Athenienſes pueri illam ediſcebant.

CAPVT IX.

De Artibus, quæ Principem infamant, vel parùm illum decent.

NEfandæ quædam artes ſunt, quæ ut ſingulis hominum, ita Regibus permaximè tùm divinâ tùm naturali lege prohibentur, ut Aſtrologia judiciaria, Magia, & aliæ hujus modi, quæ veræ religioni, cultui, cujus illis cura incumbit, adverſantur. Apud Perſas tamen olim adeo viguit Magia, ut nullus illis poſſet imperare, niſi prius Magorum ſacris initiati fuiſſent, eorumque diſciplinis imbuti, apud quod Magi præcipui fuere à Conſiliis: ſequutaque tanta eſt Magiæ in Oriente auctoritas, ut Regibus imperaret, quæ adhuc apud Turcas ſummoperè invaluit. Inter Romanos Cæſares, Iulianum, Adrianum, Caracallam artibus magicis ſtuduiſſe, teſtantur hiſtoriæ, & antiquis retrò temporibus Numam Pompilium, qui Nymphæ Ægeriæ fuit familiariſſimus. Ab his, & hujuſmodi nefandis artibus abhorrere debet Princeps, qui Dei in terris vices gerit, divini cultus vindex, & ſummi Numinis imago.

Aliæ ſunt artes, innoxiæ quidem, ſed parùm Principis Majeſtati congruæ, ut omnes artes Hiſtrionicæ, Mimicæ, Pantomimicæ, Comicæ; quid enim decoris Regi addit, quòd inter viliſſimos eſt commune, perfectiuſque ſœpius in ipſis belluis? Num Nero laudandus, quòd Hiſtrionum mores imitetur, præſtantiorque in arte canendi, vel ſaltandi, vel ludendi haberi velit? & qui ſe ſub habitu Hiſtrionis in numo exculpi voluit. Cùm nebulonibus vel in arte fallendi excellere; cùm Sophiſtis cavillari; inter effœminatos ſit formoſior; inter Athletas rebuſtior. Nec tamen improbo, quòd Princeps, corporis, & animi dotibus fulgeat: verùm de his ſe extollere non debet, quæ omnibus communia ſunt. Increpavit Alexandrum Philippus quòd in cantu, muſicos antecellere vellet; cùm nec Iupiter canter, ait Ariſtoteles 8. polit. c. 10. aut cytharam pulſet ſecundum Poëtas: imò illos qui talia faciunt, appellamus viles. Non te pudet, dixit Philippus Alexandro, qui noris tam benè canere? certè qui pro inſigni Imperatore, bonus Cantor vellet videri; ſicut & Archidamus videns Periandrum, qui arte medicâ excellentiſſimus fuerat, fœlicia carmina ſcribentem; quid, ait, tibi accidit, mi Periander? ut pro inſigni medico, malus Poëta vocari concupiſcas. Quid de aliis diſciplinis, ſeu artibus, quas liberales vocant? Vnicum ſtudium verè liberale eſt, quòd liberum facit. Hoc ſapientiæ ſtudium eſt, ſublime, forte, magnanimum.

QVESTIO QVARTA.

DE ALIIS VIRTUTIBUS REGIIS,

CAPVT PRIMVM.

De Regia Temperantia.

TEmperantia, ait Ariſtoteles lib. 3. de moribus c. 13. quædam eſt mediocritas circa voluptates, non animi, ſed corporis, nec adhuc, ut prudenter advertit Philoſophus, circa omnes corporis voluptates verſatur, videlicet quæ vel ex auditu, vel viſu vel olfactu percipiuntur; ſed circa ſolas dumtaxat guſtus, & tactus inordinatas delicias, quæ ſerviles & ferinæ prorſus ſunt, nobiſque inſunt, non quatenus homines, ſed quatenus ſumus animalia. Talibus igitur oblectari, & acquieſcere ferinum eſt. Quare ab his abſtinere debet Princeps: eo vel maximè quod Regiæ dignitatis prærogativâ cœteris, hominibus antecellit, propiuſque ad Dei accedit ſanctitatem, cujus pulcherrima eſt imago. Reprehendit Plato Poëtas quòd turpia de Iove, & aliis Diis tradiderint, quos obſcænis tum gulæ, tum Veneris voluptatibus indulgere fabulantur: quia hæc nedùm Deos, ſed & Principes ſummoperè dedecent; ſuadetque has ideo fabulas è Republica pellis caſtiſſimi, inquit, Dii ſunt, & ab omni carnalis voluptatis ſenſu maximè alieni, qui nec cibo, nec Venere indigent, ſibi ſufficientiſſimi, ex ſeipſis fœliciſſimi, æterni, immortales. Hos æmulari debet Princeps, utpote puriſſimum eorum ſpeculum; quod temperantiâ facillimè conſequetur. Tutum eſt, ait Seneca, & jucundum, id quod natura te inſtruxit. Dedit tibi illa, quę ſi non deſerüeris, par Deo ſurges. Parem autem Deo non faciet pecunia: Deus nihil habet. Prætexta, vel purpura non faciet; Deus nudus eſt. Fama non faciet; nec oſtentatio tui, & in populos nominis dimiſſa notitia: nemo novit Deum: multi malè de illo exiſtimant, & impunè. Non turba ſervorum lecticam tuam per itinera portantiũ: Deus ille maximus, potentiſſimuſque ipſe vehit omnia; & ut alia prętercam, nec libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes pertinent. Deus puriſſima mens eſt, ab omni terrena mole ſecreta. Subſili ergo in cœlum; exurge modo, & te quoque dignum finge Dei ſimulachrum. Finges autem non auro, & argento. Non poteſt ex hoc materia imago Deo exprimi ſimilis. Minus adhuc ex carne, carniſque illecebris. Sola virtus, & inter cæteras virtutes, temperantia Principem Deo reddit ſimillimum. Nam ut preclarè Socrates; nullâ re indigere, Dei eſt, quàm pauciſſimis autem ejus qui Deo pro-

Digitized by Google

ximus eſt. Epicurus, cui pauca ſufficiebant hæc de ſe jactabat; cum Iove etiam paratum eſſe de fælicitate certare; ſi aquam haberet, & offam. Principem ergò ſummoperè decet Temperantia; revera Politica, & Regia virtus, utpotè illius, qui Dei eſt imago. Ejus vero duplex munus, primum gulæ; ſecundum veneris inordinatas compeſcere voluptates. Ratione primi dicitur frugalitas; ratione ſecundi continentia, vel caſtitas.

CAPVT II.

Frugalitas in Cibis Regem maximè commendat.

APud Perſas, ut ſupra annotavimus, novus Rex caricis veſcebatur, Terebinthum pro bellariis deguſtabat, poculumque lactis ebibebat; ut hinc Reges ſervandæ frugalitatis admonerentur, quæ Principem ſummoperè commendat. Quantum Alexandro ebrietas nocuerit teſtantur crudeliſſimæ amicorum cædes ab illo perpetratæ; quarum ſerò pœnituit: qui gulâ tandem periit. Maximinus Imperator, ut refert Nicephorus, vino multo deditus ad ſummam contumeliam, petulantiam, & crudelitatem, quę ex ebrietate proveniunt, deductus eſt. Balthaſar inter pocula animam efflavit. Vndè, ut ſcribit Euſebius, Charthaginenſium lege cautum erat, ut nullus militię temporibus, nec in caſtris, nec in civitate; neque etiam Magiſtratus cum Rempublicam gubernarent, vino uterentur; quod & Mahometis lege Turcis prohibitum eſt. Certè optimo Reipublicæ regimini ſummoperè nocet ebrietas, tùm pacis, tùm belli temporibus, ut pote recto judicio, & conſilio habendo contraria. *Cui enim væ? cui rixa? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffoſsio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* Sodoma ex nimia crapula funditus fuit, ut ſacra teſtatur hiſtoria. Solis olim ſacerdotes, qui & Reges apud Ægiptios, vino abſtinebant. Hæc autem in medium adduco, non ut Regiæ menſæ apparatum lautiſſimum carpã; ſcio Reges delicatiſſimis cibis veſci debere. Laudatam tamen invenio Iulii Cæſaris in potu, & cibo Perſimoniam etiam ab ejus æmulis. Ælius pertinax tantæ fuit parſimoniæ, ut Imperator, non aliter, quam privatus viveret, ut dimidias lactucas, & carduos conviuijs apponeret.

CAPVT III.

Caſtitas Regem ſummoperè illuſtrat.

COnſtantini continentiam ejus Encomiaſtes in hoc præcipuè commendat; quòd ſe ab ipſo fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradiderit, ut ab ipſo adoleſcentiæ ingreſſu animum formaret maritalem; nihilque de vagis cupiditatibus: nihil de conceſſis ætati voluptatibus in hoc ſacrum pectus admitteret. Laudat Alexandri Magni Caſtitatem Q. Curtius erga uxorem Darij & Virgines Regias, quas ita ſanctè habuit, ut ſi ab eodem ſuo parente fuiſſent genitæ. Quod præſtabilius, aut pulchrius eſt Deorum munus, exclamat Plinius, quam caſtus, & ſanctus & Diis ſimillimus Princeps! caſtitas enim, ut præclarè Cyprianus Divinæ puritatis radius, & emanatio. Prima virgo Trias eſt, ait Nazianzenus. Quare tunc Deo ſimillimus Princeps evadet; cùm caſtiſſimus fuerit. Quid enim ſordidius, quàm eum ad vile ſcortum tantam dejicere Majeſtatem, cùm poſſit honeſto matrimonio Nobiliſſimæ Puellæ conjungi? Quid fœdius, quàm Principem ſubditorum patrem virginumque cuſtodem caſtiſſimas virgines rapere, & adulteriis ſanctiſſimi conjugii leges violare? Legimus ſanctiſſimos Principes ſervato communi conjugum conſenſu in ſtatu virginitatis cœlibes vixiſſe, ut Eduardus Rex Angliæ, Henricus Imperator, Boleſlaus Rex Poloniæ, & alii quàm plures Monarchæ, quorum Regia, & egregia geſta leguntur. Regum Connubia non vitupero, ſed ſummoperè laudo, & Reipublicæ neceſſaria exiſtimo; ſed Principum vælanam libidinem Carpo, quæ ſubditos, ad eadem perpetranda ſcelera allicit. Quòd & Paganorum exempla demonſtrant. Cùm enim quidam inter illos Iovis imaginem conſpexiſſet, in qua Iupiter turpiter cum Virgine miſceretur: Et tu, inquit Iupiter, Rex Regum, & Deorum Pater hæc facis? quidni & ego Homuncio? Caſtitas ergo Regi ſummoperè convenit, ut ſubditos à libidine revocet, & caſtos reddat.

CAPVT IV.

Regia in aliis Temperantia.

TEmperantiam Anonymus mutuam omnium animæ partium conſenſionem appellat, Imperium in voluptates, univerſale virtutum omnium cognomen, fortitudinis columnam, Galeam contra Laſciviam, oculorum aurigam, benevolantiæ cuſtodem, cogitationum circumciſionem, luxuriæ caſtigationem, gulæ frænum, efferveſcentis animi hoſtem, opera turpia impedientem, continentiæ promotionem, cordis conſiliariam, precum & votorum directricem. Quare juxta Anonymi mentem, Temperantia virtutes ferè omnes complectitur, ſicut intemperantia vitia omnia comprehendit. Quod Ariſtotelis ſententiæ ſatis conſonare videtur; qui virum probum & cordatum, temperantem vocat; improbum verò intemperatum. Temperatus ergo ille dici poteſt, qui inordinatos omnium affectuum motus coërcet, qui ſuis contentus bonis, alienis non inhiat divitiis; qui uxorem proximi non concupiſcet, nec vi illatâ rapit; qui in cibis frugalis eſt: Deniquè, qui virtutum omnium moralium inclyta fulget coronâ. Regia profectò hæc virtus, quæ omnes alias cingit. Hanc Plinius in Trajano olim demiratus; hæc in ejus laudem perorat. Non aurum, nec argentum, nec exquiſita ingenia cœnarum, ſed ſuavitatem tuam, jucunditatemque miramur; quibus nulla ſatietas adeſt; quando ſyncera omnia, & vera, & ornata gravitate: Parcus tibi brevitque ſomnus, nullumque amore noſtri anguſtius tempus, quàm quòd ſine nobis agis. Sed cum rebus tuis, ut participes perfruimur; quæ habemus ipſi, quam propria, quam noſtra ſunt? non enim exturbatis prioribus dominis, omne ſtagnum, omnem locum, omnem ſaltum immenſâ poſſeſſione circumvenis, cui flumina, fontes, maria deſerviunt. Ecquid Cæſar non ſuum videt? tandemque Imperium Principis, quam patrimonium majus eſt. Laudes olim Imperatorum ludis, ac conceſſationibus celebrabantur; atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, geſtibus frangebantur, & illud indignum, quod eodem tempore in Senatu, & ſcœna ab hiſtrione, & conſule laudabantur. Tu procul à tui cultu ludicras artes amoviſti. Hæc ſumma, & Regia profectò Temperantia. Poſtea Imperatricis Modeſtiam extollit. Tibi uxor in decus & gloriam cedit. Quid enim illâ ſanctius, quid antiquius?

Digitized by Google

Eadem quàm modico cultu? quàm parca comitatu? quam civilis inceſſu? Mariti hoc opus, qui ita cum imbuit.

Hæc tibi Magne Ludovice XIV. Rex Galliarum inclitè, & à Deo ad Regni Liliati Decus, totiuſque Europæ quietem dato debentur, neconon caſtiſſimæ tuæ Sponſæ; & Generoſiſſimo tuo Delphino, ejuſque uxori.

QVÆSTIO QVINTA.

DE ALIIS VIRTVTIBUS.

CAPVT I.

Heroica ſit Regis fortitudo.

CUm à filiis Pyrrhus interrogaretur; cui illorum relinqueret regnum; quicumque, ait, veſtrûm acutiorem habuerit enſem. Significans ſe non ætati datutum Principatus ſucceſſionem, ſed bellicæ virtuti & Heroicæ fortitudini. Hæc propriiſſima Principis virtus eſt. Quod ut clariùs innoteſcat, inveſtiganda eſt virtutis hujus natura, quæ juxta Ciceronem, eſt immobilis inter adverſa glorioſa animi claritudo; res arduas, pulchrè adminiſtrans, quæ nec adverſis frangitur, nec proſperis attollitur. Secundum Ariſtotelem, eſt mediocritas circa terribilia, & ea quæ fiduciam afferunt, & in iis rebus quæ honeſtatem habent. Vir enim fortis, quamvis ſit interitus, aliqua etiam mala timebit, nempè peccati turpitudinem; alia verò ut oportet, & ut ratio præſcribit, honeſtatis cauſa ſuſtinebit. Varias autem fortitudinis ſpecies adducit Philoſophus; ut alia ſit civilis, quâ cives tùm ob mulctas, & opprobria; tùm ob honores Legibus inſtitutos pericula ſubeant. Verùm non ob neceſſitatem, ſed ob honeſtatem, fortem eſſe oportet. Alia adhuc eſt civilis, quæ Iudices ſpectat, ut fortiter adverſus iniquitatem conterendam inſurgant, juxta illud Eccleſ. *Noli fieri Iudex, niſi valeas infringere impietatem: pro juſtitia certa uſque ad mortem.* Unde juſtitia definitur, conſtans voluntas unicuique ſuum jus tribuendi. Conſtans, hoc eſt, impertetrita, quæ nullis impiorum minis ab æquo judicio poſſit deterreri. Tertia dicitur militaris, & Plutarcho, haſtifera, quæ circa belli pericula contemnenda verſatur. Et hæc Duplex: alia particularis, militum nempe; alia Heroica, quæ Duces exercituum; & Reges maximè decet, unde Regia appellatur. Quatuor enim olim Ægyptii Deos finxere; qui hominis in lucem editi curam haberent; quorum nomina Dymon, Tychis, Heros, & Anachiis: ab Heroë autem virtutem bellicam acciperet: fuitque Platonis opinio homines, qui ſummâ integritate vixiſſent; poſt fata effici Lares vel Heroas. Heroïca ergo virtus (præſertim bellica) eximia eſt fortitudo; quæ Regum, & Ducum maximè propria eſt. Cùm enim hoc fine à populis electi fuerint, ut Rempublicam ab hoſtium impetu tueantur, eximiâ quâdam animi fortitudine egent adverſus bellorum pericula. Quis enim, ait Plutarchus, non fateatur ad bellum requiri multum audaciæ, & fortitudinis, quæ virtuti Haſtiferæ, ut Timotheus ait, auxilium ferat. Hâc Alexander Magnus; Julius Cæſar ſummoperè, & Heroïcè claruere, qui jure belli totius orbis Imperium conſequuti ſunt. Quò fortè Perſæ olim reſpexerant. Quorum hic mos fuit ut Rex electus ſine morâ ad Deæ Belligeræ Templum adduceretur, ut ab illa pro ſummo munere fortitudinem bellicam acciperet. Nec minus adhuc Principi fortitudo civilis neceſſaria eſt; nempè ut fortiſſimè adverſus impios decertet; eorumque coërceat audaciam. Ad utrumque enim munus gladium à Deo accepit. Primâ eget, quatenùs Ducis munere fungitur, Secundâ quatenùs ſupremi Iudicis officium implet, Utraque in omni civili regimine apud populos ſommo honore habetur. Bellicam autem Reſpublicæ maximè venerantur: quia ſemper vel ipſæ bellum aliis inferunt; vel ab aliis ſibi illatum patiuntur. Hæc autem virtus, ait Ariſtoteles utramque in partem utiliſſima eſt.

Utramque hanc Heroïcam, & verè Regiam fortitudinem, tam bellicam, quàm civilem quis in te Magne Ludovice decimequarte à DeoDate, non ſuſpiciat, non miretur? Et quidem primò bellicam; fulguris enim, & fulminis inſtar, duorum vix menſium ſpatio Vniverſæ Bataviæ quinquaginta munitiſſimas Vrbes expugnaſti, tuæque ditioni addixiſti: Vt quod Julius olim Cæſar de ſe protulit, potiori longè jure poſſis uſurpare; *Veni, Vidi, Vici.* Nec minori celeritate, & virtute, Burgundiam, quam liberam vocabant, Alſaciam, quamplures Flandriæ Vrbes, & Germaniæ, tuo ſubjeciſti Imperio, ut ultra Rhenum, & Alpium cacumina, Regni Liliati fines protuleris. Civilem adhuc fortitudinem, conſtans illa Regia tua ſuum unicuique tribuendi voluntas apertè demonſtrat; nulli enim aliquam fieri injuriam permittis, ſed animo intrepido, & inflexibili iniquos puniri decernis.

CAPVT. II.

De Arte bellica.

EXimia dubio procul ars bellica, quæ ex hominibus Heroas, hoc eſt ſupra homines Deoque exercituum ſimiles facit. Hâc Deus ipſe gloriatur qui ſe Deum Sabaoth in ſacris paginis vocat, id eſt, Deum bellatorem; & exercituum. Ejus beneficio Mars, aliique ſtrenui bellatores, divinos, apud Gentiles, honores meruerunt. Eximia hæc ars Regem maximè decet; ad hoc enim apud omnes gentes, eligebantur Reges, ut pro ſalute regni ſibi commiſſi, ſtrenue adverſus hoſtes decertaret, ſed ardua eſt & difficillimè comparatur, & exercetur hæc ars Heroïca, quæ ſummam prudentiam, vigilantiam, celeritatem, & intrepidam adverſus mortis pericula animi conſtantiam, tanquam individuas comites debet habere, quæ rarò in uno, & eodem Duce inveniuntur. Heroïcam hanc virtutem Tacitus lib. 42. apud Romanos claruiſſe jactitat. Hi enim, inquit, non per inſidias, & nocturna prælia; nec per ſimulatam fugam, improviſoſque ad incautum hoſtem reditus, nec ut aſtu magis, quàm verâ virtute gloriarentur, bella aperto Marte gerebant; indicere prius, quàm gerere bella ſoliti: Denunciare etiam & interdum locum finire in quo dimicaturi eſſent, Verſutiarum Punicarum,

Punicarum, & callidicatis Græcæ iguari, apud quos fallere hoſtem, quàm vi ſuperare glorioſius erat. Nec unquam ad prælium procedebant, niſi publicè ad auxilium præſtandum Diis invocatis, quos belli eventibus præeſſe, vanâ ſpe deluſi, exiſtimabant. Hoc autem vano, & ſacrilego ritu falſa illa Numina invocabant; Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Dii indigetes, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumque; vos precamur, veneramur, veniam, & opem petimus, ut populo Romano vim, victoriamque proſperetis. Longè tamen Major Regum Galliæ Chriſtianæ virtus bellica, nec non fœlicior, ut ex geſtis Clodovæi, Caroli Magni, & Ludovici noſtri decimi quarti à Deo dati conſtat, qui aperto marte, non dolo, nec fraude, invocato priùs Chriſti Veri Dei exercituum filii nomine de ejus hoſtibus toties triumpharunt.

CAPVT III.

Regia exercitia, quæ ad bellicam artem, & virtutem Reges diſponunt.

CUidam percunctanti quamobrem Virginum corpora curſibus, luctis, diſcorum, ac telorum, actibus fatigaret, Reſpondit Lycurgus, ut inquit, fœtuum proſeminatio ab iſta ſtatim radice, validum in validis corporibus initium ſumens rectè germinet: Etſi qua incidat neceſſitas, ut poſſint pro ſe, & pro liberis, & pro patria pugnare. Intellexit Rex Sapiens, ait Plutarchus in Lacon. quanta Rerumpublicarum peſtis ſit otium, atque ignavia, moderatas autem exercitationes corpora etiam reddere firmiora. Quare optimum eſt Reges quibuſdam corporum exercitiis intendere, quibus ad bellicam artem & fortitudinem diſponantur: Quorum primum eſt venatio.

Hanc in Trajano ſummoperè commendat Plinius in Paneg. Quæ tibi Trajane, inquit, remiſſio niſi luſtrare ſaltus; excutere cubilibus feras; ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adjutum? Olim hæc experientia juventutis: hæc voluptas erat. His artibus futuri duces imbuebantur; certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu. Plerique alii Principes hoc idem tempus in aleam, ſtupra, luxum conferebant, omnium feriarum laxamenta curarum, vitiorum contentione ſupplebant. Nec minus Principi utilis eſt Equorum domandorum ars, & equitandi peritia; quâ arte, Philippus Rex Macedonum præditus fuit, filiumque Alexandrum edocuit. Hic Bucephalum equum à nullo prius ſeſſore domitum, ita domavit, ut eo conſcendente, genua quodam modo flectere videretur, nullumque alium ſeſſorem, niſi Regem Alexandrum pateretur. Sed & haſtam, gladiumque ſtringere, apprimè Rex à juventute diſcat; juxta illud Regii Vatis, *accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Regem enim milites, cùm vident gladium in prælio adverſus hoſtes generosè ſtringentem, ejus exemplo accenſi gladios acuunt, exerunt, omnique mortis terrore liberati in hoſtes toto furoris bellici æſtu, irruunt, & de illis triumphant.

CAPVT IV.

Regia diligentia, activitas, & ſtrenuitas, quæ ad bellicam fortitudinem conducunt.

Otium Regi ſummopere fugiendum.

OTium nedum animorum rubigo eſt, ut dixit ille, ſed & corporum torpor. Labore artus corroborantur; ſegnitie languent. Quare Principi ſummoperè fugienda eſt; & labor amandus. Diem perdidi, ajebat ille, qui nullo ſuo Regio opere nobilitaverat. Princeps Dei imago eſt actuoſiſſimi procul dubio, qui novit, ait Auguſtinus, & quieſcens operari, ut fusè alibi demonſtravimus. Vt ergo Dei in ſe ſimilitudinem reddat, otium fugiat, laborem proſequatur, deique exemplo totus ſit actus. Gaudent omnia continuo motu, & jugi agitatione vegetat ſe æternitas, & ut indefeſſa vertigo cœlum rotat: ut maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit; ita tu Imperator, ait Pacatus ad Theodoſium, Rempublicam continuatis negotiis, & in te quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es. Non enim te amœna littora, nec diſpoſiti ad temporum vices habuere ſeceſſus: ſed ſive tu agris, ſive oppidis tempus dabas, rem & famam pariter augebas. Iam ſi placuiſſet oppida rure mutare; ut tu vitæ oblitus urbanæ, exæquebaris agricolam? Audio etiam Imperator & credo, ſœpe aliqua te laborum tibi injunxiſſe, & ne contraheres corporis veternum, hujuſcemodi ſemper opere inſidiantis otii terſiſſe rubiginem. Sic Agreſtes Curii; ſic veteres Coruncani; ſic nomina reverenda fabritii, cùm induciæ belli ſuſpenderent, inter aratra vivebant; & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iovis laureis, Triumphales viri ruſticabantur. Inde eſt, quod accepimus, datos ſerentibus faſces, & miſſas cum curulibus ſuis per rura Palmatas, Agricolaſque Conſulares, Paſtores Trabeatos, & Dictatores inter armenta veſtitos. Velociſſimi ſyderis more, omnia inviſere, ait Plinius de Traiano in paneg. omnia audire, & undequaque, Invocatum ſtatum veluti Numen adeſſe, & aſſiſtere. Poſtea diem in varias, Regiaſque occupationes partito; ut prima Deo, ejuſque cultui; alia domeſticæ curæ; alia Conſiliis habendis, alia excipiendis ſupplicum libellis; reliqua diei pars Tribunali dabatur: ibi verò, inquit, quanta religio æquitatis, quanta legum reverentia? Quod ſi aliquando cum influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quæ enim remiſſio tibi Cæſar, niſi luſtrare ſaltus? Ex quibus liquidò conſtat, quæ ſint Principis actiones; prima nempè Deo, religioſum obſequium reddere. Secunda, rei familiari intendere. Tertia, Reipublicæ negotiis incumbere; ſupplicum libellos excipere; conſilium cogere, & de graviſſimis Regni negotiis deliberare, ſubditis jus dare. Has Mamertinus in Iuliano ſummis laudibus extollit: æſtates omnes in caſtris, Hyemes in tribunalibus degit. Ita illi anni ſpatia diviſa ſunt, ut Barbaros domitet: aut civibus jura reſtituat; perpetuum profeſſus contra hoſtes, aut contra vitia certamen.

CAPVT V.

De Regia clementia, quæ pars quædam eſt Heroicæ fortitudinis.

CLementiam, & miſericordiam Stoici infamarunt, quaſi vitium ſit puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis; itaque peſſimo cuique familiariſſima. Miſericordia, inquit Seneca, eſt ægritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem; aut triſtitia ex alienis malis concepta. Ægritudo autem in ſapientem virum non cadit. Miſericordia eſt vicina miſeriæ; habet enim

aliquid, trahitque ex ea : imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad aliam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur; quare Miſericordia in ſapientem non cadit. Serena ejus mens eſt:nihil magnum hominem æquè quam magnus animus decet. Ex hac Senecæ ſententia quis hoc poſſet inſerre, clementiam, & miſericordiam Principem dedecere, qui inter magnos maximus eſt. Erravit tamen in hoc Seneca, qui clementiæ & miſericordiæ ingenium non ſatis benè novit. Clementia enim, & miſericordia quædam fortitudinis ſpecies ſunt, quæ ſolos magnanimos,& fortes decēt. quis Deo fortior?quis major ? quis animoſior.Divina autem fortitudo,& majeſtas Clementiâ maximè ſplendet,ut dicit ſapiēs: *quia tu potens es, omnium miſereris. Pulchrum eminere eſt inter Illuſtres viros, conſulere Patriæ, parcere afflictis, ferâ cæde abſtinere; tempus atque iræ dare, orbi quietem, ſæculo pacem ſuo. Hæc ſumma virtus; petitur hâc cœlum viâ, ſic ille Patriæ primus Auguſtus parens, complexus aſtra eſt, colitur, & templis Deus.*

Unde Seneca ſibi ipſi contrarius clementiam in Principe maximè deſiderat. Clementia, inquit, in quamcumque domum pervenerit, eam fœlicem, tranquillamque præſtabit: Sed in Regia quò rarior, eò mirabilior.Quid enim mirabilius, quàm eum cujus iræ nihil obſtat, ipſum ſibi manum injicere, & poteſtate ſuâ in melius, placidiuſque uti, hoc ipſum cogitantem? Occidere contra Legem nemo non poteſt, ſervare nemo præter me. Magnam fortunam magnus animus decet. Magni autem animi proprium eſt, placidum eſſe, tranquillumque, & injurias atque offenſas ſemper deſpicere. Muliebre eſt, furere in ira; ferarum verò,nec generoſarum quidem præmordere, & urgere projectos. Elephantes, Leoneſque tranſeunt, quæ impulerunt. Ignobilis beſtiæ pertinacia eſt. Non decet Regem ſæva, & inexorabilis ira. Non multùm enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat: Deorum ſibi animum aſſerere debet Princeps; quorum imago eſt. Dii placabiles, & æqui delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequuntur; quantò æquius eſt hominem hominibus præpoſitum miti animo exercere Imperium. Et infra c. 19. Natura commenta eſt Regem, quod ex apibus maximè licet cognoſcere, Hoc autem præcipuè ab aliis Rex apum diſtinguitur, quòd illæ iracundiſſimæ ſunt, & pro corporis captu pugnacisſimæ, & aculeos in vulnere relinquunt; Rex ipſe ſine aculeo eſt.Noluit natura illum ſævum eſſe, nec ultionem magno cauſaturam petere, telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc Magnis Regibus ingens. Imperat Princeps civibus, ſicut pater liberis, non ut Dominus ſervis; quale olim fuit Perſarum in ſubditos Imperium, ut refert Ariſtoteles 8. de moribus c. 11. & ideo pravum & Tyrannicum. Nonnè peſſimus pater videbitur, qui aſſiduis plagis liberos ex leviſſimis cauſis excarnificet? Excogitare ergo nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti ſit, quàm clementia. Quam Plinius in ſuo Trajano ſummoperè extollit his verbis. Nullius bona publicata; nullius mulctata libertas; nullius præterita dignitas imminuta. Deniquè caſtigatione perſtrictus, pœnam capitis aurium ſolâ moleſtiâ luit. Cuncti domibus ſuis; cuncti conjugibus, ac liberis; cuncti deniquè innocentiæ reſtituti ſunt. Vides Imperator, quid Regiâ hâc clementiâ tuâ conſequutus ſis: feciſti, ut nemo ſibi victus, te victore videatur?

QVÆSTIO SEXTA.

DE ALIIS REGIIS VIRTUTIBUS.

CAPVT PRIMVM.

De Regia Liberalitate, & Munificentia.

Liberalitas, ſeu beneficentia; virtus eſt moralis adeò præclara, ut nedum in ſacris paginis, ſed & in prophanis maximè laudetur. Vbi vis Scripturarum, Dei Vates eam prædicant; *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*; ait Regius Vates: Beneficentiam præ cæteris virtutibus Moralibus Chriſtus extollit, legiſque, quam è cœlo in terras detulit, cultoribus commendat. De hac virtute Seneca, Gentilis Philoſophus ſeptem libros ſcripſit, eximiâ ejus pulchritudine, & honeſtate illectus. Quid enim pulchriùs, quid honeſtiùs, quàm proximi egeſtatem ſuis beneficiis ſublevare? Ad ejus cultum divites omnes invitantur triplici lenocinio: Primò,quia bonum eſt ſui diffuſivum; Secundò, quia melius eſt dare quàm accipere; Tertiò, totius naturæ exemplo; videmus enim ea omnia, quæ plena ſunt in egena & vacua ſe ſe effundere. Sic Sol lucis ſuæ radios ubique ſpargit; ſic flumina in campos exundant. Liberalitas ergo, ſeu beneficentia omnes homines exornat, ſed inter illos, maximè Reges decet triplici titulo; primò, quia, ut dixi,bonum eſt ſui diffuſivum: cùm ergo Reges Divitiis affluant, contrà naturam boni agerent, ſi tantam bonorum copiam, quam à Deo, ad pauperum inopiam ſublevandam receperunt, turpiſſimæ avaritiæ vitio intra Regias arcas retinerent. Secundò, quia ad hoc Reges eliguntur, Sacroque Oleo inunguntur, ut inſtar olei, ſeſe, ſuaque bona in pauperes ſubditos effundant. Vnde apud Gentiles etiam benefici Reges vocabantur, ut ipſe Chriſtus Dominus teſtatur. Tertiò, quia eximiâ liberalitate Divinam imitantur naturam. Nam ut docet Nazianzenus *φυσις τῳ θεῳ ἀγαθοποιεῖν* natura Dei eſt benefacere. Deus eſt mortalem mortali benefacere.Et hæc ad æternam gloriam via: hâc proceres iēre Romani.Hâc Romani Imperatores tanquam Dii coli meruerunt. Beneficentia ſubditorum corda devincit, juxta commune illud effatum, *Vincula invenit, qui beneficia invenit.* Aureis his vinculis Rex Magne Ludovice à Deo Date, nedum Galliæ, quibus imperas, ſed totius Europæ populos tibi devinxiſti. Quare jure optimo pro Regio tuo Inſigni ſeu Stemmate, *Solem* ſumpſiſti? *Sol* enim undequaque ſui luminis radios effundit; *nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Similiter nulla gens eſt, quæ Regiæ tuæ liberalitatis beneficia effugiat.

CAPVT II.
De Regia in ſubditos Benevolentia.

REges ſummoperè decet, Regia hæc virtus: non enim tanquam Domini ſervis, ſed ut patres, Patriæ, ſubditis tanquam filiis debent imperare. Nihil dulcius, quàm à ſubditis amari. Hoc autem ut Reges conſequantur, ſubditos diligere tenentur; juxta commune illud effatum; ſi vis amari, ama, amor amoris illex, philtrum, & incentivum. Quòd Imperator Trajanus perſpiciens, hoc præ cæteris curavit, ut à ſubditis diligeretur. Conſiſtimus in Aula tua, ut in communi domo, ait Plinius ad Trajanum, quam nuper immaniſſima bellua plurimò terrore munierat: Cùm veluti quodam ſpecu incluſa, nunc propinquorum ſanguinem lamberet; nunc ſe ad clariſſimorum civium ſtrages, cædeſque proferret: obverſabantur foribus horror, & minæ, & par metus admiſſis, & excluſis. Ad hæc ipſe (ſcilicet Nero) occurſu quoque, viſuque terribilis, ſuperbia, in fronte, ira, in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore, impudentia multo rubore ſuffuſa; Non adire quiſquam, non alloqui audebat; tenebras ſemper ſecretumque captantem; vel unquam ex ſolitudine ſua prodeuntem; niſi ut ſolitudinem faceret. Ille tamen quibus ſe parietibus, & muris ſalutem ſuam tueri videbatur, dolum ſecùm, & inſidias, & ultorem ſcelerum Deum incluſit. Longè tunc illi Divinitas ſua, longè arcana illa cubilia; ſævique receſſus, in quos timore, & ſuperbià, & odio hominum agebatur. Quantò nunc tutior, quantò ſecurior eadem domus; poſtquam ejus non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non ſolitudine; & clauſtris defenditur. Habes amicos, Trajane; quia amicus ipſe es. Amaris ab omnibus, quia omnes amas; diligeris, cùm omnes diligas; & in hoc tota gloria tua eſt, qui ſuperior factus; deſcendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore ſubmitteris: Imò tunc maximè Imperator, cùm amicum ex Imperatore agis. Etenim cùm ſummis amicitiis fortuna Principis indigeat, præcipuum Principis opus eſt amicos parare. Nihil humile Principi, niſi odiſſe; jucundiſſimum in rebus humanis amari, ſed non minus amare. Hæc tibi Ludovice Magne, & in ſalutem Galliæ, cui imperas, à Deo Date, potiori jure debentur: ſubditos enim tanquam filios, nec piget dicere, ut amicos diligis; nullum odio habes; omnes paternâ dilectione proſequeris; & in hoc Dei, cujus in terris vices geris, cujus es & ſimulachrum, naturam refers. *Deus* enim, inquit Sapiens, *omnes diligit, & nihil odit eorum quæ fecit*, Sicque nos dilexit, ut filium ſuum ſibi coæternum, & conſubſtantialem miſerit in mundum; qui majeſtate depoſitâ, tanquam unus ex nobis fieri voluit, nec amicos nos, imò domeſticos, & fratres vocare dedignatur. Quod probè noſcens Rex Ludovice ſubditos, ut pater filios diligis, eoſque eximiâ tuâ benevolentiâ ad amorem tuum, & admirationem, rapis; ut quod Tito olim Romanorum Imperatori à Romanis pro ſumma gloria delatum eſt, ut amor & deliciæ populorum vocaretur, potiori jure tibi debeatur.

CAPVT III.
De Regia in verbis & promiſſis Fidelitate.

MIra in Principe noſtro, ait Mamertinus de Iuliano in paneg. mentis linguæque concordia. Non modo humilis, & parvi animi, ſed ſervile vitium ſcit eſſe mendacium, & verè cùm mendaces homines, aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ ſuæ Imperator, qui mentitur, ignorat. Fides ſanctiſſimum humani pectoris bonum; inquit Tullius; maximum majoribus noſtris telum, ut dixit olim Cato, ex qua plures pace ſubjectæ, quàm bello gentes fuere devictæ. Fidem qui perdit, nihil poteſt ultra perdere. Hæc totius humani fœderis nexus, civilis commercii vinculum, Reipublicæ præſidium; quæ nullâ neceſſitate frangi debet, nullo præmio corrumpi. Iuſtitiæ fundamentum eſt, dictorum atque conventorum conſtantia, & veritas, inquit Tullius. Venerabile Numen, quod dextram ſuam certiſſimum humanæ ſalutis pignus oſtentat; cui in Capitolio M. Æmilius Scaurus templum olim conſecravit. Inter antiquiſſimos enim Deos annumerata eſt fides, hoc nomine appellata; quia id fit, quod dicitur: unde apud Ægiptios, Periuri olim capite mulctabantur, utpotè duplicis criminis rei; impietatis primò in Deos, eo quod fides res quædam ſit divina; & infidelitatis erga homines: fidem enim tollunt, quæ maximum eſt humanæ ſocietatis vinculum. Fidem verò ſervare nedùm divino, ſed & humano juri, legique naturæ valdè conſentantum eſt. Naturalis enim æquitas hoc petit, ut quæ promiſſa ſunt; ſerventur. Vnde jure gentium, infidelitas prohibetur. Ex pacto jus eſt, ait Cicero, pactum verò eſt, quod inter aliquos convenit; adeoque juſtum putatur, ut juri præſtare dicatur. Fidem qui abſtulerit, tota funditus ruet hominum ſocietas; cujus illa vinculum eſt. Nullum enim fœdus, nullum commercium, nullum negotium publicum; nec inter cives, nec cum vicinis, nec cùm ipſo Principe ſine pactionibus fieri poteſt. Fide autem ablatâ nullus, nec cum ſuo Principe vellet paciſci: Imò neque cum Deo. Si enim Deus datam ſemel hominibus fidem frangeret, rueret illicò fides divina; nec Deo quis vellet, ejuſque promiſſis fidem adhibere; ſi promiſſis aliquando non ſtetiſſet. Ejus verba juramenta ſunt, ait Philo, ob ſermonis divini firmitatem, & promiſſorum immutabilitatem. *Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis.* Magnitudinem ergo fortunæ ſuæ Rex, qui mentitur, ignorat. Dei imago eſt; Dei fidelitatem æmuletur; qui nunquam fidem hominibus datam fregit. Sibi, plus quam ſubditis nocet, majoremque famæ ſuæ, quàm Reipublicæ ſaluti injuriam facit, dùm promiſſa reſcindit. Periurij enim reus habebitur, quod Regi turpiſſimum eſt, qui in perjuros animadvertere debet. Quare ſacrilega hæc vox Euripidis, *Ius regnandi causâ violandum eſt; aliis rebus pietatem colas.* Præterea ſubditis ſuis infœlicior eſſet, nullo cùm illo negotium gerere volente, & pro pœna ab omnibus commerciis, quæ ſola fide perficiuntur, interdictus eſſet. Imò ſibi ab omnibus deberet timere & timeri, omnibus inviſus, omnibus ſuſpectus; quaſi non inter ſubditos, ſed inter hoſtes degeret. Unde ſapienter Seneca Neroni dicenti apud Trag. in Octavia: *Ferrum tuetur Principem; at melius fides*, ait ille. Verùm Ægiſthum audio aud eumdem Tragicum in Agamen. *Non intrat*, inquit, *unquam Regium limen fides.* Quod quidem de Tyrannico Dominio dici poteſt, ſecus de Regio Imperio, cujus fides baſis eſt, & fundamentum. Solâ enim juſtitiâ Regna ſtant; fides autem juſtitiæ origo eſt, & ſoboles glorioſa, & fundamentum, humanique generis columen, ut dicit Cicero 1. offic. Sanctiſſimum humani pectoris bonum, ait Seneca Ep. 89. Silius Ital.

Ante Iovem generata, decus divumq; hominumque,

Quâ ſine tellùs pacem, non æquora norunt;
Iuſtitiæ conſors, tacitumque in pectore Numen:

Nèque enim ulla res vehementius Rempublicam continet quàm fides. Nefarium ergo eſt, fidem frangere, quæ humanæ ſocietatis vinculum eſt, ait Cicero orat. pro Roſcio: Maximè verò Principi, qui fidei publicæ cuſtos eſt & tutor. Et ut præclarè Thucydides, iis qui in dignitate ſunt, turpius eſt timidè honeſta circumvenire, aut dolo lædere, quàm vi apertâ. Regi turpiſſimum eſt, addit Cicero 3. offic. Latebram perjurio quærere; quod via viliſſimis ſervis permitti poteſt; queis nec chara fides, nec ulla firma pactio eſt.

CAPVT IV.

De Majeſtate, & auctoritate Principis.

AMbitioſæ Principum Majeſtati quidquid potuimus titulorum congeſſimus, ait Seneca lib. 1. de Clementia c. 14. Magnos, Fœlices, & Auguſtos dicimus; Patres etiam patriæ appellamus. Verùm unum præ cæteris placet, magni cognomen. Triſmegiſtus, qui olim Ægyptiis imperavit, ter Maximus fuit appellatus. Denique ſola Regibus majeſtas tribuitur; nec immeritò; utpotè, qui viſu & auditu ſint venerabiles. Majeſtas enim nihil aliud eſt, quàm reverenda quædam amplitudo ob meritum virtutis &c vel ſumma quædam auctoritas, quæ ad fidem faciendam quæritur, ut dicit Cicero in Topic. Hæc, inquit Tacitus, oritur ex gravitate. Gravitas verò tùm in vultu, tùm in reliquo corporis habitu reſplendet. De Germanico hæc ſcribit Tacitus, qui viſu & auditu venerabilis, cùm magnitudinem, & gravitatem fortunæ retineret, invidiam, & arrogantiam effugerat. Quidam illam ex receſſu, quo ſe ab hominum avocant ſocietate, aucupantur. Sic olim Perſarum Reges, qui ſemel in anno ſeſe populis conſpiciendos dabant. Sic Nero, qui ut fera quædam ſæviſſima, in Palatiò, veluti in ſpecu ſe recondebat; ſecretum ubique captans; nec unquam è ſua ſolitudinem prodibat, niſi ut ſolitudinem faceret. Verùm temperatus eſſe debet hujuſmodi receſſus. Majeſtas Principi à Deo infunditur, veluti quidam Divinitatis radius, utpotè qui Dei in terris vices agat, pulcherrima ſummi Numinis imago. Augetur veneranda illa majeſtas ex Sacri Olei Unctione, & inauguratione. Creſcit adhuc auctoritate, & ſupremâ in ſubditos potentiâ: Penes enim Reges eſt jus vitæ, & necis. Roboratur magnifico apparatu, Regiis veſtibus, totque ſatellitum comitatu. Ad hoc etiam conducit inſolitus oculorum vigor, vultus ſeveritas, frontis majeſtas, ſermonis gravitas, corporis proceritas, & facies veneranda, dignâ certè imperio. Oculos adeo vivaces habuit Auguſtus Cæſar, ut ſolo intuitu audaciſſimos quoſque perterrefaceret. Tria adhuc dant auctoritatem; potentia quæ ex opibus, armis, & fœderibus comparatur. Fortuna & Sanctitas, quâ Princeps Deo conjungitur; ſed hæc cæteris præſtat. Hinc Gentiles etiam Principes, ut majorem ſibi apud populos auctoritatem conciliarent, familiaritatem ſe cum Diis habere fingebant; ut de Numa Pompilio legitur, qui populo perſuaſit ſe cum Nympha Ægeria nocturnos habere congreſſus. Sic impiiſſimus ille Turcarum Imperator Mahometes, Gabrielis Archangeli ſibi familiaris benevolentiam ſimulavit. Eſt quidem ingenita gentibus erga Reges ſuos veneratio; hæc tamen ex Principum ſanctitate augetur. Majeſtas Imperii ſalutis tutela, ait Q. Curtius lib. 4. auctoritas maximum præſidium, quæ nihil aliud eſt, quàm impreſſa tùm ſubditis, tùm exteris reverens de Rege, ejuſque ſtatu opinio; conſtatque ea admiratione, & obſequio.

CAPVT V.

De Fortuna & Felicitate Principis.

AD amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas divinitus fortuna debet adjungi, inquit Cicero, pro lege Manilia, majoreque fortunâ quàm ſapientiâ eget Princeps, ait Saluſtius, ut pro dignitate Regnet. Hinc illud Livij 7. Hiſt. Principibus in ſinum de cœlo victoria devolat: & illud Terentij; dormientibus Dii omnia conficiunt. Tria Principi maximam dant auctoritatem Religio, potentia & fortuna. Unde Reges olim & Imperatores falſorum Numinum cultui addicti, præ cæteris fortunam invocabant, templa illi, & ſacella ſacrabant; Chriſtiani verâ, ut fusè demonſtrat Auguſtinus lib. 22. de civitate Dei, non aliam colunt fortunam, quam Deum Optimum Maximum, per quem Reges regnant, à quo eſt omnis poteſtas, cujus & ope Regna florent, & firmantur, quare vera religio, quâ verus Deus colitur, præcipuum eſt Regnorum Regumque Præſidium, veraque fortuna.

LIBER

Digitized by Google

LIBER VI.

DE TERTIO REGALIS JUSTITIÆ munere, videlicet erga ſubditos.

QVÆSTIO PRIMA.

QVID PRINCEPS SVIS DEBEAT SVBDITIS.

CAPVT I.

Rex Regni à Deo ſibi commiſſi bonum, & ſubditorum utilitatem ac ſalutem debet ſemper intendere.

QUÆ ſunt ſecundùm artem imitantur ea, quæ ſunt ſecundum naturam: invenitur autem in natura duplex regimen; univerſale ſcilicet, & particulare. Univerſale ad Deum ſpectat, qui regit Muodum: particulare ad Animam, quæ regit corpus; anima verò eſt in corpore quadam proportione, & ratio in homine, ſicut Deus in mundo: homo enim poteſt coofiderari & ut perſona privata, & ut ad ſocietatem naturaliter ordinata. Per rationem particularem ſeipſum regit, per rationem univerſalem alios regit. Ex his Angelicus Doctor lib.1. de Regimine Principis c.15. tertium Regalis Iuſtitiæ munus, videlicet erga ſubditos colligit. Rex, inquit, io Regno ſuo ſe gerere debet, ſicut anima in corpore & Deus in mundo. Duo ſuut Dei opera in mundo; unum, quo mundum condidit; alterum, quo mundum à ſe conditum gubernat. Duo pariter ſunt animæ opera in corpore. Primùm, virtute animæ corpus informatur, & vivit. Secundùm, per animum corpus regitur, & movetur. Horum autem ſecundùm magis propriè ad Regis officium pertinet. Primum enim opus non omnibus convenit; non enim omnes civitates, & Regna inſtituunt, in quo regnant, ſed Regni ab aliis erecti, & inſtituti regimini præficiuntur: Gubernatio verò ſemper Regni inſtitutionem præſupponis. Nonnulli civitates ædificarunt, in quo regnarent; ſicut Ninus Ninivem, Romulus Romam. Ad gubernationis ergo officium pertinet, ut gubernata conſervet ac eis utatur, ad quod ſunt inſtituta. Ratio inſtitutionis Regni ab exemplo inſtitutionis Mundi ſumenda eſt, in quo primùm conſideratur ipſarum rerum productio: Deinde partium mundi ordinata diſtinctio. Ulterius ſingulis mundi partibus diverſæ rerum ſpecies diſtributæ videntur, ut Stellæ cœlo, Volucres aëri, Piſces mari, Beſtiæ terræ. Deinde ſingulis ea, quibus indigent abundè divinitùs proviſa ſunt. Hanc autem inſtitutionis rationem Moyſes, ſubtiliter, & diligenter expreſſit in lib. Geneſeos. Primò enim, rerum productionem enarrat, dicens: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, &c. Secundò ordinem, quando Deus omnia ſua opera diſtinguit, Lucem à tenebris, aquas à terra &c. Hinc cœlum luminibus, Aër volucribus, Mare piſcibus, Terra beſtiis ornantur. Ultimò animalibus plantas in uſum providit. Sic in inſtituenda civitate primò, locum congruum eligat, qui ubertate fructuum ad victum ſubditorum ſufficiat, amœnitate eos recreet, & ab hoſtium incurſibus penitùs tutos reddat. Secundò, debet diſtinguere loca, ut alia ad Dei cultum; alia ad ſcientias comparandas, alia ad artes exercendas, alia ad milites, alia ad pauperes alendos idonea ſint. Item debet homines congregare, & ad propria officia deputare; demum ſingulis neceſſaria providere. Sicut verò inſtitutio Regni ex forma inſtitutionis, ſic & gubernationis ratio ex mundi gubernatione ſumenda. Gubernare, eſt id, quod regitur ad debitum finem perducere. Sicut navis dicitur rectè gubernari, cùm per Nautæ induſtriam recto itinere ad portum optatum illæſa perducitur. Congruè verò Regnum cum nave à D. Thoma c. 14. comparatur. Sicut enim Faber Lignarius curam habet reſtaurandi, ſi quid collapſum eſt in navi; Nauta verò curam habet, ut ad portum navis fœliciter perveniat. Sic in homine Medicus curam habet, ut vita hominis in optima valetudine conſervetur: Oeconomus ut ſuppetant vitæ neceſſaria; Doctor ut veritatem agnoſcat. Quòd ſi homo ad aliud bonum exterius non ordinaretur, hæc ſufficerent: ſed quoddam eſt bonum homini extraneum, quamdiu mortaliter vivit, ultima ſcilicet beatitudo, quæ finis eſt ejus ultimus ſcilicet Deus: idem autem eſt judicium de fine totius multitudinis, & unius hominis: finis unius hominis eſt vivere beatè, & ſufficienter; & quidem primò, quantùm ad animam, per virtutem: Secundò, quantùm ad corporis ſuſtentationem, & defenſionem, per ea, quæ ſunt vitæ neceſſaria. Vita ergo virtuoſa finis eſt multitudinis hominum congregatæ. Si enim propter ſolum vivere homines congregarentur, nihil ſupra ſervos, vel muta animantia haberent: homo verò beſtiis præcellit, utpotè ad imaginem Dei creatus, rationis, liberique arbitrii particeps, & ad æternam ac ſupernaturalem fœlicitatem creatus, quæ in clarâ Dei viſione conſiſtit. Hic verus, & ultimus Politiæ Chriſtianæ finis, ad quem qui regimini à Deo præfectus eſt, ſubditos toto animi ſtudio debet dirigere; nec illis tamen bona temporalia, quibus hæc vita iuvatur, denegare. Hæc tamen non ſpectant ad ultimum finem civilis ſocietatis; aliàs Soli divites ad civitatem pertinerent; homines verò in unum coëunt, ſub unius Principis regimine, ut benè & virtuosè vivant; ſed quia homo vivendo ſecundum virtutem ad ulteriorem finem ordinatur, qui conſiſtit in Dei ſummi boni fruitione; ideo finis ultimus civilis regiminis eſt beatitudo, quæ in hac vita per virtutis cultum incohatur, & in cœlo clarâ Dei viſione conſummatur. Et hunc finem Rex in omnibus debet

pet ſe primò intendere, non proprium commodum, ſed ſubditorum ſalutem, & in hoc à Tyranno Rex diſtinguitur: nec hoc Gentiles latuit. O novum, & inauditum ad Principatum iter, inquit Plinius de Trajano! non te propria cupiditas, proprius metus; ſed aliena utilitas, alienus timor Principem fecit. Novum quidem, & inauditum; quia pauci fuere ex Romani Imperii Rectoribus, qui hâc ad Principatum viâ pervenerint, neque ipſe etiam Trajanus, qui Tyrannidem affectavit; verum tutior hæc & æquior via, cujus finis & ultimus terminus publica debet eſſe utilitas: & àqua, ſi deflectat Imperator Tyrannicè dominatur. Tyrannus enim ille dicitur, & reverà eſt, qui neglecto bono Reipublicæ communi, cuncta ad propriam utilitatem, & gloriam flectit; quales fuere Romani ut plurimùm, & Turcarum Imperatores.

Ab hac infamia Reges Galliæ fœliciter immunes ſunt, ut ex eorum geſtis conſtat. Nec tibi Ludovice Magne ad ſalutem Regni Liliati à Deo Dare hæc labes objici poteſt; in omnibus enim tùm pacis, tùm belli negotiis; Primò quidem, Chriſtianæ Religionis augmentum; Secundò, Status, ſeu Regni Gallici, à Deo tibi commiſſi amplitudinem, & gloriam: Tertiò, ſubditorum imò totius orbis pacem, & tranquillitatem intendis. Ad hæc verò conſequenda, neceſſaria ſunt populorum ſubſidia, Tributa, Vectigalia, quæ ab omnibus ubique Terrarum populis, Principibus tribuuntur. Mercenarium ſuâ mercede, quam proprio labore meruit, defraudare, magna eſt injuſtitia: ſed longè major Regibus ſubſidia, tributa, & vectigalia denegare, qui pro ſalute publica laborant. Æqua tamen eſſe debent, non immenſa, ſubditorumque paupertati indulgendum.

CAPVT II.

Princeps ſubditis bonum præbeat exemplum.

ALia eſt conditio eorum, qui in turba, quam non excedunt, latent, ait Seneca lib. I. de Clement. c. 8. quorum & virtutes, ut appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Veſtra, Imperator, facta, dictaque rumor excipit; & ideo nullis magis cavendum eſt, qualem famam habeant, quam qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt. Quàm multa tibi Nero, non licent, quæ nobis, beneficio tuo licent. Poſſum in qualibet parte urbis Solus incedere ſine timore; quamvis nullus ſequatur Comes, nullus ſit domi; nullus ad latus gladius: tibi in tua pace armato vivendum eſt. Aberrare à fortuna tua non potes: obſidet te, & quocumque deſcendis, magno apparatu ſequitur. Et hæc ſumma magnitudinis ſervitus eſt, non poſſe fieri minorem: ſed cum Diis tibi communis iſta neceſſitas eſt. Nam illos quoque cœlum alligatos tenet: nec magis illis deſcendere datum eſt, quàm tibi: faſtigio tuo affixus es. Noſtros motus pauci ſentiunt. Prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum ſine ſenſu publico licet: tibi non magis quàm Soli latère contingit. Multa contra te lux eſt: omnium in iſtam converſi oculi ſunt. Prodire te putas, oriris. Loqui non potes, niſi ut vocem tuam, quæ ubique ſunt gentes excipiant. Iraſci non potes, niſi ut omnia tremant. Non enim qui Rempublicam gerunt, inquit, Plutarchus lib. de Reipub. gerendæ præcep. iis tantùm de publicè dictis, factiſque ratio eſt reddenda: ſed & in cœnam eorum inquiritur, & cubile, & matrimonium, & quidquid ſerii, jocive agunt. Sicut enim in facie verrucæ vel lens moleſtiores ſunt; quàm reliquæ corporis maculæ vel ſicut Solis defectus toti orbi notior eſt, quàm ſyderum Eclipſis: ſic exigua peccata, ubi in Principis cernuntur vita, pro magnis habentur. Capitis ferè omnes ictus, vel morbi læthales ſunt, nec ſibi tantummode; ſed toti corpori perículoſiſſimi. Idcircò non injuriâ, celebri dignus eſt laude Livius Druſus, Tribunus plebis, qui cùm domus ipſius multæ partes vicinis eſſent perſpicuæ; ac Faber quidam polliceretur, ſe eas impendio quinque modo talentorum averſurum, & mutaturum: immò, ait, decem abs me aufer talenta, lege hac ut totam domum meam reddas omnium inſpectui patentem, quò univerſi cives cernere poſſint, quâ utar vitæ degendæ ratione; erat enim vir temperans, & modeſtus: ac nihil quidem fortaſſis opus ei erat hâc perſpicuitate. Subditorum oculi in Principem, ait Plinius, in panægi. cui non tam Imperio opus ſit, quàm exemplo. Hæc enim conditio Principum, inquit, Quintilianus, ut quidquid faciant, præcipere videantur. *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet*, canit Tragicus. Regis enim ad exemplum totus componitur orbis.

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe,
Vivere cognoſcas: cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam. nec poſſe dari Regalibus uſquam
Secretum vitiis: nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & obſtruſos explorat fama receſſus.

Ita Claudianus ad Cæſarem; & Ovidius ad Liviam.

Impoſuit te alto fortuna, locumque tenere.
Juſſis honoratum; Livia perfer onus.
Ad te oculos, aureſque trahis: tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi.

Imperator, inquit Pacatus, non contentus eſſe debet ultrò vitia rejeciſſe, alienis vitiis corrigendis curam adjicere debet; idque moderatè, exemplo ſcilicet, ut ſuadere potius honeſta, quàm cogere videatur, & ubi multorum retrò Principum remiſſione immodicus cives luxus infecit, ne quis ſe pari injuriam putet, à ſe incipere debet cenſuram. Quis enim feret moleſtè ad Principis ſemel modum coërceri? aut ſub tractum ſibi dolebit de privata luxuria, cùm videat Imperatorem rerum potentem, terrarumque Dominum, parcè contentèque vivere, modico, & caſtrenſi cibo jejunia longè ſolantem. Quod in Theodoſio Pacatus ſummoperè laudat, qui frugalitatis ſuæ exemplo cives omnes ad frugalitatem impulit. Nemo, inquit, tunc erat, qui auderet ad penum Regiam flagitare remotorum littorum piſcem, peregrini aëris volucrem; alieni temporis florem. Nam delicati illi, ac fluentes, & quales tulit Reſpublica, parum ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum; niſi hibernæ poculis roſæ innataſſent; niſi æſtivam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent. Horum gulæ anguſtus erat noſter orbis; namque oppoſitas dapes, non ſapore, ſed ſumptu æſtimabant. Illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus oriens, aut poſitus extra Romanum Colchus Imperium, aut famoſa naufragiis maria miſiſſent; quos inviæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericula rapuiſſent, ut taceam infami ſæpe delecta ſcriptos in Provinciis aucupes, ductaſque ſub ſignis Venatorum cohortes militaſſe cominus. Nonne cognovimus cujuſdam retrò Principis non prandia ſæpe, ſed fercula

Digitized by Google

S. H. millies æſtimata patrimoniorum Equeſtrium pretia traxiſſe. Tuæ vero, Imperator, epulæ menſis communibus parciores, locorum, ac temporum fructibus inſtruuntur, Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parcimoniæ cultus inolevit, & quieſcentibus Legum minis, ſolius Principis exemplo, ſubiit quandoque privatim ſui pœnitentia. Sic eſt enim; ſic eſt: exaſperat homines Imperata correctio, blandiſſimè jubetur exemplo.

Alia eſt conditio eorum, inquit Seneca lib. 1. de clement. ad Neronem Imperatorem; alia inquam eorum conditio, qui in turba quam non excedunt, latent, & virtutes ut appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Veſtra ô Cæſar facta, vel dicta rumor excipit! & ideò nullis magis cavendum eſt, qualem famam habeant, quàm qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt. Quam Multa ô Cæſar tibi non licent? quæ nobis beneficio tuo licent? Poſſum in qualibet parte urbis ſolus incedere ſine timore,, quamvis nullus ſequatur Comes, nullus ſit Domi, nullus ad latus gladius, tibi in pace armato vivendum eſt, aberrare à fortuna tua non potes, obſidet te, & quocumque deſcendis magno apparatu ſequitur; & hæc ſumma magnitudinis ſervitas eſt, non poſſe fieri minorem, faſtigio tuo affixus es. Noſtros motus pauci ſentiunt prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum ſine ſenſu publico licet, tibi non magis quàm ſoli latere contingit. Multa contra te lux eſt, omnium in te converſi ſunt oculi. Prodire te putas? inſtar lucis oriris. Loqui non potes, niſi ut vocem tuam, quæ ubique ſunt gentes excipiant. Iraſci non potes, niſi ut omnes tremant. Quidquid agis, omnes vident, omnes audiunt, omnes ſciunt.

Exempla Principum vim habent quodammodo legum, & præceptorum, itaut ſubditis præcipere videantur, quod illi agunt, ſive rectè, ſive malè virtutes imperant, cum illas colunt, vitia, quadd à virtute aberrant.

Quod primum Mobile in cœlo, hoc Rex eſt in ſuo Regno; & ſicut primum Mobile inferiores cœlorum orbes ſuo impulſu ab oriente ad occaſum trahit, ſic Reges ſuo exemplo ſubditos ad æquitatem, vel injuſtitiam rapit: quod Chriſtis Diſcipulis ſuis dixit; *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum; qui in cœlis eſt.* Hoc reges ſibi jure potiori à Chriſto dictum arbitrentur; ad hoc enim à Deo ſupra Solium Regium poſiti ſunt, ut bonis exemplis populis ſibi ſubditis præluceant: qui alios pravo ſuo exemplo ad peccandum inducit, petra illis eſt ſcandali. *Væ autem ei, qui puſillos ſcandalizat. Expedit, ut mola ejus collo aſinaria imponatur, & in mare dejiciatur.* Væ mundo à ſcandalo. *Ab occultis meis munda,* exclamat Regius vates, *& ab alienis parce ſervo tuo*: aliena ſunt peccata, quæ à ſubditis Regum exemplo perpetrantur, de quibus nedum ſubditi; ſed & Principes ſeverè à Deo punientur. *Non tibi licet, uxorem fratris tui habere*, ait Ioannes ad Herodem; iniquo enim tuo exemplo adulteria approbas.

CAPVT III.

Regii muneris eſt, pro bono Reſpublicæ optimas, circa conjugii honeſtatem, leges ferre.

HÆc eſt vera pietas, ait Panegyriſta Maximiani; hæc voluptas conſervandi generis humani, leges dare gentibus, ad matrimonia ſtudioſiùs expetenda, ad liberos educandos, ut ſubſtituendis ſucceſſoribus ſingulorum nihil obſit omnium poſteritati Reipublicæ. Quare olim leges, quæ mulctâ cœlibes notaverant, parenteſque prœmiis honorarunt, verè dicuntur eſſe fundamenta Reipublicæ, juventutis ſeminaria, & quaſi humani generis fontes. Quæ cum ita ſint, Regii muneris eſt, pro bono Reipublicæ optimas circa conjugii honeſtatem Leges ferre. Optimæ autem erunt, ſi juxta præcepta Chriſtianæ Politiæ, decreta Summorum Pontificum Romanorum, & Conciliorum Oecumenicorum, gradus conſanguinitatis obſerventur. Nefas enim patrem (qui primus eſt conſanguinitatis gradus) propriam filiam in uxorem ducere, quod neque in ipſo primo mundi naſcentis exordio primis parentibus à Deo fuit conceſſum. Adam enim primus generis humani parens, proprias filias non duxit uxores; nec Cain, nec cæteri ejus nepotes. In Hybernia Rex quidam, defunctâ propria uxore, filiam ejus pulchram corpore, ſed animo pulchriorem adeò væſano libidinis æſtu adamavit, ut eam inviram corruperit, & violaverit, ex qua S. Albanum Martyrem genuit, qui videns patrem iterum ſimul decumbentes, eos interfecit.

CAPVT IV.

Adulteria ſubditorum, è Republica eliminanda.

SPartanus ab Hoſpite rogatus, quid pœnarum darent apud Lacones adulteri; cùm nihil ſuper hac re à Lycurgo ſancitum eſſet; nullus, inquit, ô amice, apud nos adulter eſt, Cùm ille ſubjeciſſet; quid igitur, ſi exiſtat? dabit, inquit, Bovem tantùm, ut porrecto ultra Taygetum montem collo, bibat ex Eurota. Cumque ille ridens dixiſſet, fieri hoc non poſſe; nec inter nos adulter, inquit ille, eſſe poteſt, apud quos nullæ corporis habentur illicitæ voluptates. Fœliciſſima Sparta, quæ hoc monſtro caruit. Et hoc fuit ſapientiſſimi Legiſlatoris Lycurgi beneficium. De hac materia fusè alibi.

CAPVT V.

Nefanda libido, & illiciti concubitus refrænandi, utpote Reſpublicæ noxii.

VEnus, quam ex ſpuma maris procreatam Poëtæ fingunt, impudiciſſimam, ad omneſque divulgatam libidines fuiſſe propalàm eſt. Hæc autem ne ſola impudica videretur teſte Lactantio, meretritiam artem prima inſtituit, auctrixque mulieribus in Cypro, uti vulgato corpore quæſtum facerent. Non conveniunt certè iſti vagi & illiciti concubitus ad formandam Rempublicam; ſed è contra, maximè noxii ſunt, & avertunt generationem; ſiquidem ex frequenti congreſſu conceptio impeditur; & ſi quando naſcantur ex iſtis concubitibus illicitis quidam, exiſtimandum eſt de tali meretricum commixtione degeneres, & ignobiles fore procreandos. Præterea, ut præclarè Valerius Maximus, luxuria inquit, blandum malum animos effœminat, corpora enervat. Hæc Annibalem camictum olim armis, ſuis complexa illecebris vincendum Romano militi tradidit. Quid ergo illâ fœdius? Quid Reipublicæ damnoſius? Quâ virtus atteritur, victoriæ languent, ſopita gloria in infamiam convertitur; animi & corporis vires expug-

corporis caput,& politiæ familiæ pater; ejus muneris eſt ſubditis vitam rationalem , & civilem influere ; quod facilè poterit præſtare , latis circa rectam filiorum inſtitutionem ſanctiſſimis Legibus. Quare ſapientiſſimi olim Legiſlatores Leges tulerunt de filiis rectè inſtituendis , ut ſuprà in Oeconomicis declaravimus.

Cives, ſeu ſubditi longè Rectoribus , Principibus, & Regibus chariores eſſe debent , quàm filii propriis parentibus. Ratio naturalis hoc demonſtrat: Primò, quia cives, ſeu ſubditi ad ſocietatem civilē ſpectant, quæ nobilior eſt ſocietate Oeconomicâ, ſeu familiari. Secundò, quia bonum commune Regni , utpotè divinum , præferendum eſt bono privato, Tertiò , quia Reges, Patriæ , Reipublicæ , Regni ſunt Patres, & hoc nomine plus gloriantur , quàm parentes nomine Patrumfamilias. Quanta Regis gloria tot habere filios , quot ſubditos. Subditos ergo ſuos Rex, ut proprios filios diligat , nihilque illis deneget, quod ad eorum ſpectat ſalutem.

CAPUT II.

De rectâ Regiæ Familiæ Educatione.

Plerique Principum , ait Plutarchus , lib. de Principe,imperitos imitantur ſtatuarios, qui putant magnos ac validos viſum iri Coloſſos, ſi eos ad modum divaricatis cruribus, diſtentoſque & hiantes fingant. Sic enim & ipſi vocis gravitate, & vultus ſeveritate, motumque importunitate , & averſione convictus videntur majeſtatem Imperii præ ſe ferre; nihil omnino à Coloſſis differentes, qui foris heroicâ, aut divinâ formâ ornati , intùs, terrâ , lapidibus, & plumbo ſunt repleti. Hoc intereſt , quòd ſtatuarum iſtarum moles rectitudinem ſervat perpetuam abſque inclinatione ; inerudita autem Principes ab interna ſua inſcitia ſæpè numero ſubvertuntur: Baſi enim non ſitâ ad lineam ; & angulos rectos poteſtatem ſuperſtruentes excelſam, unâ vergunt. Enim verò ſicut neceſſe eſt primò,omnium ipſam regulam rectam, & firmam eſſe ; atque ita deinde ea quibus applicatur, ipſa quoque ſui ſimilia facere , atque ad rectitudinem perducere ; ita oportet Principem prius in ſeipſo Imperium, moreſque rectè dirigere ; poſtea ei ſubditos accommodare. Nam neque cadentis eſt erigere ; neque componere, incompoſiti, neque ordinare inordinati neque imperare nullius imperio ſubditi. Hoc autem à ſola diſciplina , rectaque morum inſtitutione poteſt ſperare. Etenim quamvis auguſtiſſima quoque ſpecies plurimùm credatur trahere de cœlo , ut dicit Pacatus ad Theodoſium ; ſive divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metetur hoſpitium ; ſive cùm venerit, fingat habitaculum pro habitu ſuo ; ſive aliud ex altero creſcat ; Experientiâ tamen edocemur,Principibus ad futurum Reipublicæ regimen plus prodeſſe diſciplinam, quàm naturam , optimoſque Reges magis fieri , quàm naſci. Alexander, inquit Plutarchus lib. de virtute Alex. Majorem à Præceptore Ariſtotele,quàm à Philippo Patre commeatum ad Rempublicam gerendam conſequutus eſt ; cujus ſi doctrinam, artemque Politicam inſpicias , Hyrcanos docuit conjugiis uti , Arachoſios,Agriculturam ; Sogdianis perſuaſit, ut parentes alerent, non interficerent : Perſis, ut venerarentur, non uxorum loco matres haberent. O admirabilem Philoſophiam ! quæ fecit, ut Indi Deos colerent, Scythæ mortuos humarent , non ut comederent. Hæc autem à Præceptore Ariſtotele didicit. Optimè ergo inſtitui debet Princeps, ab ipſa etiam ineunte ætate: Et quidem primò, de rectâ Religione. Secundò,mores verè Regios edocendus eſt. Tertiò autem Politicam. Quartò diſciplinas omnes ediſcet , quæ ad rectam Reipublicæ gubernationem aditum parant. Et quidem primò Philoſophiam: Doctrina enim Philoſophica, ut præclarè Plutarchus lib. ad Principem indoctum, in Principe habitans, ejuſque cuſtos , & tanquam conſiliarius , potentiæ veluti nimis habiti corporis maiorem juſto vim detrahens, id reliquit quod eſt ſacrum.

Reges primùm propriæ familiæ recto regimini debent ſedulo incumbere , ut docet Apoſtolus ; *qui enim propria domus curam non habet* , quo pacto aliarum & totius Regni ? Rex ſubditorum rectæ inſtitutioni debet invigilare ; potiori longo jure propriorum filiorum diſciplinam non debet negligere. Quare à Regibus filiis ſuis, in omni genere diſciplinarum præficiendi ſunt celeberrimi præceptores,ſed in primis qui Regum filios , futuros & Reges Catholicæ , & Orthodoxæ Doctrinæ præceptis imbuant. Cæteræ enim omnes diſciplinæ , Doctrinâ Chriſtianâ inferiores ſunt. Regnum Galliæ fœliciſſimum ſemper fuit, quia à Regibus, filiis ſuis , eruditiſſimi, & religioſiſſimi Præceptores, ad eorum rectam inſtitutionem fuerunt præfecti.

CAPUT III.

Rex, Chriſtus vocatur,& Sacerdos,quare Regii muneris eſt , ſubditos ad Chriſtianæ Religionis, quæ ſola vera eſt Religio,cultum, verbo, & exemplo allicere.

Quantùm inter Philoſophiam intereſt, & cæteras artes,tantùm intereſſe exiſtimo in ipſa Philoſophia, ait Seneca,lib.1.q.natur.inter illam tantùm partem, quæ ad homines,& hanc quæ ad Deos ſpectat. Altior eſt hæc, & animoſior: multum permiſit ſibi : non fuit oculis contenta , majus eſſe quiddam ſuſpicata eſt , ac pulchrius quod extra conſpectum natura poſuiſſet. Denique. tantùm inter duas intereſt , quantùm inter Deum , & hominem. Altera, docet, quid in terris agendum ſit; altera, quid agatur in cœlo. Equidem naturæ gratias ago , cùm illam non ab hac parte video,quæ publica eſt , ſed in ſecretiora ejus intravi ; cùm diſco , quid ſit Deus. Niſi ad hæc admitterer, non fuerat operæ prætium, naſci. Quid enim erat , cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem ? An ut cibos , & potiones percolarem ; ut hoc corpus caſurum,ac fluidum, periturumque, niſi ſubinde impleatur , farcirem , & viverem ægri miniſter; ut mortem timerem, cui omnes,naſcimur. Detrahe hoc inæſtimabile bonum, nempe religionis , non eſt vita tanti , ut ſudem ; ut æſtuem. O ! quam contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit. Tunc conſummatum habet, plenumque bonum ſortis humanæ, cùm calcato omni malo petit altum ; & in interiorem naturæ ſinum venit. Cum illa tetigit, alitur, creſcit ; ac veluti vinculis liberatus, in originem redit ; & hoc habet argumentum divinitatis, quòd illum divina delectent. Summum ergo , & proprium hominis bonum eſt Religio. Hac de cauſa, non ferarum more pronus in terram, ſed rectus à Deo creatus eſt. *Os enim illi Deus ſublime dedit, cœlumque tueri juſſit ; & erectos ad ſydera tollere vultus* , ut cœleſtia contemplaretur, ſummumque Numen coleret. Ad hoc verò à Principe, Oleo Sacro uncto, à Myſtâ, & Chriſto ſubditi debent inſtitui , verbo , & exemplo. Rex enim,

ut ſupta declaravimus, Sacerdotis munere ſungitur. Sacerdotis autem munus eſt, fideles errantes ad Deum convertere, unde olim Summus Sacerdos apud Hebræos Sancta Sanctorum ingreſſutus poderem geſtabat, in quo deſcriptus erat orbis terrarum, quia, ut dixi, Sacerdotis eſt, creaturas omnes ad Dei cultum revocare. Reges vero Sacerdotio Regali funguntur; ad eos ergo ſpectabit ſubditos ſuos ad Dei cultum, ſuo maximè exemplo inducere. Iuxta illud: *Sacerdotes Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.*

CAPVT IV.

Rex erga ſubditos Paſtoris munus implet: quare ad illum ſpectat; cuncta quæ ad vitæ, tum naturalis, tum civilis, tum cœleſtis conſervationem ſunt neceſſaria, illis procurare.

Regi ſanè erga ſubditos in beneficii ſuper eminentia jus illis principandi, eoſque regendi acceſſit, ait Ariſtoteles, lib.8. Ethic. Hàc viâ ad æternam gloriam iere Romani, ut dicit Plinius. Hàc toti orbi imperavere; ſibique divinos meruerunt honores. Deus enim eſt, addit Plinius, mortalem mortali benefacere. Benefacit ergo Rex iis qui ſub regno ſunt, ſubdit Philoſophus; ſiquidem bonus eùm ſit, ipſorum curam habet, ut benè agant; non ſecùs ac ovium paſtor. Vnde Homerus Agamemnonem Paſtorem populorum dicit. Talis autem Paterna etiam eſt auctoritas, & amicitia: tametſi magnitudine beneficiorum præſtat. Auctor enim ejus eſt, quod videtur eſſe maximum, ut videlicet ſint filii, eorumque curam habeat educationis, & inſtitutionis; id quod majoribus quoque attribuitur. Nam & pater filiorum, & majores nepotum, & Rex à ſe rectorum naturâ imperium obtinet. Quia ergo Princeps, & capitis, & patris, & paſtoris munere ſungitur, tenetur de omnibus, quæ ad triplicis vitæ, naturalis, civilis, & divinæ conſervationem requiruntur, ſubditis abundè providere. Caput enim cunctis corporis membris alimenta ſubminiſtrat. Pater filios paſcit; inde pater à paſcendo dictus, & nutritius; eiſque ampliſſimam hæreditatem relinquit? paſtor denique optima ovibus paſcua largitur.

CAPVT V.

Rex, ut paſtor; ſubditis, tanquam ovibus, de his quæ ad vitæ naturalis, & corporis alimentum ſpectant, ſufficienter provideat.

Habitari ab juſtis viris terras in Oceano ferunt, quas Fortunatorum inſulas vocant, ait Mamertinus in Panægir. quòd per eas non aratro ſolo frumenta naſcantur; fortuitis vitibus juga collium veſtiuntur; ſponte pomis arbores gravantur. Quantò, fœlicior noſtra conditio, addit Mamertinus. Non ſpicà triticea; non viles uvarum racemi; ſed opes ac divitiæ nihil laborantibus ingeruntur. Et hoc paternæ tuæ curæ debemus Cæſar inviĉtiſſime. Tuum hoc beneficium eſt quòd ſuppetat in agris fructuum ubertas, in urbibus opum ingens copia, inter populos fœdera, quibus commercium viges, ineantur; & ex remotiſſimis orbis locis per maria, & flumina merces deferantur. Tuæ adhuc Regiæ ſollicitudinis, quòd in Republica artes vigeant adductis undequaque eximiis opificibus, quæ omnia ad vitæ, tùm naturalis, tùm civilis præſidium requiruntur. Primò ergo regiæ paſtoralis curæ eſt, alimentorum copiam procurare. Vndè olim Vtopienſes Regem cùm inaugurarent, non ſceptrum; ſed manipulum frumenti dabant

CAPVT VI.

De Agricultura, ad vitæ naturalis, & civilis præſidium neceſſaria.

O Fortunata tempora, exclamat Seneca! cùm in medio jacerent beneficia naturæ promiſcuè utenda; antequam avaritia, atque luxuria diſſociavere mortales. Quid hominum illo genere fœlicius?

Non ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant, ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente ferebat.

In commune rerum naturâ fruebantur. Sufficiebat illa ut parens in tutelam omnium. Hæc erat publicarum opum ſecura poſſeſſio. Quidni ergo illud locupletiſſimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem invenire non poſſes? Terra ipſa fertilior erat illaborata, & in uſus populorum non diripientium larga. Fœliciſſimum proculdubio, & verè aureum illud ſœculum; quale fuit ſub ſtatu primæva hominum innocentia, ſed breviſſimi temporis; ut exclamare libeat: *Fœlix hora, ſed brevis mora.* Vbi enim primus humani generis parens Deo parère recuſavit, illicò hanc à Deo irato ſententiam audivit: *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ ſpinas & tribulos germinabit tibi; & comedes herbam terræ; in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Ex hinc terra, quæ olim illaborata, ſponte nulloque poſcente omnia ferebat, coli cœpit. Exinde Agricolæ; quamvis & retrò. *Poſuit enim Deus hominem in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Exinde paſtores. Non ob id tamen parvipendenda agricultura, quòd homini, veluti in pœnam peccati data fuerit. Præſtantiſſima hæc ars, totiuſque Reipublicæ commodo utiliſſima. Præſtantiſſima, utpotè quâ Deus ipſe gloriatur. *Pater meus,* inquit Salvator mundi, *Agricola eſt, & uſquemodò operatur.* Hinc forte à Hieronymo ſancta appellatur ruſticitas. Nobiliſſima, quæ nec Reges, & Imperatores dedecet. Deus enim Adamo primo totius orbis Principi, etiam in ſtatu innocentiæ, agriculturæ artem mandavit; fuit Caïn agricola, & Abel paſtor ovium. Hanc Noë ſecundus totius orbis Dominus exercuit; qui primus agros colere cœpit, vineamque plantavit. Ab aratro, & de poſt fœtantibus Saül olim, & David ad ſolium; ſicut & ad Romanum tempore a Dictaturæ & Conſulatus Principatum Cincinnati, Fabricii & alii vocati ſunt. Diocletianus, Atalus, Cyrus proprios hortos coluere. Saturnus, & Ianus divinos meruere honores, quòd primi Italos agros colere docuiſſent. Olim Magiſtratus in agris concedebant. Corinthiorum Duces ex agricolarum collegio eligebantur: quorum electionis, & inaugurationis radix adhuc apud illos viget, ut veſtibus ruſticis induantur. Nobiliſſimæ familiæ Romanorum nomen ruſticæ vitæ in poſteros pro honoris titulo tranſtulerunt. Inde orta nobiliſſimarum Romæ familiarum cognomina, Fabiorum, à Fabis, Lentulorum, à lente; Piſanorum, à Piſis ſerendis; Vitelliorum, Porciorum, Statilliorum, Bubulcorum, quæ teſtantur originem Agricolarum. Denique Homerum Agamemnonem Regem vocat Paſtorem. Quia-

Digitized by Google

re Cicero : Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, *nihil uberius, nihil dulcius*, nihil libero homine dignius. Agricultura *natura ordine prior*, maximèque juſta eſt, inquit Ariſtoteles, polit. c. 2. Non enim pendet ab hominibus, vel volentibus, ut quotum ſunt cauponæ, & qui mercede operas dant, vel nolentibus; qualis tota res bellica eſt. Maximè præterea naturalis eſt. Naturaliter enim à matre cunctis nutrimentum ſuppeditatur; nec diſpari modo & hominibus à terra, quam hoc titulo antiqui matrem omnium dixerunt, & ut Deam coluere. Ad hæc plurimùm confert Agricultura fortitudini. Non enim inutilia efficit corpora; ſicut officina, ſed ea quæ foris excubare valeant, & laborem ferre, atque etiam pericula adire ad hoſtes; idem Ariſtoteles alibi docet, Agricolas Reipublicæ neceſſarios eſſe, cujus partes & membra ſunt.

Reipublicæ ergo utiliſſima eſt agricultura; quod attendens Lycurgus agros omnes civibus ſuis diviſit colendos, eoſque fecit agricolas; & lege Romuli duæ tantùm populi partes conſtitutæ ſunt agricolarum, & militum. Agricultura enim homines fieri ſolent temperantiores, minuſque cupiditatibus obnoxii. Quare Regis eſt, utpotè civilis gregis paſtoris Agriculturæ, Agricoliſque favere, quò liberius & tutius agros colere valeant, ex quorum fructibus Reſpublica alitur; intereſt enim Reipublicæ, ne ab opere ruſtico, cui adhærere debent, diſtrahantur. Vnde apud Indos inter arma, hoſtiumque congreſſus agricolæ intacti, inviolatique erant tanquam communis utilitatis Miniſtri. Quibus à Pontificibus maximis varia fuere conceſſa privilegia. Tempore belli. Nabuzardam etiam magiſter militiæ Regis Babylonis qui tranſtulit populum Hebræum in Babylonem; intactos tamen reliquit Agricolas : qui nec ad militandum cogi poſſunt. Vnde Panegyriſta Conſtantis clementiam ejus laudibus extollit. O pulcherrimum, & qui omnium oculis ſubjici debuiſſet triumphum virtutis & clementiæ tuæ. Cujus enim potentiæ fuit hoſtibus arma diripere, ejus humanitatis deditos ad impunitatem ſuis armis alligare, atque etiam vincire, ut eos ferri illius, quod contra te geſſerant, quotidie pœniteret. Gladius ille quem in te diſtrinxerat hoſtis infeſtus; ipſe Domini ſui, manus tenet; & paratus ad cœdem, factus eſt ad ſalutem. O ferreum ſæculum *cum curva rigidum falces conflantur in enſem* triſte nimirum tempus id cùm inſtrumenta cultui agrorum præparata, in cœdem hominum vertebantur. At nunc rigidi illi, mortiferique mucrones in ligones, & falces curvantur, exarmatum hominem non interimunt, ſed nutriunt. deditoſque hoſtes gladii ſui colliſi, obtuſique tuentur omnium ergo armorum miniſteria ad diverſos effectus arbitrio tuo ſerviunt, te ignoſcente cuſtodiunt. Agricultura ergo à Regibus ſummo ſtudio in ſuis Regnis ſtabilienda, quæ nedùm ſubditis, ſed & ipſis Regibus, quæ ad vitæ conſervationem ſunt neceſſaria, abundè ſuppeditat.

CAPVT VII.

De Cultu Artium illiberalium, quæ vita naturali, & civili tuendæ inſerviunt.

NEgat Seneca illiberales artes adeò humanæ vitæ eſſe neceſſarias, quaſi ſine illis rectè beatèque vivere homines non poſſint. Non fuit, inquit, epiſt 90. tam inimica natura; ut cùm omnibus aliis animalibus facilem actum vitæ daret, homo ſolus non poſſet ſine tot artibus vivere. Nihil horum ab illa nobis imperatum eſt, nihil ægrè quærendum ut poſſit vita produci. Ad parata nati ſumus, nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus. Tecta, tegumenta, & fomenta corporum, & cibi, & quæ nunc ingens negotium facta ſunt, obviaverant, & gratuita, & operâ levi parabilia. Modus enim omnium, prout poſtulabat neceſſitas, erat; nos iſta prætioſa; nos mira, nos magnis, multiſque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura quod poſcit. A natura luxuria deſcivit, quæ quotidie ſeipſam excitat, & tot ſæculis creſcit, & ingenio adjuvat vitia. Primò ſupervacua cœpit concupiſcere; inde contraria; noviſſimè corpori animum addixit, & illius deſervire libidini juſsit. Omnes iſtæ artes, quibus aut excitatur civitas, aut ſtrepit, corporis negotium gerunt: cui omnia olim tanquàm ſervo præſtabantur; nunc tanquam Domino parantur. Hinc textorum, hinc fabrorum officinæ ſunt; hinc odores coquorum; hinc molles corporis motus docentium, molleſque cantus, & infractos. Mihi crede, fœlix illud ſæculum ante Architectonas fuit, iſta nata ſunt jam naſcente luxuriâ, in quadratum tigna decidere. Culmus liberos texit. Sub marmore, atque auro ſervitus habitat. Verùm ſi non ſimpliciter vitæ humanæ neceſſarias hujuſmodi artes, ad minus utiliſsimas eſſe, nemo ſanæ mentis inficiabitur. Commodius enim ſub domu, quàm ſub arbore, vita degitur. Ars omnis, ait Ariſtoteles, bonum aliquod appetit, arte ſuperamus ea, quibus natura vincimur. Vnde alibi ait: artifices, & omne miniſterium in civitatibus exiſtere neceſſarium eſt; quos Plato 7. Politic. partes eſſe civitatis docuit, ſine quibus ſtare non poteſt. Denique plura conſiderat Ariſtoteles 2. de Repub ſine quibus ſtare non poteſt Reſpublica : & primùm ponit alimenta, deinde artes : multis enim inſtrumentis indiget vita. Legimus quidem fuiſſe olim Reſpublicas, quæ artificia, ſeu artes manuales contempſerunt, verùm non ſine maxima ſui jactura. Romanis civibus non licebat olim artes manuarias exercere. Apud Theſpienſes turpe erat artes illas diſcere. Philiſtini caverunt ne faber ferrarius eſſet in terra Iſraël; ne fortè facerent ſibi Hebræi gladios vel lanceas; è contra in Republica opifices etiam ſordidi, cives ſunt, & ad gerendos magiſtratus habiles, ut apud Helvetios: quod Ariſtoteles parum rationi congruum eſſe cenſet; quoniam, inquit, virtutem exercere nequit, qui vilibus opificiis occupatus eſt. Approbavit autem Deus artifices, utpotè Reipublicæ neceſſarios Eccleſ. enim c. 38. legitur : *ſine artibus non ædificatur civitas, ſuper ſellam tamen Iudicis, artifices non ſedebunt*; laudantur denique Beſeleel: & Oolias Exod. 32. eximii artifices, quòd Dei ſpiritu fuerint impleti, & ſapientiâ ad excogitandum quidquid fieri poteſt ex auro & argento &c. Tubal Caïn primus refertur artes mechanicas illiberales inveniſſe. Poëtæ Minervæ illas tribuunt.

Cùm ergo utiliſſimæ ſint Reipublicæ, vitæque tam naturali, quàm civili conſervandæ plurimùm inſerviant; Regiæ ſollicitudinis erit, eximios in Regno ſuo artifices. Vndequaque advocare eiſque leges imponere, ut ſine dolo, fuco, & fraude ſolida opera perficiant, ut fecit Salomon pro Templi conſtitutione; illicitas autem artes procul à Republica Rex eliminabit.

mutantur, ſive emuntur, & venduntur; quæ propriè mercatura dicitur: alia, cujus arte nummus ex nummo comparatur, quæ vulgo fœnus vel uſura appellatur. Prima neceſſaria eſt, juri naturali conſentanea, & laudabilis: Secunda tranſlata, & meritò improbanda; quia non ſecundum naturam; ſed ab hominibus inventa eſt. Quare rationabiliſſimè odio habetur ars hæc nummularia; quoniam à nummo ipſo facit acquiſitionem, & non ad quod nummus inductus eſt. Commutationis enim causâ nummus inductus fuit; fœnus autem ſeipſum majus facit: unde & nomen venit; quoniam illa quæ pariuntur, ſimilia ſunt gignentibus; in fœnore autem nummus nummum parit: quare maximè contra naturam eſt hic acquirendi modus; quia nummus ex natura ſua res ſterilis eſt, & infœcunda; nec ad alterius nummi generationem accommodata. Uſura ergo ex natura ſua mala eſt, utpotè naturæ Legi contraria: Deo exoſa, divinâque Lege prohibita, cuius Dæmon auctor, & Chriſtus interdictor. Quid enim aliud faciũt uſurarii quam quod Chriſto Dæmon ſuadebat, nempe ut ex lapidibus panes faceret? Hi enim ex lapidibus, & metallis lucrum accipiunt, quod natura non poteſt producere. Nam naturaliter nummus aureus alium non generat. Lepores, inquit Plutarchus lib. de vitando ære alieno ferunt ſimul, eodemque tempore, & parere & alere, & alios concipere fœtus norunt, at verò fœneratores pariunt antequam concipiant: nam ſimul atque dederunt, repoſcunt, ac ponendo tollunt, & in fœnore, collocant ipſum fœnus. Fertur hoc apud Meſſenios; *eſt Pylus ante Pylum, Pylus atque alius tamen extat.* In fœneratorem autem hoc rectè ſic torſeris; *fœnus præcedit fœnus, ſupereſt quoque fœnus.* Unde Perſæ ſecundum locum inter peccata, aſſignant mendacio, primum fœnori, & uſuræ; quæ ſine mendacio rarò exercetur. Ignis inſtar ſerpit hoc vitium, cum pernicie & exitio eorum quos arripit; unum poſt alium conſumens. Quid uſurâ turpius; quid illiberalius, quid denique crudelius? Turpiſſima quidem, quia naturæ hominis penitùs contraria, cujus ingenium eſt benefacere: Illiberalis, quia beneficium non debet eſſe vænale, ſed gratuitum; fœnerator autem nihil egenti tribuit, niſi ſub ſpe lucri; Crudeliſſima; quia non beneficium, vel mutuum appellari debet, ſed rapina: fœnerator enim tyrannico, & hoſtili more debitoris libertatem invadit, dignitatem proſtituit: Si nihil das, obturbat, ſi habes, non accipit, ſi quid vendis, pretium diminuit, ſi nihil vendis, ut vendas cogit, ſi judicia exerces, compellat: Si curas, imperat, ſi ad fores ejus venis, excludit: Si domi incluſus es, oſtium ſervat, atque pulſitat. Hi ſunt qui miſeris debitoribus de foro barathrum fecere, vulturum inſtar eos edeores, & laniantes. Hi ſunt qui egenos Syngraphatum, & tabularum compedibus devinctos tenent. Diana quæ Epheſi olim colebatur, debitores, qui ad ejus templum confugiebant, tutos à creditoribus, & intactos præſtabat; nullum verò hodie adverſus fœneratores aſylum. Noli ergo te ære alieno obſtringere, juxta Eccleſiaſtici conſilium, ſi ſolvere non vales. Paupertatem ferre non potes, & fœneratorem in cervices tuas imponis; onus, cui ferendo ægrè dives ſufficit. Jupiter ſervator, aiebat Auſonius, nec mutuo pecuniam ſumit, nec dat: ſed abſque ullo fœnore beneficia confert. Dii, inquit Seneca lib. 4. de benefic. quodcumque faciunt, ſine ulla mercede, ſine ullo ad eos perveniente commodo præſtant. Hoc quoque noſtra ratio, ſi à ſuo exemplari non abhorreat, ſervet, nec ad res honeſtas conducta uniat. Pudeat ullum venale eſſe beneficium: gratuitos habemus Deos. Si Deos imitaris, da & ingratis etiam beneficia: nam & ſceleratis Sol oritur, & Pyratis patent maria. Uſuram Deus interdicit, ut ſcias nedum naturæ, ſed Divinâ etiam lege malum hoc prohiberi. *Mutuum date, nihil ſperantes. Etenim ſi fœneraveritis à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia eſt vobis?* Item, *Domine quis habitabit in tabernaculo ſuo,* &c. Pſalm. 14. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Hanc adhuc Lege civili apud Gentiles interdictam invenio. Lycurgus enim è tota Sparta, fœnora & & uſuras exterminavit; dumque omnis Ægyptus obruta fœnoribus eſſet, lege fuit ſancitum; ut ſicut devium mutuam pecuniam accipere liceret, & ſicut cadaver patris, quod fœneratori daretur pignoris loco. Inter cæteros fertur Agis Athenienſium Dux adeò fœnus exoſum habuiſſe, ut omnium fœneratorum tabulas, igne ſuppoſito in foro concremaret; quo igne nullum clarius lumen vidiſſe Ageſilaus dixit. Cato ex tota Sicilia fœneratores exegit. Indis & Germanis olim fœnus ignotum fuit; tantoque odio illud pleræque gentes proſequutæ ſunt, ut furem duplo, fœneratorem quadruplex damnarent.

Uſura graviſſimum onus, quo depreſſa publicani mens ad cœlum nequit attolli: ut de Mathæo refert ſacra Evangelii Hiſtoria: *Cum tranſiret Ieſus vidit hominem ſedentem in Telonio:* Ubi Chryſologus Serm. 28. Mathæum publicanum divitiæ, ſic alligabant vinculis cautionum, & ſacculorum ponderibus ſic premebant, ut levari ad innocentiam, ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret. Unde & ſedere ejuxerat: Imo & ſubſidere, non ſedere. Quot fœnora, tot onera; quot uſuræ, tot vincula, tot compedes, tot cathenæ, quibus oppreſſus, & conſtrinctus, non tam ſedebat, quàm jacebat in Telonio. Aurum in terræ viſceribus, juxta inferiores partes naſcitur: Ex illis humana cupiditas illud eruit, ſed proprio pondere originem ſuam repetit, & uſurarios, ac fœneratores ad inferos dejicit. Cùm autem dicitur, ait Chriſoſtomus homil. 32. Mathæum in telonio, in quo uſura exercebat, ſediſſe, virtutem voluit Evangeliſta Chriſti vocantis oſtendere, qui non impoſito adhuc fine pravæ Publicanorum, & fœneratorum converſationis è medio malorum pelago ipſum abſtraxit, ſicut B. Paulum quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Eccleſiæ inferentem reduxit.

Fœneratorum ergo ſtudia, & exercitatio impudentiæ, ac crudelitatis plena ſunt: quæſtus nota illiberalitatis, quæ turpiſſima quædam mercatura imò rapina Lege ſæculari permiſſa, & Lege civili moderata, ad coërcendam fœneratorum væſanam avaritiam, Quare Ludovicus Rex noſter à Deo Datus, nuper in Vſurarios acerbè animadverti præcepit.

CAPUT X.

De Arte pecuniaria, ſive Nummularia Reipublicæ utiliſſima. Et quis primus Nummorum uſum invenerit, primuſque Monetam cuderit.

STatum quidem generis humani, non alium quiſquam ſuſpexerit magis, ait Seneca epiſt. 90. nec nec ſi cui permittat Deus terrena formare & dare gentibus mores, alium probaverit, quàm qui apud illos fuiſſe memoratur, apud quos

Nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem Nummum, nec partiri limite campum,

Jus erat; in medium quærebant; ipſaque tellus
Omnia liberiùs, nullo poſcente ferebat.

Fœliciſſimum ergo verèque aureum illud ſæculum ex hoc Seneca pronunciat; quòd nondùm Nummorum uſus, nec ars Monetæ cudendæ inventæ fuerant., quantò enim cum rebus humanis fœlicius ageretur, ſi res ipſæ inter ſe permutarentur, ſicut Troianis temporibus Homerus tradit eſſe factitatum. Quamvis uſum pecuniarum ex quocunque metalli genere, antiquiſſimum eſſe conſtet, quia apud Ioſephum legimus, Cain Adami primi hominis filium anxiè io cumulandis pecuniis incubuiſſe, Peſſimus itaque homo fuit, qui primus ex auro denarium ſignavit; nam ex hac nummularia arte, auri ſacra fames vehementiſſimè in homines exarſit. Finis enim extremum omnibus; ait Ariſtoteles 1. Polit. 9. Solis divitiis congregandis nullus finis, nullus terminus imponitur. Omnes in infinitum pecunias augere ſtudent; cujus cauſa eſt illarum propinquitas, & commoditas. Quis verò primus Nummi uſum invenerit neſciri poteſt, ait Plinius. Herodotus tamen ſcribit Lydos Primos omnium nummum aureum inveniſſe. Romæ percuti cœpit, ut dicit Plinius, anno Vrbis DCXLVII. Cujus, nempè argentei nota fuere bigæ, aut quadrigæ. Macrobius refert à Iano cum eum claſſe perve&tum Saturnus excepiſſet hoſpitio, peritiam ruris didiciſſe & æris cudendi artem, quare Nummi prima pars Saturni effigiem, altera navem exprimit, ut notat Ovidius 1. Faſtor. Plinius Servio primo Regi Romanorum Nummi cudendi artem adſcribit; ſignabaturque notâ pecudum; unde & pecunia appellata, vel ex una parte Ianus Bifrons; ex altera Roſtrum navis. Tertullianus in Apolog. Macrobii ſententiam confirmat: Saturnus apud Italiam conſedit, exceptus à Iano, ab ipſo primùm tabulâ, & imagine ſignatus nummus, & inde ærario præſidet. Alexander ab Alexandro hæc refert: memini me legiſſe, tam apud exteros quàm apud Romanos, æris ſignati, argentique, & pecuniarum uſum longo tempore nullum fuiſſe, merceſque non pecuniæ interventu, nec ſignato ære, ſed rebus commutatis vendi ſolere: ſi quidem Armeni, Scythæ, Seres, & Sarmatæ, non ære ſignato, vel pecuniâ merces emebant aut vendebant, ſed ſolâ rerum commutatione quod adhuc in nova Guinæa hodie fit, ut ex Mercatore Maclovienſi didici, cùm in Eccleſia Cathedrali tempore Quadrageſimæ conciones haberem, anno ſalutis 1631. Lacedemonii lege Licurgi omnem auri, & argenti uſum amoventes, ferrum pro pecunia habebant: Maſſilii in Affrica pecora, & mapalia pecuniæ loco habuiſſe feruntur, cum quibus merces ſæpè mercatores commutabant. Quid de Indis & Æthiopibus? Qui auri materiam tam vili æſtimarunt, ut catenas noxiorum tantùm ex illo conflarent, tanto ditiores, ait Tertullianus, de cultu fœmin, quanto nocentiores. Coriis boüm nummos à prima origine percuſſos judicare licet, quòd Numma Pompilius Scorteos aſſes, congiarium populo dediſſe fertur. Poſt quos Dionyſius ex ſtanno conflavit nummos. Deinde ex ære, poſtea ex argento, & auro.

Verùm utiliſſimum eſſe Reipublicæ nummi uſum eleganter declarat Ariſtoteles his verbis 1. polit. 9. olim aliqui habebant omnia; alii ſeparatim multa, quorum ſecundum indigentiam neceſſe erat permutationem facere; quemadmodum adhuc faciunt Barbarorum nationes multæ, alia pro aliis dantes recipienteſque: utilia enim pro utilibus traduot; ultra verò nihil; ſeu vinum pro tritico, & certis talibus. Hujuſmodi verò permutatio neque præter naturam eſt, neque ad amplificationem patrimonii pertinet, cum fiat in ſupplementum indigentiæ ſecundum naturam. Ex hoc tamen nummularis ars proceſſit ſecundum rationem. Nam cùm à remotioribus quæreretur auxilium, importando illa quibus indigebant, & exportando illa quibus abundabant, neceſſario nummi introductus eſt uſus. Non enim faciliter deferri poſſunt ſingula ad vitam neceſſaria. Quare ad permutationes facilius faciendas tale aliquid compoſuerunt inter ſe dare, & accipere quod utilium quippiam exiſtens, haberet uſum commutandi ad vitam; ſeu ferrum, & argentum; & ſi quid aliud tale, primò ſimpliciter definitum quantitate, & pondere; poſt modum verò etiam ſigno impreſſum, quo à menſura liberi eſſent: nam ſignum poſitum eſt ad demonſtrandam quantitatem. Verum abſurdum eſt tales eſſe divitias affirmare, quarum abundans fame perire poſſit, ut de Myda fabulis traditur. Nummus verò moneta dicitur, quod ſœpe fuerit mutatus; primò quidem ex corio; poſtea ex ferro; *demum ex ære*, argento, & auro. Ex quibus patet Reipublicæ utiliſſimam eſſe æris cudendi artem, cujus poteſtas penes ſolum Regem, vel Principem reſidet; ſicut & jus pretii nummis imponendi. Quare Regii muneris eſt, utporè civilis gregis paſtoris, abundè civibus monetam procurare, quâ ſibi ad vitæ naturalis, & civilis præſidium neceſſaria poſſint comparare. Nummus enim ad hoc inſtitutus eſt, ut per illum permutationes facilius fiant, quibus humanum commercium perficitur, inde nummus, ſine numiſma appellatur, ait Ariſtoteles, 5. de moribus 8. quod non naturâ, ſed νόμῳ, id eſt, lege, & inſtituto Principum inductus fuerit. difficillimè enim commercium cùm extraneis, & à Regno longe diſſitis gentibus fieret, abſque nummis vel aureis, vel argenteis; per mare enim ovium greges, & boum armenta, deducenda eſſent, & pro illis immenſa mercium pondera transferenda, quæ omnia ope nummorum tolluntur. Verùm ſœpe ſœpius nummi aurei, & argentei adulterantur, ſed adverſus adulterantes, civiles leges juſtè deſæviunt.

CAPVT IV.

De Congiario, Donativo ſpectaculis, ludis. Quibus Regia in cives liberalitas, & Paſtoralis cura declaratur.

EFficaciſsima vis donorum, quibus ferociſsima etiam hominũ corda domantur: vincula invenit qui beneficia invenit. His populus quo nihil ferocius, utpotè animal indomitum, fera multiplici capite, delinitur, & manſueſcit. Beneficia enim feræ ſentiunt, ut dicit Seneca, nullumque eſt animal adeò immanſuetum, quod cura non mitiget; Leonum ora impunè à magiſtris tractantur. Quo ergo facilius Princeps ſubditorum ſibi mentes devinciat, paſtoralis illius curæ eſt, ut dona illis largiatur. Paſtor ovibus feraciſsima, & pinguiſsima paſcua procurat; grati ſsimo camporum aſpectu oculos earum recreat; ſuaviſsimo fiſtulæ cantu aures demulcet. Ingenioſè quidem hoc paſtoris munus deſcribit Chryſologus his verbis. Deus mitiſsimus paſtoris elegit officium; perſonam paſtoris induit. Quare ut vagos populos, palantes plebes, diſperſas longè, latèque gentes velut errantes, tanquam

Digitized by Google

oves in unum paſtor miſericors congregaret; imò ut nationes feras ad uſum lactis; ad cibum graminis, & ad ovium totam duceret, & redderet lenitatem, terræ omni paſtoralem mandat, & imperat diſciplinam, dicendo, *jubilate Deo omnis terra!* Oves ergo ad paſcua dulcedo jubilationis invitat. Cujus rei minimè ignari Romani Imperii Principes aſſumpto imperio, ad conciliandum populi favorem Regia munera largiebantur; nempè congiarium donativum, & ſportulas; illud populo; iſtud militibus; clientibus verò frequens ſportula dabatur Domitianus ſportulas ad cœnas reduxit; in quibus frequens obſonium, panis, oleum, & porcina caro dari ſolita abſque vino. Divus Iulius ad conciliandum populi favorem, frumenti viritim dedit ternos modios, & totidem olei libras, trecentos quoque nummos ſingulis. Domitianus etiam congiarium nummorum C. C. C. Senatui; & Equeſtri Ordini panaria; plebi verò ſportellas cum obſonio. Hadrianus novo more aromata, balſama, & crocum; Galba populo dedit congiarium, & epulum Senatui, & Equeſtri Ordini, fœminis, ac pueris faſcias purpuræ, & conchylii; quibus veteres pro caligis utebantur. Plinius eximiam hoc in Traiano extollit liberalitatem, his verbis: nihil magis in tua liberalitate laudaverim, quàm quòd congiarium das de tuo; alimenta de tuo: neque à te liberi civium, ut ferarum catuli, ſanguine, & cœdibus nutriuntur: quodque gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod nemini ereptum eſt; locupletatiſque tam multis, pauperiorem eſſe factum Principem tantùm: nec hunc quidem: nam cujus eſt quidquid omnium, tantùm ipſe, quantùm omnes habet. Nullam congiario culpam; nullam alimentis crudelitatem redemiſti: nec tibi benefaciendo cauſa fuit, ut quæ malè feceras, impunè feciſſes: amor impendio iſto, non venia quæſita, quodque antea Principes ad odium ſui leniendum, tumentibus plebis animis objectabant, tu tam innocens dediſti, quàm populus accepit. Dent tibi Dii ætatem, quam mereris, ſerventque animum, quem dederunt. Dabis congiaria, ſi voles; præſtabis alimenta, ſi voles. Congiarium, nihil aliud eſt, quàm annonæ affluentia; cujus aliquando cura non minus gloriæ addidit, quàm pulſus ambitus campo, ejectus hoſtis mari, Oriens triumphis, Occidenſque luſtratus. Nec ullus civiliùs quàm tu Traiane, Romani Imperii parens, & paſtor, auctoritate, conſilio, providentiâ reclufit vias, portus patefecit, itinera terris miſcuit, ut quod genitum eſſet uſquam, id apud omnes natum eſſe videretur. Nonne cernere datur, ut ſine ullius injuria omnia uſibus noſtris annus exuberet: quippe non ut ex hoſtico raptæ perſtr(?) utræque in horrea meſſes, nec quidquam quærentibus ſociis, auferuntur. Devehunt ipſi quod terra genuit, quod ſydus aluit, quod annus tulit, nec novis exactionibus preſſi ad vetera tributa deficiunt. Emit Fiſcus quidquid videtur emere: inde copia, inde annona, de qua inter ementem, & vendentem conveniat: inde ſatietas, nec fames unquam. Paſtoralis nedùm curæ munus eſt, oves uberrimis paſcuis reficere; ſed inſuper earum oculos gratiſſimo camporum aſpectu recreare, & ſuavi fiſtulæ cantu aures demulcere. Quare Imperatores, ut populi favorem ſibi conciliarent, præter congiaria, donativa, & ſportulas, quibus civium inopia, & fames levabantur; ſpectacula, & ludos procurabant ad communem geſtientis populi lætitiam, & jucunditatem. Plebs duas tantùm res anxius optat, panem, & Circenſes, ait Iuvenalis, varia autem ſunt Spectaculorum genera Tragica, Comica, Satyrica, Hiſtrionica: Ludi Magni, Scenici Megalenſes, Compitales, Iuvenales, Pyrrichi, Sæculares, Theatrales, Plebeii, Circenſes, Gladiatoriis; in quibus nunc homines cum hominibus; nunc cum feris decertabant. Inde tot Romæ Circi, Theatra, Amphitheatra, Naumachiæ. Theatrorum verò adeò eximius ornatus, ut ſubſellia variis picturis ſignisque ornata croco, & floribus ſparſis vernarent, balſamo & ſuaviſſimis odoribus fragrarent. Hadrianus balſama & crocum per gradus Theatri ſtraviſſe fertur; Trebonius auro, alii argento; plerique ebore. Q. Catulus velis carbaſinis Theatrum texit, Lentulus byſſino velo. Nero auri ramenta pro arenam ſtravit; totumque Pompeii Theatrum in unum diem auro operuit. C. Antonius Scœnam fecit argenteam. Pompeius ne populo æſtus officeret, etiam aquæ decurſum per ſubſellia duxit.

Hæc verò Chriſtiana Politica prudentiſſimè delevit. Nam aſſiduis ſpectaculorum illecebris juventus facillimè corrumpitur. Circa hoc audiendus Cyprianus. Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica; adhuc quanta morum labes? quæ probrorum fomenta? quæ alimenta vitiorum ex hiſtrionicis geſtibus? Quàm adhuc adverſa humanæ pietati hujuſmodi ſpectacula, in quibus homo, res ſacra, ut dicit Seneca, in hominis voluptatem occiditur; de hac re legendus Tertullianus lib. de ſpectaculis; ſed proh dolor! exclamat Salvianus lib. 5. de gubernat. Vbi eſt Chriſtianitas noſtra? nos Eccleſiis Dei ludicra anteponimus, nos altaria ſpernimus, & Theatra honoramus; omnia denique amamus, omnia colimus, ſolus Deus nobis in comparatione omnium vilis eſt. Si quando enim venerit, quod ſæpe evenit, ut eodem die & feſtivitas Eccleſiaſtica, & ludi publici agantur, ad Theatrum, relicto templo, omnes currunt; longè majores Chriſtianorum copias habet cavea, quàm atrium Dei; Mimorum verba, & facetiæ, quàm Chriſti Evangelium jucundius audiuntur; ſpernitur Dei Templum, ut concurratur ad Theatrum; circus impletur, Eccleſiæ vacuantur: Chriſtum in altari dimittimus, ut adulterantes viſu impuriſſimo oculos ludicrorum turpium fornicatione paſcamus.

Spectacula tamen honeſta non damnamus, ad Regiam enim Majeſtatem ſpectat, ut interdum populis ſubditis ludicra quædam ſuppeditet.

CAPUT XII.

Princeps civilis gregis Paſtor oves tondeat; non deglubat.

PRæclara Plinii vox in Panegyr. digniſſima, quam omnium Principum aures excipiant; Nihil largiatur Princeps, dùm nihil auferat; non alat; dum non occidat. Optimi enim Paſtoris munus eſt, optimique Principis, aiebat ille, oves tondére, non deglubere. Poteſt quidem Princeps pro publico Reipublicæ bono, pro Regni præſidio, Regæque Familiæ, tributa, vectigalia, ſubſidia à civibus exigere, ut ſupra demonſtravimus: ſed hoc paterno, & regio, non tyrannico modo fieri debet. Nullam majorem credidêrim eſſe Principum fœlicitatem, ait Pacatus in Paneg. quàm feciſſe fœlices, & interceſ-

ſiſſe inopiæ, & fortunam viciſſe; hominibuſque novum dediſſe fatum. Imperatori propriam Majeſtatem æſtimanti, non tam id ſuum videri debet, quod abſtulit, quàm quod dedit. Nam cùm intra ipſum volvantur omnia; & ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit terris aquas, recipit, è terris: ita quidquid in cives manat à Principe, redundat in Principem; & rei, & famæ benè conſulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cùm dat pecuniam reverſuram. Infœliciſſimus, qui ſummam fœlicitatem habendi, & nocendi fine determinans, non ſolùm ut quamplurimum quæreret, ſed ut nihil cuiquam reliquum faceret, laborat. Nec enim, qui Regibus mos eſt, excrendis invigilat metallis, ut latentia naturæ bona in uſum ſuum arceſſeret, & pararet innoxius nullo pauperiore divitias. Parum ille prætioſum putat aurum, quod de montium venis, aut fluminum glareis quæſitor Beſſus, & Scrutator Callaicus exuiſſet: illud purius, ſplendidiuſque credit, quod dant dolentes, quod hominum lachrymæ æquè abluiſſent; nec è terrenis ſpecubus egeſtum, ſed è cervicibus, juguliſque cæſorum eſſet effoſſum. Hæc Tyrannica eſt dominatio, non Regis, non Patris, non Paſtoris Imperium; qui oves tondère poteſt, deglubere, & vorare non debet.

CAPUT XIII.

Regia ſollicitudinis eſt Pauperum ſubſidio intendere, Xenodochia conſtruere.

OBlatum olim Sceptrum recuſabat ille apud Sacros Vates, dicens, *non ſum Medicus, nec panis eſt in domo mea.* Regiæ quippe ſollicitudinis eſt ſubditis quæ ad vitæ ſubſidium ſpectant, abundè præſtare. Vita autem humana & alimento indiget, & remedio, ſive medicina. Hinc Terra apud Gentiles opis, bonæque matris nomine adorata, quòd ubertimos fructus hominibus largiatur. Æſculapius etiam divinos meruit honores, quia Medicinam gratis exerceret. Deus enim eſt, ait Plinius, mortalem mortali benefacere. Hæc eſt ad æternam gloriam via; hâc veteres iere Romani. Hâc Reges incedere debent: ut divinos conſequantur honores. Paternam penitùs Princeps exuit pietatem, qui ſubditis, maximè in ſumma paupertate conſtitutis alimenta & cætera vitæ denegat ſubſidia. Cur patriæ Pater appellatur? Numquid ut cives, quibus fortuna noverca fuit, alat? Pater enim à paſcendo dicitur. Juſſit olim Deus panes in templo offerri, in pauperum vel Sacerdotum ſubſidium: ideoque panes propoſitionis appelabantur, ſive duarum facierum: quia ex una parte Dei, ex altera Regum Iudæ figuram præferebant, ut argumento eſſet Regiæ ſollicitudinis eſſe ſubvenire pauperum penuriæ, quæ res diviniſſima eſt. Deus enim Pater Pauperum appellatur. Laudatur & Hebræorum politia, quòd apud illos nullus eſſet mendicus. Quare Regii muneris eſt publica Xenodochia, ad alendos pauperes erigere, quod B. Ludovicus nonus Rex Galliæ Pater Pauperum piè præſtitit.

QUÆSTIO III.

DE HIS, QUÆ AD VITÆ CIVILIS Subſidium ſpectant.

CAPUT PRIMUM.

Regia Paſtoralis cura eſt, de his quæ ad vitam rationalem ſpectant, ſubditis abundè providere.

SUis vita rationalis, & civilis, non minus quàm naturalis eget alimentis: vitæ autem rationalis, & civilis alimentum eſt doctrina, quæ ex Sanctiſſimis Legibus, & decretis conficitur. His alenda eſt civilis hominum Societas; his paſcenda Reſpublica, ut vires acquirat; augmentum capiat, vigeat & floreat. Nec hoc gentiles latuit, qui veritati melle litabant exclamantes, *dulcis dulcis veritas!* Mellita quippe veritas, & ſuaviſſimus mentis cibus, ut dixit olim Plato. Præ cæteris verò Doctrinâ ſacra, quæ ſola mentem abundè reficit, ut potè vera ſapientia à Principibus; ſuis ſubditis procuranda. Quod apprimè noſcens Rex Salomon in Proverbiis: *Audite*, inquit, *filiis diſciplinam Patris veſtri*, & Regis veſtri, *ut addatur capiti veſtro gratia, & torques collo veſtro. Audiat ſapientiam auris veſtra? inclinate cor veſtrum ad cognoſcendam prudentiam;* vera hæc eſt, & ſalutaris Doctrina, *quæ longitudinem dierum, & annos vitæ, & pacem apponent vobis.* Hanc Gentiles Principes non noverant, quam Deus in veteri Lege Moyſem, Davidem, Salomonem docuerat; in nova autem Lege Chriſtus per Apoſtolos, alioſque Divini Verbi præcones populis Chriſtianis infudit; Hanc Clodovæus ad Fidem Chriſtianam converſus; hanc Carolus Magnus; hanc S. Ludovicus in Regno ſuo Liliato; hanc Ludovicus Iuſtus decimus tertius, & Ludovicus Magnus, Auguſtus, & à Deo Datus propagarunt.

CAPUT II.

Regiæ & Paſtoralis cura eſt, Civibus erudiendis eximios diſciplinarum omnium Magiſtros præficere.

DIis olim gratias quàm maximas egit Philippus, quòd pro ſummo utique munere, eo tempore, Græciæ Ariſtotelem Philoſophorum omnium Principem dediſſent; quo Alexander Regni ſui hæres, toti terrarum orbi foret imperaturus; nempe ut iis omnibus quibus jura daturus eſſet, hic optimæ eruditionis præcepta traderet; ſicque uterq; victor; ille proſtratis hoſtibus; hic devictâ ignorantiâ, æquali pompa triumpharent. Florentiſſimum fuit his temporibus Græciæ Imperium, non tam Alexandri totius orbis victoris armis, quàm Ariſtotelis præclariſſimi ſcientiarum omnium magiſtri diſciplinâ. Quid enim ſunt Regna, ſi artes liberales amoveris, quàm impunita latrocinia? Ad Rempublicam plurima commoda veniunt, ait Tullius in Rhetor.

Rhetor. Si moderatrix omnium rerum præſto ſit ſcientia. Scientia enim, ut præclarè Caſſiodorus lib. 3. epiſt. qood primum eſt in homine mores purgat; quod ſecundum, verborum ſubminiſtrat grattam: ita utroque beneficio, & tacitos ornat, & loquentes; cujus eſt facere de irato, benevolum, de ſuſpecto, placatum, de auſtero, mitem, de adverſante, propitium. Totius prudentiæ compendium in litteris continetur, ait Chryſologus. Si reſpublica regenda eſt; ſi prælia committeoda ſunt, ſi reverentia Legum, ſi mutua civium concordia; ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt ſervandæ, litteræ hæc omoia erudiunt ad perfectum. Princeps qui eſt ſine litteris? navis ſine remige; cives ſioe eruditione, currus ſine auriga? *Populus meus periit, eo quòd non habuerit ſcientiam*, ait Deus. Quare Regiæ Paſtoralis curæ erit, civibus erudiendis eximios diſciplinarum omnium Magiſtros præficere, qui tamen de Chriſtiana Religione, Fideque Catholica rectè ſentiant. Etenim Franciſcus primus fœlicis memoriæ, Rex Galliæ Virorum litteratorum amantiſſimus; à quibuſdam deceptus, Alemannos quoſdam, doctrinâ ſæculari celeberrimos, ſed Lutheri Hæretici impiiſſimi nefandâ, &. erroneâ doctrinâ imbutos, è Germania in Gallias accerſivit; qui præcipuas Regni urbes ſuis erroribus circa Chriſtianam Fidem infecerunt, & Calvino, ejuſque aſſeclis viam paraverunt, non ad dirigendos Gallorum pedes in viam ſalutis; ſed potius ad viam æternæ damnationis. Deo autem gratiàs immortales Gallia reddat! Regem enim nunc habet Ludovicum decimumquartum Magnum, Auguſtum, qui viros omnium ſcientiarum, gloriâ præclaros, & Fidei Orthodoxæ acerrimos deſenſores populorum regimini præficit, quibus Sacerdotia, & Epiſcopales Sedes gubernandas tradit, Prudentiſſimos, & Doctiſſimos ad Regium ſuum Conſilium admittit, & in Supremis Curiis Senatores inſtituit.

CAPVT III.

Regia ſollicitudinis eſt Bibliotheca publicas, Collegia, Academias erigere, annuiſque redditibus dotare.

DEliberat Cicero apud Senecam in ſuaſoriis, an ſcripta ſua, libroſque combureret, promittente Antonio incolumitatem. In hac deliberatione, inquit Seneca, omnes pro libris Ciceronis ſolliciti fuerunt; nemo pro ipſo. Omnes hoc illi ſuadent, ut propriæ ſaluti librorum præferat conſervationem; quia gravius ipſius morte foret hoc ſupplicium. Brevem enim eſſe homini vitam; multò magis ſeni: ita memoriæ conſulendum, quæ magnis viris æternitatem promittit. Omnia potius ſubeunda, quàm monumenta ingenii ſui ipſum exurere: Injuriam illum facturum populo Romano, cujus linguam in tantum extuliſſet: Injuriam illum facturum generi humano; cui ex Tullianis libris tot tantaque bona provenere. Libri vera Sapientum monumenta ſunt, ut dicit Plutarchus lib. de educatione Filiorum, veraque ſciendi inſtrumenta, ad juventutis educationem neceſſaria; nec minus quàm agricolis rei ruſticæ ſupellex. In his, ut præclarè Tertullianus in Apolog. c. 19. ſubſtantiæ omnes, materiæ, origines, ordines, venæ veterani cujuſque ſtyli, gentium urbiumque Hiſtoriæ, & cauſæ memoriarum; ipſæ denique effigies, litterarum indices, cuſtodeſque rerum; ipſi etiam Dii, templa, oracula, ſacra veluti in ſcriniis continentur. Hi ſunt ſcientiarum omnium Theſauri; hi mortui Conſiliarii, ſapientiſſimique & veraciſſimi Magiſtri; nihil blandientes, nihil celantes, qui puram proponent veritatem, ut dixit Rex Alphonſus: Quibus olim tanta habebatur reverentia, ut Reges, & Imperatores ſuis in Palatiis, Aulas extrui juberent, in quibus tùm Hiſtoricorum, tùm Oratorum, & Philoſophorum ſcripta ſervarentur. Quod & Reges Galliæ diligenter obſervant; in Regio enim Palatio, Pariſiis celeberrima eſt Biblioteca, in qua librorum omnium, qui in Regno Galliæ, vel in aliis regnis in lucem eduntur, extant exemplaria; Regiæ ergo ſollicitudinis erit Bibliothecas publicas, in quibus libri aſſervantur, pro bono Reipublicæ erigere. Sic Ptolomæorum erudititiſſimus, quem Philadelphum ſupernominant, & omnis litteraturæ ſagaciſſimus, cùm ſtudio Bibliotecarum Piſiſtratum æmularetur, inter cætera (ut refert Tertullianus in Apolog. c. 18.) memoriarum, quibus, aut vetuſtas, aut curioſitas aliqua ad famam patrocinabatur, ex ſuggeſto Demetrii Phalerei Grammaticorum tunc probatiſſimi, cui Præfecturam mandaverat, libros à Iudæis poſtulavit. Hodieque apud Serapæum Ptolomæi Bibliotecæ cum ipſis Hebraïcis litteris exhibentur. Scholas adhuc publicas, Collegia, Academias ad utilitatem Publicam, Principum liberalitate & munificentia fundatas, Regiiſque ſtipendiis dotatas, & privilegiis inſignitas ubique videmus; quibus Regiâ auctoritate peritiſſimi Magiſtri præfici debent, ad commodè erudiendos omnes, qui hoc velint uti beneficio. Et in hoc Iuliani Imperatoris Regiam munificentiam, piumque circa litteras affectum ſummoperè laudat Mamertinus in Paneg. Tu exulantes, neglectaſque virtutes ad Rempublicam quodam poſt liminio reduxiſti. Tu extincta jam litterarum ſtudia inflammaſti: tu Philoſophiam paulò ante ſuſpectam, ac nedùm ſpoliatam honoribus, ſed accuſatam, ac ream; non modo judicio liberaſti; ſed amictam purpurâ, auro gemmiſque redimitam in regali Solio collocaſti. Suſpicere jam cœlum licet, & ſecuris contemplari aſtra luminibus; qui paulò ante pecorum ritu in humum viſus trepidos figebamus.

Duplex autem eſt aſtrologia; una, quæ in ſola ſyderum; & cœlorum contemplatione verſatur, & hæc honeſta eſt, licita, & laudabilis: altera, quæ ex inſpectione ſyderum, præ cæteris planetæ, qui hominum nativitati præfuit, futuros omnes illorum eventus prædicere præſumit, & hæc culpabilis, illicita, lege divinâ prohibita & erronea. Eventus enim, ea ſtellarum influxu non accidunt, quia tùm à divinâ providentiâ ordinati ſunt, tùm ex libero hominum arbitrio accidunt: *vir ſapiens dominabitur aſtris.*

CAPVT IV.

Eruditi viri ſummo honore in Republica & apud Principes habendi.

DIis, parentibus, & Magiſtris nihil redditur æquivalens ait, Ariſtoteles. Quanta ergo Magiſtris reverentia debetur, qui ut Dii colendi ſunt. ſummus profectò illis honor deferendus, quibus, ut fusè demonſtrat Seneca lib. 5. benefic. plus debemus, quàm parentibus; Parentes enim vitam nobis dedere, Magiſtri bonam, & honeſtam vitam tribuunt: illi vitam inertem, qualem habent muta animantia, & viliſſima inſecta; iſti vitam, qualem

habent Angeli. Quare in ſacris Paginis Magiſtri Diſcipulorum Patres appellaotur. *O pater, pater, Currus & auriga Iſrael* exclamat Elizæus Heliam Magiſtrum ſuum è terris io aera curru igoeo evectum cernens. Philippus Rex Macedooum Ariſtotelem, quem Alexandro filio præceptorem dederat, maximis honoribus affecit. Theodoſius Magnus Romanorum Imperator, videns filios ſuos Arcadium, & Hooorium coram ſuo præceptore ſedentes, juſſit eos ſtare, & præceptorem ſedere. Præceptoribus olim Statuæ pro ſummo honore erectæ ſunt. Nec mitum; ſalus enim Regoi, ex recta filiorũ inſtitutione pendet, ut ſupra in Oeconomia Chriſtiana demonſtravimus. Eruditi ergo viri, tanquam Regnis utiliſſimi, à Regibus, & civibus omnium Ordinum honorandi, & ſtipendiis Reipublicæ adjuvandi. Habebo, inquit Seneca, vir litteratiſſimus Epiſt. 21. habebo apud poſteros gratiam, & gloriam; poſſum mecum duratura nomina educere. Virgilius hanc gloriam viris litteraris promiſit. Sed à oobis Chriſtiaois Virgilius, & Seneca rejiciantur, & ſacri Vates audiantur, *qui erudiunt multos ad ſalutem, fulgebunt*, ait Daniel Propheta, *ſicut ſtella in perpetuas æternitates.*

QVÆSTIO QVARTA.

DE TERTIO REGIÆ PASTORALIS, nec non Sacerdotalis curæ munere, circa ea quæ ad vitæ cœleſtis & divinæ alimentum ſpectant.

CAPVT PRIMVM.

E*Cce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas ſicut viſitat Paſtor gregem ſuum; & paſcam eas in montibus Iſrael, in rivis, & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſraël: ibi requieſcent in herbis virentibus & paſcam illas in judicio; dicit Dominus omnipotens.* Hic Deus optimi Paſtoris ideam proponit; cujus eſt ovibus uberrima paſcua procurare; ſed adverte alia eſſe pecudum, alia hominum, ſive ovium rationalium paſcua; illæ herbis virentibus, iſtæ optimis aluntur diſciplinis. Vode ait cœleſtis ille Paſtor; *paſcam illas in judicio*; quibus verbis rationalis, & divinus cibus deſignatur. *Non enim in ſolo pane vivit homo*, ajebat Chriſtus, *ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Cibus meus eſt facere voluntatem patris mei*, & alibi: *ſitio.* Sitiebat Chriſtus hominum ſalutem; qui, ut dicit Chryſologus, gemitus peccatorum eſurit, ſitit lachrimas pœnitentium. Lachryma vioum Angelorum, ait Bernardus; ſitiunt eoim & Angeli, eſuriunt & Angeli; nam etſi cœleſtis paſtoris oves ſunt, ex quibus oooageſima nova pars diuini gregis componitur; ſed cibum invisibilem eſuriunt: ut Tobiæ olim Raphaël declaravit his verbis, *cibo inviſibili utor.* Quem cibum poſtea exponit, diecos: *oportet me ad eum, qui miſit me, reverti*; nempe ad divinam cootemplationem. Hæc enim proprius eſt beatorum, & Aogelorum cibus, *in quam deſiderant Angeli proſpicere.* O menſa immenſa, cujus magnitudo, divina immenſitas! ait Abbas Guarricus; cuius duratio, æternitas: cujus cibus, divinitas. In qua Pater filio generationem: Filius patri nativitatem; Pater, & Filius Spiritui S. ſpirationem mioiſtrant. O opipara menſa! in qua beati totâ divinitate ſagioantur, inquit Tertullianus. Ibi Angeli comeduot, & ſemper eſuriunt, & oumquam deficiunt; Eſurieotes enim reficiuntur; Refecti adhuc eſuriunt, ibi enim fames ſine defectu: refectio ſine faſtidio. Venite, comedite, inebriamini: ô buna ebrietas, ait Bernardus, quæ ſobrios facit; noo vioo, ſed Deo ardeos; non mero, ſed verò ingorgitans! *Paſcam ergo oves meas in herbis virentibus: paſcam illas in judicio*, ait Dominus in herbis virentibus, quia hîc ſpe cœleſtium bonorum nutrimur: illic viſione Dei reficiemur. In judicio, hoc eſt optimis diſciplinis, quæ in divioa, tùm antiqua, tùm nova lege continetur. Sacra quippe pagina veluti opipara Menſa fidelibus à Deo proponitur, ubi cœleſtes cibos capiunt. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, inquit Regius Vates, in loco paſcuæ, ibi me collocavit. Poſuiſti menſam adverſus omnes qui tribulant me. & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.* Ibi omnia quæ ad Dei cultum; ibi quæ ad animarum ſalutem conferunt, abundè inveniuotur: & hæc ſunt paſcua quæ Regius Paſtor ſubditis debet procurare; nempe ut Deum colant. Omnia eoim proſpera eveniunt colentibus Deum, ait Livius, adverſa, ſpernentibus. Optimus autem animus, pulcherrimi Dei cultus eſt, inquit Seneca. Vita civilis, ait Lipſius, quam io hominum ſocietate degimus, ad mutua commoda ordinatur. Virtus & prudentia binæ hujus viæ duces: virtutis duplex ramus pietas, & probitas. Pietas, rectus de Deo ſenſus, rectus io Deum cultus. Cultus denique animo, & corpore Deo exibetur; animo per virtutes Deum colimus; corpore, & cultu externo Templa Deo conſecramus.

CAPVT II.

Regiæ pietatis in Deum, & religionis eſt magnifica Templa conſtruere.

IN omni Republica rectè ordinata, primum eſt, ait Ariſtoteles 7. Polit. c. 8. curatio rerum divinarum. Decet eoim, inquit Diogenes apud Stobæum, quod optimum eſt ab optimo coli, & quod imperat à ſupremo omnium Imperatore, Deo optimo, maximo regi. Et ut dicit Cicero Orat. de auſpiciis, non calliditate aut robore, ſed pietate, ac Religione omnes Gentes Romani ſuperarunt. Hinc Lactantius lib. de ira c. 12. Religio, & timor Dei cuſtodiunt hominum inter ſe ſocietatem. Vt verò religio quâ par eſt majeſtatè exerceatur, requi-

runtur ſacræ ædes, aræ, & templa. Regis ergo muneris eſt, utpotè ſacerdotali dignitate inſignit, magnifica Deo templa conſecrare: quod nec Gentiles latuit. Romuleâ enim lege decretum olim fuerat, ut ſacrorum omnium poteſtas ſub Regibus eſſet, & Dyoniſius Halicar, inter cætera quæ Regii eſſent muneris, hoc poſuit primùm, ſacra curare, ſacrificia ordinare, per eumque geri quidquid ad placandum Deum pertineret. Mecœnas ad Octavianum apud Dionem Caſſ. lib. 25. divinum Numen omni modo, omni tempore ipſe cole. Pagani Dianæ Epheſi magnificum templum conſecratunt, quod inter ſeptem orbis miracula recenſetur. Romani falſis Numinibus Pantheon; Salomon Deo fidelis, templum Hieroſolymis toto orbe celeberrimum extruxit. Clodovæus primus Galliarum Rex, Deo ſub invocatione Apoſtolorum Eccleſiam erexit; nec minor poſterorum Regum Galliæ erga Dei cultum Religio.

Eſt igitur æquiſſimum, Chriſti Domini, & ſanctorum ejus gloriam, auro, argento, gemmiſque pretioſis repræſentari, claritatem, virtutem, ſapientiam pulcherrimis picturis demonſtrari, & hæc dum faciunt fideles, & ornatas baſilicas contemplantur, ſubit eos gloriæ Chriſti, & ſanctorum ejus memoria, & in ejus laudes alacrius aſſurgunt, orant ferventius, & ad Dei, & beatorum ſpirituum conſortium ardentiori impetu mentis concitantur. Naturâ duce videntur Gentiles inducti, ut Deos ſuos, eique dicata templa exornarent, omnique magnificentiâ colerent. Neque in hoc alia admiſſa eſt impietas, quàm quòd non vero Deo, ſed Dæmoniis ſacrificarent. Quanto ſumptu tabernaculi veteris inſtrumentum, juſſu Dei Moyſes ornavit? & quàm Deo fuerit accepta Davidis devotio in templi ædificationem neceſſaria præparantis & Salomonis pietas, ac indeſeſſus labor, quo in hoc opus etiam ex remotiſſimis orbis plagis ligna, aurum, gemmas juſſit convehi, ſacra Regum hiſtoria teſtatur. Non pluris quidem facit Deus aurum, quàm lutum, *bonorum enim noſtrorum non indiget*; verùm pietate noſtrâ delectatur, vultque de noſtra ſubſtantia honorari; qui igitur in baſilicas ſua largiuntur, Deo omnium auctori, & largitori dant grati animi ſignificationem, dicentes: quæ de tua manu accipimus, hæc tibi reddimus, & offerimus ad tuam, & ſanctorum tuorum gloriam, & in hoc ſe teſtantur gloriam, magnitudinem, & claritatem, & potentiam illius agnoſcere in rebus à ſe conditis relucentem.

Adde hunc eſſe humanæ infirmitatis modum, ut quia mole corporeâ prægravatur, neque divinitatis luce perfectè illuſtratur, ut externâ rerum ſpecie, ad divina percipienda vehementer adjuvetur. Intellexit hoc ſeptima Synodus Generalis in cujus actione ſexta hæc leguntur: Sancta Dei Catholica Eccleſia ad pœnitentiam, & obſervantiam mandatorum Dei ſenſus noſtros trahit, non modo per auditum, ſed per viſum. Hinc S. Leo ſerm. 3. in quadrag. rationabile, inquit eſt, & religioſum per diem feſtum in veſtitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis oſtendere, ipſas quoque orationis domus, id eſt Eccleſias propenſiori curâ, & ampliore cultu, quantùm poſſumus adornare, ut anima Chriſtiana, quæ verum, vivumque Dei templum eſt, ſpeciem ſuam prudenter exornare moneatur, & à contaminatione vitiorum mundare. Conticeſcant ergo Calviniſtæ, & Lutherani, nec Eccleſiæ Romanæ fideles Idololatriæ arguant, eo quod baſilicas ſanctorum ſacris imaginibus exornent, & infœlices Antiochi, Heliodori, Balthaſaris, Iuliani Apoſtatæ, omniumque Imperatorum ſacrarum imaginum prophanatorum exitus timeant.

CAPVT III.

Regii muneris eſt, optimos Eccleſiarum regimini, in ſuo regno Paſtores præficere, & Sacerdotalem dignitatem revereri, & extollere.

SVnt quædam officia ſine quibus Reſpublica eſſe non poteſt, ait Ariſtoteles, 6. Polit. c. 8. & hæc circa rem divinam verſantur, ut Sacerdotes, ſacrorum Antiſtites, & Pontifices; finis enim præcipuus, & ultimus cujuſcumque humanæ ſocietatis tam domeſticæ, quàm civilis, ſeu politicæ, fœlicitas eſt æterna, & cœleſtis, quam nullus poteſt conſequi, niſi verum Deum, unum & Trinum coluerit, ad cujus cultum neceſſariò Sacerdotes, & Sacrorum Pontifices requiruntur: nullaque fuit unquam natio adeo barbara, quæ ſacerdotes & ſacrorum Antiſtites non habuerit. Apud Romanos, qui falſa Numina colebant; Summus erat Sacrorum Antiſtes, quam dignitatem Romani Imperatores, ſummo ſtudio ambiebant, eam Imperatoriæ Majeſtati præferentes. Tanta erat apud Perſas, & Ægiptios, adeoque excelſa ſacerdotum, & Pontificum dignitas, ut non niſi ex ſacerdotum collegio Reges eligerent, Regiaque poteſtas, ſacerdotali ſemper dignitati adjungebatur, penes quos jus erat vitæ, & necis. D. Petrus Sacerdotium vocat Regale. *vos eſtis*, inquit, *regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Sacerdotalis dignitas ſupra etiam Angelorum dignitatem aſſurgit, neque enim Angeli corpus Chriſti in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ conficiunt. Vnde cum D. Ioannes Angelum vellet flexis genibus adorare; abſit, inquit, quòd me adores, *conſervus tuus ſum*; conſervi Angeli ſunt ſacerdotum, quorum ſacrificiis in altari trementes aſtant; & quodammodo inſervire videntur. O Veneranda, exclamat Auguſtinus, Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, filius Dei quotidie, ut ſemel in utero Virginis, incarnatur!

Longè autem major Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, quàm Sacerdotum dignitas, ſunt enim Sacrorum Antiſtites, Eccleſiæ Principes, penes quos dumtaxat poteſtas eſt conſecrandi Sacerdotes, & Sanctum Chryſma; ab ipſis poteſtas eſt ligandi, & abſolvendi fideles à nexibus peccatorum. Ipſi poteſtatem habent excommunicandi; ipſi Sacerdotibus tam ſæcularibus quàm regularibus, licentiam dant ad prædicandum Verbum Dei Verùm ut hæc munia ritè obeant, eximiis debent fulgere virtutibus, quas Apoſtolus epiſt. ad Timoth. & ad Titum enumerat, dicens: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, amplectentem eum, qui ſecundum Doctrinam eſt, fidelem ſermonem, qui bonum habeat teſtimonium, ab his qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli*.

Quare Regum muneris eſt optimos Eccleſiarum Regimini, in ſuo Regno Paſtores præficere, qui morum candore, virtutum nitore, ſcientiæ, & Orthodoxæ Doctrinæ ſplendore præfulgeant. Quos cùm ad regendas Dominici gregis oves elegerint, debitam illis, & filialem exhibeant reverentiam, exemplo Maximi Imperatoris, qui ab Archiepiſcopo

Mediolanenſi Ambroſio correptus; ob necem Gratiani Imperatoris, & excommunicatus, quia pœnitentiam impoſitam agere recuſabat, ægrè tandem agnovit in morte, quanta Epiſcopis debeatur reverentia. Et adhuc exemplo Theodoſii Imperatoris, qui ob cædem Theſſalonicæ factam ab ingreſſu Eccleſiæ prohibitus, cùm Ambroſio diceret Davidem quoque adulterium, & homicidium perpetraſſe, reſpondit Ambroſius, qui ſequutus es errantem, ſequere pœnitentem, moa pœnitentiam impoſitam implevit.

QUÆSTIO V.

DE JUDICIARIA PRINCIPIS Poteſtate, ejuſque Regimine, quatenùs Supremus Judex.

CAPVT PRIMVM.

HActenùs de regimine Principis actum eſt: quatenùs Patris, Paſtoris, necnon Sacerdotis munere fungitur; nunc de judiciaria ejus poteſtate plura occurrunt dicenda, quam ut ſupremus Regni Iudex, tàm divino, quàm humano jure exercet. Illius verò primum munus eſt, ſubditos rectè judicare, unicuique ſuum jus tribuendo; quod & ipſum Iudicis nomen apertè indicat. Quia verò omne jus in juſtitia fundatur: Duplex verò aſſignatur juſtitiæ ſpecies, nempe commutativa & diſtributiva; & hujus adhuc duæ partes, prœmiativa, & vindicativa: Regii muneris erit utramque juſtitiam, eâ quâ par eſt, æquitate exercere. Itaque bonos prœmiis, malos pœnis afficiet, attentâ ſingulorum meriti, vel demeriti ratione. Iuſtitia, ut dicit Plutarchus, Legis eſt finis; Lex verò Principis opus: Ejus ergo ſecundum munus erit optimas Leges ferre. Lex autem fœtus eſt ſapientiæ, quam gignit conſilium, quare tertium ſupremi judicis munus erit, nihil ſine Conſilio, circa Regni negotia decernere. Vanæ adhuc Leges niſi ſerventur. Harum ergo præſidio Iudices, & Magiſtratus à Principe præfici debent: & hoc ultimum Principis munus, prout ſupremus eſt ſui regni Iudex. Viros autem Princeps, juris tàm civilis quàm Eccleſiaſtici ſcientiâ præditos, ad ſubditorum cauſas, & lites dirimendas præficiat, qui juxta Thebanorum antiquam Politiam, manus ad aucupanda munera non habeant, & juxta Areopagitarum æquitatem oculis priventur, ne perſonas accepte nt.

CAPVT II.

De primo Iuſtitiæ commutativa munere.

JUſtitia Regia duas, ut ſupra declaratum eſt, partes habet; quarum una eſt, de his quæ tranſiguntur inter Regem, ſeu Principem, & ſubditos: Altera, de his quæ fiunt inter ſubditos & ſubditos. Prior habet, ut quæ debet populus Principi, ea det; & è contra, quæ populo Princeps debet, reddat. Debent verò ſubditi Principi honorem, obedientiam, auxilium perſonarum, & facultatum, de quibus infra. Ipſe verò Rex ſubditis debet optimam regiminis civilis formam; amorem, paternamque benevolentiam, eaque omnia quæ ad triplicis vitæ influxum, alimentum, præſidium & conſervationem ſpectant, de quibus ſupra fusè; & adhuc infra multa adducentur. Præ cæteris verò Iudicis ſupremi munere tenetur ſubditorum querelas excipere, omnes audire, ſuum cuique jus reddere abſque acceptatione perſonarum, & ſine ullius ſpe lucri. Iuſtitia enim, ait Caſſiodorus, non novit patrem, non novit matrem, perſonam non accipit, Deum imitatur. Hoc in ſuo Trajano Plinius ſummoperè laudat. Reliqua, inquit, pars diei, Tribunali dabatur. Ibi verò quæ religio æquitatis? Quanta Legum reverentia? Nullius ab eo magiſtratus jus; nullius auctoritas imminuta, ſed potius aucta eſt. Non locupletando fiſco ſedes; nec aliud tibi Sententiæ tuæ prætium, quàm benè judicaſſe. Ex quibus liquidò conſtat Regii muneris eſſe per ſe ſubditis jus dicere: Hinc judices etiam olim Reges appellabantur. Ab initio enim Reges ipſimet judicabant. Perſarum Imperatores, quamuis deliciis addicti, jus tamen in aureo Solio dicebant. Dixit jus per ſe Alexander Magnus. De Adriano refert Dio Caſſius, quòd cùm illum mulier rogaſſet, ut ſe audiret, & ille reſpondiſſet, mihi otium non eſt; illa exclamans: Noli ergo, inquit, imperâre ſi piget ſubditorum preces audire, eorumque lites dirimere! Quod audiens Imperator, ſtare juſſit exercitum ſuum adverſus hoſtes feſtino gradu progredientem, & apprehenſo milite, qui fœminæ injuriam intulerat, præcepit illum puniri.

CAPVT III.

De Iuſtitia diſtributiva,

QUale elegantiſſimum in cœlo ſimulachrum ſui Deus ſolem inſtituit; tale, inquit Plutarchus, in civitatibus ejus exemplum eſt, atque lumen Princeps:

Iura Dei ſimilis, qui dat mortalibus æqua.

Ut canit Homerus, Odiſſ. 3. lib. ad Princip. indoctum. Principes enim Dei adminiſtri ſunt ad tutandam hominum ſalutem; ut quæ Dii bona hominibus largiuntur, ea partim diſtribuant, partim conſervent. Cœlum enim principia demittit ſeminum convenientium: Terra autem ea vegetat: augentur alia imbribus, alia ventis, alia calore ſyderum, omnia autem ea Sol ornat, & tamen iſtis tot tantiſque donis, quæ Dii largiuntur, abſque Lege, juſtitia, & Principe frui non eſt permiſſum: Etenim juſtitia Legis eſt finis; Lex Principis opus; Princeps Dei imago omnia digerentis. Princeps ergò, qui Dei vices in terris agit, Dei juſtitiam æmuletur: Et ut ille bonis proëmia, malis ſupplicia conſtituit. ſic attentâ ſingulorum meriti & demeriti ratione, benemeritos de Republica ampliſſimis honoribus cumulet,

malè meritos notet infamiâ, graviſſimiſque mulctet ſuppliciis. Deum Mœram, id eſt, ſortem Græci olim appellarunt, ut refert Ariſtoteles, à partitione rerum, & Nemeſim, quaſi poteſtatem divinam, ejus quod viſum eſt cuique diſtribuentem. Hinc auctore Plutarcho, Iuſtitiam Jovis ſolio aſſidentem Poëtæ finxere: ipſe enim Deus, jus & fas eſt, ac omnium Legum antiquiſſima, & perfectiſſima: Verùm nec Deus ipſe ſine juſtitia diſtributiva rectè poteſt imperare. Merita enim & hominum, & demerita æquâ lance ponderat, ut ſolis ipſe bonis præmia, malis ſupplicia decernat. Quod attendens Plato, Deum arte Arithmeticâ, id eſt, juſtitiâ diſtributivâ mundum regere efficaciſſimis argumentis demonſtrat. Sacrilega ergo illa Cliti ſententia, qui Alexandro adblandiens, jus & fas Iovi aſſidere dixit, ut quidquid Rex agat, id fas, juſtumque ſit. Meliùs Seneca ad Neronem hæc effantem; *inertis eſt, neſcire quid liceat ſibi.* Cui ille; *id facere laus eſt, quod decet; non quod licet & libet* in Octavia.

CAPUT IV.

Præmium, & Pœna Regii Solii fulcra, Iuſtitiâ diſtributiva, manus dextra & ſiniſtra, Reipublicæ fundamenta.

DUo tantummodo Numina agnovit olim Empedocles, Præmium & pœnam, quibus univerſa hæc mundi Reſpublica regeretur: fortè quia in his duobus, veluti cardinibus, & axibus tota Imperii civilis moles volvatur. Hic enim politici regiminis finis eſt, ut Sanctiſſimæ Leges ab omnibus religioſiſſimè ſerventur: Legum verò obſervantia metu pœnarum, & præmiorum ſpe perficitur: Politica in hoc Nauticæ arti aſſimilatur; quòd ſicut Nauta clavum, nunc in dexteram, modò in lævam partem agens, recto tramite navem ad portum ducit: Sic Princeps nunc ſpe præmii bonos ad virtutis cultum impellens; nunc malos pœnarum metu à ſcelere revocans; Regiminis civilis clavo quodammodo nunc ad dexteram, modo ad lævam adacto, Reipublicæ navem ad ultimum humanæ Societatis finem dirigit. Fecit ſibi Salomon ſolium eburneum arte eximiâ elaboratum, cujus compagem duæ manus hinc inde fulcirent. Uni ex illis laurum, dexteræ ſcilicet, quæ juſtitiam præmiativam repræſentat; alteri, lævæ nempe, gladium aliqui annectunt, quæ juſtitiæ vindicativæ eſt ſymbolum; his enim veluti firmiſſimis fulcris Regium ſolium innititur Cujus rei minimè ignarus Regius Propheta: *Miſericordia & veritas*, inquit, *præparatio ſedis tuæ.* Iuſtitia per palmam pulchrè repræſentatur. Sicut enim palmæ frondes æquales inter ſe ſunt; ſic juſtitia æqualitatem in omnibus ſervat, *Iuſtus*, ait Regius Vates, *ut Palma florebit.* Ob eandem cauſam, bilanx, Iuſtitiæ tribuitur, ut in una lance proborum merita, in altera, quæ ad ſiniſtram eſt, improborum demerita ponderet; illa præmiando, hæc puniendo. Licet enim juſtitia, res ſacra, & divina, alienum bonum ſpectans, nihil ex ſe petat niſi uſum ſui; nihilominus, inquit Seneca epiſt. 113. Sapientiſſimè à legiſlatoribus decreta ſunt viris probis præmia, & improbis ſupplicia. Quare Regii Muneris eſt, ut in ſuo Regno juſtitia diſtributiva religioſè ſervetur, probis viris præmia tribuendo, & improbis ſupplicia infligendo. Præmium enim ad virtutis cultum ſubditos allicit; pœna à crimine deterret. Proëmium manum juſtitiæ dexteram ornat; pœna ſiniſtram armat.

CAPUT V.

De Iuſtitia præmiativa.

INgentem olim currum vidit Propheta Ezechiel, quem quatuor animalia, Leo, Bos, Homo, Aquila vehebant: nec ullam moram patiebantur, ſed ſemper ante faciem ſuam gradiebantur, viſionem inſequentes, quocumque ibat. Hæc autem viſio globus erat aureus. Magna certè, & incredibilis auri, id eſt, præmii vis, ut etiam boves, animalia ſtupidiſſima, & tardiſſima non ſolùm currant, ſed & volent ſpe præmii. Hanc ſpem præmii tolle, iners eſt omne animal; ſed & ipſæ aquilæ non volabunt. Quare nec ipſe Deus, qui ſolâ ſuæ Majeſtatis ratione ab omnibus coli deberet, noluit tamen humanæ fragilitatis memor adorari, niſi ſub ſpe præmii. *Inclinavi cor meum*, ait Regius Vates, *ad ſervandas juſtificationes tuas propter retributionem.* Maxima enim vis mercedis. & præmii. Hâc ſublata nulli erunt ſervi qui Dominis inſerviant. Nulli Mercenarii, nulli Agricolæ, nulli Paſtores, nulli Artifices, nulli Milites. Spes alit agricolas, paſtores ſervos, miniſtros, & milites. Vt ergo Principes recte ſubjectos ſibi populos regant, operæ pretium eſt, ut eis æquam mercedem, & pro laboribus præmium reddant. Hoc ab eis juſtitia exigit, hoc Leges omnes præcipiunt, Non ergo mirum quòd Rex noſter Ludovicus decimus quartus, Magnus & Auguſtus, adeò fideliter à ſubditis ſerviatur, eximiâ enim ſuâ liberalitate, & juſtitiâ, tàm milites, quàm Duces; tàm cives, quàm Judices ſupra modum præmiat.

CAPUT VI.

De Iuſtitia vindicativa.

DEus, inquit Ariſtoteles lib. de mundo c. 7. ut eſt vetuſto verbo proditum, principium & finem & media rerum omnium tenens, atque rectâ lineâ incedens, operatur quidem ſecundùm naturam, è veſtigio comitem habens juſtitiæ præſidem, quam *Dicen* nominaverunt, Divinæ Legis vindicem. Maxima certè illecebra peccandi impunitas; nimiaque Principis lenitas contemptum parit. Quare punire debet aliquando; ſic tamen, ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat, & unius improbi ſupplicio multorum improbitatem coërceat, ait Tullius orat. pro Milone.

Iuſtitiam ſcelerum vindicem antiqui ſub nomine Nemeſis, tanquam Deam coluerunt, de qua Alciatus Emblem. 27.

Aſſequitur Nemeſiſque virum veſtigia ſervat;
Continet & cubitum, Duraque fræna manu
Ne malè quid facias, neve improba verba loquaris
Sic jubet: in cunctis rebus adeſſe modum.

Nemeſis autem vocatur ἀπὸ τῦ νεμεσᾶν, id eſt, ab indignari, ſuccenſere; vel quia nihil divinam effugit vindictam. Provida ergo fuit admodum veterum in moribus componendis cura, & diligentia, qui ut oſtenderent ſuperbiam Deo præ aliis inviſam eſſe, dixerunt eos qui ſuperbiâ correpti eſſent, non modo cenſurâ Divinâ, ſed etiam indignatione puniri. Hæc ſuos in terris miniſtros, Reges ſcilicet, & Iudices conſtituit, quibus & auctoritatem Vlciſcendi impiorum ſcelera conceſſit. Quò ſpectans Rex Sapiens, & juſtus, lepidum hoc inſigno aſſumpſit, in quo videbatur *brachium offerens ramum fructibus*

onuſtum, & flagellum, ut indicatet Regnum optimè guberoari, quando Reges bonorum præclara virtutis opera præmiant, & impiorum ſceleta vindicant, Vnde Apoſtolus: *Regem time, vindex enim ſcelerum à Deo conſtitutus eſt; ideoque gladium portat. Vis non timere poteſtatem, fac bonum.*

Illo ſæculo, inquit Seneca epiſt.90. quod aureum perhibetur, penes ſapientes Regnum etat; hi continebant manus, & infirmiores à validiotibus tuebantur. Suadebant, diſſiduebantque & utilia atque inutilia monſtrabant. Hotum prudeotia, ne quid deeſſet ſuis providebat: fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat, ornabatque ſubjectos. Officium erat imperare, oon regnum, nullaque erat cuique cauſa, aut aoimus, cur benè imperanti non pareretur: ſed poſtquam ſubrepentibus vitiis, in Tyrannidem Regna verſa ſunt, opus eſſe cœpit legibus, quas Sapieotes tulerunt, ut pœnarum metu improbi à ſceletibus arcerentur; ad optimum ergo populorum regimen, neceſſaria eſt Iuſtitia Ptiocipum vindicativa. Nam ut præclarè Poëta,

Oderunt peccare mali formidine pæna.

Quare pulchrè egregius Eccleſiæ Doctor protulit, publica civitatum Theatta io quibus improbi debitas pœnas luūnt, quædam eſſe vaſa, in quibus aqua ſervatur benedicta, quâ peccata diluūntur. Reges ergo pro ſalute publica ſeverè impios puniant.

CAPVT VII.

Princeps Dei cujus vices gerit, exemplo ad vindictam tardus ſit, & velox ad præmium.

EGo ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum, qui in terris Deorum vices geterem; ego vitæ neciſque gentibus arbiter. In hac tanta facultate rerum, non ita me ad ioiqua ſupplicia compulit; non juvenilis impetus; oon temeritas hominum, & contumacia ſœpe tranquilliſſimis pectoribus quoque patientiam extorſit. Conditum imò conſtrictum apud me ferrum eſt. Summa parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis. Severitatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me cuſtodio, tanquam legibus, quas ex abdito, & ex tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus ſim Hoc de te Nero prædicare potes audacter, ait Seneca, illi adblandiens, rariſſima laus, & nulli adhuc Principum conceſſa; ſed ad tempus ſumpta. Nec immeritò Seneca hæc ultima verba addidit; parùm enim duravit admiranda hæc Netonis, quam io ipſo ſui imperii exordio demonſtravit, clementia. Nam qui tunc mortis ſententiam adverſus perduëllionis reos ſcribere coactus, exclamavit, *vellem neſcire litteras*, poſtmodum immaniſſimâ crudelitate Matri vitam ademit.

Heu quantum mutatus ab illo.

Perage, inquit ad Præfectum *imperata, mitte qui Plauti mihi*

Syllaque caſi referat abſciſſum caput. Cui Seneca

Nihil in propinquos temere conſtitui decet. Nero

Iuſtum eſſe facile eſt, cui vacat pectus metu:

Magnum timoris remedium clementia eſt. Seneca

Extinguere hoſtem, maxima eſt virtus ducis,

Servare cives major eſt patriæ ſalus.

Valdè magnum periculum eſt, ait Plutarchus, ne cui licet facere, quod vult; is velit quod non debet. *Nam ſimul ac dictum verbum eſt, factum illico extat.* Pravitas à potentia celerem nacta curſum, omnes animi motus in facta expellit; de ira cædem, de amore adulterium, de avaritia publicationem alienorum bonorum facit. *Nam ſimul ac dictum eſt;* periit, qui offenderat; ſimul ac ſuſpicio incidit, interficitur qui delatus fuit. Ac ſicut Phiſici dicunt fulgur tonitruo poſterius erumpere, ut ſanguis vulnus ſequitur, prius tamen videri, auditu ſonum expectante; viſu lumioi occurrente; ſic in imperiis ſupplicia accuſationibus anteverrunt, & damnatio criminis demonſtrationem; niſi gravitate præpeditâ ratio compeſcat potentiam; ut ſcilicet ſolem imitetur Princeps, qui ad ſummam evectus altitudinem in partibus Septentrionalibus, lentiſſimè movetur, tarditate curſum tutum reddens. Deum adhuc Princeps, cujus vices in terris gerit, tanquam exemplar rectæ dominationis ſequatur, qui celer eſt ad beoefaciendum, tardus ad ulciſcendum. *Heu conſolabor ſuper inimicos meos.* Eſaiæ 12. exclamat Deus, *Heu* heu, quæ vox eſt ultionem fugientis. Deus cùm miſeretur, & ſceleratis veniam impartitur, gaudet, & letatur; cùm ad vindictam prorumpit, quodammodo triſtatur; Heu enim vox eſt lamentantis: adeò ad miſericordiam promptus eſt, ut in meridie ad Abraham pergat, ſummam illi miſericordiam, non rogatus, ſed ſponte polliceatur Divini ſcilicet Verbi, ex ejus ſemine futuram nativitatem. Quando verò ad Sodomorum pravitatem puniendam, à juſtitiâ ſuâ ſcelerum vindice impellitur; quàm tardè ad illam procedit? Ducem ſecum Abrahamum ſibi aſſumit, quaſi viæ neſcius; nec in hâc punitione vult videri: in meridie Abrahamo benedictutus apparet; Nocturno tempore ad Sodomam, igne, & ſulphure evertendam pergit. Tota Trinitas divinarum perſonarum Abrahamo apparet, ut illi miſericordiam impartiatur; Trinitas divioarum perſooarum ſolvitur, & duo tantùm Angeli ad Sodomam evertendam prorumpunt. Dei ergo exemplo Princeps velox ſit ad præmium, tardus ad vindictam. Quorundam olim Regum ſcepera io ſummo Ciconiæ, in imo Hippopotami imagine exornabantur; illa ſymbolum clementiæ & pietatis, hic violentiæ. Abſit à Regibus, maxime Chriſtianis, omnis in ſubditos violentia. Ciconiæ, quæ pullos ſuos ſingulari amoris affectu proſequitur, benevolentiam, non Hippotami crudeliſſimi ferocitatem æmulentur. Magni animi proprium eſt placidum eſſe. Si Deus, inquit Seneca lib 1. de clement. placabilis eſt, & delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequitur; quantò æquius eſt hominem homini parcere, & miti animo imperium exercere; & cogitare, utrum mundi ſtatus gratior oculis & pulchrior ſit ſereno, & puro die; an cùm fulguribus omnia quatiuntur, & ignes illinc, atque hinc micant; atqui noo alia facies eſt quieti, & moderati imperii, quàm ſereni cœli, & nitentis. Gaudent Principes, gloriantur Reges, exultant, quando Sereniſſimi à ſubditis appellantur. Cœlum ergo ſerenum, non turbidum imitentur. Crudele Regnum turbidum, tenebriſque obſcurum inter trementes, & ad repentinum ſonitum expaveſcentes, nec eo, qui omnia conturbat, inconcuſſo. Princeps enim qui nimiùm vult timeri, timet ipſe, nec ioter militum legiones, quibus ſtipatur, nec inter aulicos, & proximos ſecurus eſt.

Quid ergo? non ne Regibus ſubditos occidere licet? licet, ſed quoties id fieri publica utilitas ſuadet. Inter Tyrannum verò, & legitimum Principem, hoc eſt diſcrimen, quòd Tyrannus, nullâ flectitur clemeotiâ, ſed furore percitus, ma-

vult timeri, quàm amari; legitimus autem Princeps, celer eſt ad ignoſcendum, tardus ad ulciſcendum: ille ſubditorum, ut Scylla, Marius, Nero ruynâ lætatur, iſte ingemiſcit. Rege in publicum procedente: non tanquam malum aliquod, aut noxium animal ſubditi fugiant; ſed tanquam ad clarum, & beneficum ſydus, certatim advolent, & hæc laus eſt eximia Clementiſſimi noſtri Regis Ludovici decimiquarti.

CAPVT VIII.

Princeps ſubditos judicet abſque perſonarum acceptione.

PLerique Principes cum eſſent civium Domini, libertorum erant ſervi: horum conſilio, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos Præturæ, etiam & Sacerdotia, & Conſulatus dabantur, imò & ab his petebantur. Tu Imperator, ait Plinius ad Traianum, libertis tuis ſummum quidem honorem, ſed tanquam libertis habes, abundeque ſufficere his credis, ſi probi, & frugi exiſtimentur. Scis enim præcipuum eſſe indicium non magni Principis, magnos libertos. Ac primùm neminem in uſu habes, niſi aut tibi, aut patri tuo, aut cuiquam optimo Principum dilectum, ſtatimque hos ipſos quotidie; deinde ita formas, ut ſe non tuâ fortunâ, ſed fortunâ ſuâ metiantur, & tanto magis digni ſunt, quibus omnis honor præſtetur à nobis, quia non eſt neceſſe. Et infrà maximum utrum videtur, ſive eoſdem maximè diligas, quos ſcis nobis eſſe chariſſimos, ſive illis neminem præferas; quamvis aliquem magis ames. Pudeat ergo Chriſtianos Principes adeò circa aliquos affici, ut iniquâ perſonarum acceptione, totum in illos conferant, quod honoris, quod favoris, quod benevolentiæ habent, nihil aliis tribuant, quos vel ut extraneos, velut viliſſima mancipia tradant. Dei, cujus in terris vice funguntur juſtitiam & æquitatem attendant, qui ita omnium curam habet, ut nulli deſit, omnibus proſit. Deus, inquit Ariſtoteles lib. de mundo, principium, & finem, & media rerum omnium tenens, rectâ lineâ incedit, comitem habens juſtitiam. Plato juſtum *δικαίον* appellat, id eſt, diſcurrens; quòd per ſingula permeat, & velociter ubique diffunditur. Sol Iuſtitiæ Symbolum eſt, quia undequaque, & ubique Lucis ſuæ radios effundit; *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, ut dicit Regius Vates. *Qui facit oriri Solem ſuum ſuper bonos, & iniquos*, ait Chriſtus Salvator. Dei enim Regis Regum providentia ad omnia ſe extendit; itaut etiam *illi cura ſit de bobus*, ut dicit Apoſtolus. Deus perſonas non reſpicit, ſed juxta earum merita, vel demerita, eas præmiat, vel damnat. Reges ergo ab ipſo ad regendos populos conſtituti, Dei juſtitiam, cujus vices gerunt, in terris imitentur. Perſonas non reſpiciant, ſed virtutes, & vitia. Unde cùm aliquis, ut refert Plutarchus lib. de præcep. Reip. geren. Themiſtocli hæc de ſe jactaret, optimè ipſum Reipublicæ præfuturum, ſi ſe omnibus æqualem præberet, reſpondit; abſit, ut ego tali inſideam ſolio, unde non plus amor ad amicos, quàm ad alios perveniat. Poteſt ergo Princeps aliquando uni magis quàm alteri favere; abſque juſtitiæ perfectæ injuria.

CAPUT IX.

Principis muneris eſt Sanctiſſimas Leges ferre pro communi Reipublicæ utilitate.

Legum utilitas & neceſſitas.

DE Legibus fusé ſupra diſputavimus, quibus hæc pauca ſubjecto; & quidem primò illarum utilitatem, & neceſſitatem demonſtro. Quærit Philoſophus lib. 3. polit. c. 15. utrum expediat magis ab optimo homine regi, vel ab optimis Legibus gubernari. Qui gubernationem Legis præferunt; hæc adducunt: Primò, meliùs eſſe gubernari ab eo cui non adeſt turbatio, quàm cui naturaliter ineſt: hâc autem turbatione Lex caret; mens verò humana non caret. Secundò; qui Legem præeſſe jubent; videntur jubere Deum præeſſe & Leges: qui autem hominem jubent præeſſe, adjungunt & beſtiam. Libido quippe talis eſt, atque obliquos agit etiam viros optimos. Qui verò gubernationem hominis præferunt Legi, aiunt Legem ſolùm univerſaliter providere, non autem de ſingulis quæ accidunt jubere. Ego verò exiſtimo, nec hominem ſine Lege, nec legem ſine homine debere homines regere; ſed utrumque. Nam ſi homo ſine Lege gubernet; Tyrannica erit ejus gubernatio; ſi Lex ſine homine, confuſa, & nimis univerſalis. Adde quòd Leges ab homine debent ferri, & cuſtodiri. Hinc Reges inſtituti ſunt ut Leges ferant; & ſub Regibus Magiſtratus; qui Legum tutores ſunt & cuſtodes, non arbitri. Neceſſariæ ergo & utiliſſimæ ſunt Leges; neceſſarii Legum tutores, & miniſtri.

CAPUT X.

Penes Principem præcipuè reſidet Legum condendarum auctoritas, quatenùs ſupremus omnium Iudex, & Legiſlator.

DEus, ut ſupremum in omnes creaturas Dominium oſtenderet, Leges illis impoſuit. Ejus enim præcepto ex nihilo in lucem prodiere: *Dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Ubi eras*, ait Deus ad Iob, *quando legem ponebam aquis, ne tranſirent.* Ipſe mari dixit; *Huc uſque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* S. Zeno Veronenſis docet hoc præceptum littori maris à Deo fuiſſe inſcriptum, quo viſo mare exundans, fluctus ſpumantes ſtatim revocat, O Deum immortalem creaturæ irrationales, & inanimes: imò ipſum nihil, Dei præcepto obtemperat; homo ratione præditus, & capax præcepti; Dei legibus parêre detrectat. Præcepit Deus Adæ ne fructum arboris carperet, de eo tamen comedit. Penes ergo Principem Leges condendi poteſtas eſt. Semel autem latas à ſe, vel communi uſu receptas facilè non mutet, ut quæ juſſit vetet, ut quæ vetuerit jubeat: non convaleſcit Planta quæ ſæpius transfertur. In minimis etiam rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſervanda ſunt.

CAPUT XI.

Princeps æquas rationabiles, poſſibiles, & utiles pro communi videlicet ſubditorum bono leges ferat.

AD Reges & civilis ſtatus Rectores ſpectat Leges condere: in hoc enim apparet dominantis auctoritas. Verùm quia Principes ad hoc à Deo inſtituti ſunt, ut publicam Reipublicæ ſalutem illæſam ſervent, ſubditoſque ad æternam fœlicitatem perducant: ratio æquitatis hoc poſtulat, ut æquas, & rationabiles Leges ferant; ipſius Dei exemplo, cujus vices in terris gerunt. *Mandata Dei non ſunt gravia*, ait Sacer Textus, omnia Dei præcepta, tam veteris quàm novæ Legis, Legi naturali conſonant, & ſub Decalogo continentur, duobuſque illis primis principiis adhærent; Deum ſcilicet unum colendum, parenteſque honorandos eſſe, nec alteri faciendum, quod ſibi quiſque fieri nolit. Æquiſſimæ ſunt hujuſmodi Leges & facillimæ, cùm Divinæ gratiæ auxilio poſſunt ſervari. Reges ergo ad exemplum Dei Regis Regum, nihil niſi

quod rectæ rationi, & æquitati conſonat, ſubditis præcipiant. Leges, inquit Ariſtoteles 4. politic. c. 1. ad Rempublicam ſunt accomodandæ, non autem Reſpublica ad Leges. Vtrumque tamen veriſimilius mihi videtur. Nam & ad Rempublicam Leges accommodaudæ ſunt, & Reipublicæ,ſive Regna Legibus debent accommodari, maximè Legibus Divinis. Reges enim nihil contra verum Dei cultum, veramque religionem,& Fidem Catholicam debent decerneri; impiaque, & deteſtanda Taciti ſententia dicentis; ſi jus violandum eſt, Regnandi causâ violandum eſt. Quælibet autem regna ſuas habent Leges antiquas, & fundamentales, quas Reges, cum inaugurantur, jurant ſe ſervaturos. Sic Lex Salica quâ fœminæ à Regimine ſtatus arcentur, in Regno Galliæ ſemper religiosè fuit obſervata.

CAPVT XII.

An Princeps legibus, vel ab antiquis Principibus, vel à ſeipſo latis ſubjiciatur.

CIrca hanc quæſtionem antiqui politici, ut Ariſtoteles, & alii ancipites ſunt. Interdùm enim Legem Principibus præferendam eſſe cenſent; interdum Reges Legibus præponendos. Legem eſſe præferendam hâc ratione ſuadere conantur,quia Lex immobilis eſt, nec adulatione, vel metu à ſua æquitate poteſt unquam removeri: Sic me cuſtodio, ait Cæſar apud Senecam lib. 1. de Clementia, tanquam legibus, quas fero rationem redditurus. Regibus verò poſtponendam eſſe, his rationum momentis probant; quia ſæpè ſæpiùs Lex obſcura eſt, perplexa, & univerſalis, nec ad ſingulares eventus deſcendit; quare à Principe debet interpretari; & ad hoc virtus ſpecialis ordinatur, dicta *Epicheia.* Prætcrea, Leges nedum loco, ſed & tempori accommodandæ ſunt, & pro varietate temporum antiquæ,quæ inoluerunt, reſcindendæ, novæque ſerendæ. Vnde quotidie videmus nova Principum decreta, quibus antiqua emendantur. Leges tamen antiquiſſimæ, & temporis diuturnitate confirmatæ, & communi omnium uſu receptæ, à Regibus ſemper ſunt ſervandæ, quibus non quoad vim coërcitivam, ſed directivam ſubjiciuntur.

QVÆSTIO VI.

DE REGIO CONSILIO.

CAPVT PRIMVM.

Sine Conſilio Rex graviſſima Regni negotia non debet tractare.

INter Imperatoris virtutes Cicero Orat. pro Lege Manilia, laborem enumerat in negotiis, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in providendo. Melius quippe curantur; quæ conſilio geruntur; quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur; & parum eſt, arma eſſe foris, niſi ſit conſilium domi: vis conſilii expers mole ruit ſuâ. Quis ſanæ mentis, ait Ariſtoteles, dubitavit, ſi quis inconſultò quid egerit, amentiæ quidem, ſin autem ratione duce, ſapientiæ ſignum eſſe? Conſiliari eorum quæ inter homines ſunt diviniſſimum eſt. Nihil enim Deus ſine ratione & conſilio decernit. Quod colimus, & nos; Deus unus eſt, ait Tertullianus in Apolog. qui molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum verbo, quo juſſit; ratione quâ diſpoſuit; virtute quâ potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ. Quiddam ſacrum eſt, inquit Plato conſiliari. Hinc Minervæ noctua tribuitur, avis nocturna; quæ nocte vigilat; tempus proculdubio conſiliis agendis aptiſſimum. *Et factus ſum ſicut nicticorax in domicilio*, ait David. Nec ineptè ille, qui ſcuto noctuam impoſuit,cum hoc lemmate. *Sapientia omnibus imperat, omnia vincit.* Tunc enim maximè ſalva eſt civitas, inquit Plutarchus,vbi conſilia ſenum, & juvenum arma obtinent. Iovi Thuſci Conſiliarios adhibent, ubi de fulmine in homines contorquendo agitur; nec niſi adhibito duodecim Deorum conſilio aliquid magni momenti decernit. Magna enim negotia, magnis adjutoribus egent, ut dicit Vellejus. Sic Homerus Menelao ſtrenuiſſimo Duci Vlyſſem prudentiſſimum adjungit conſiliarium; ut quod illum manu, & armis peragat, hic conſilio dirigat. Plura enim in ſumma fortuna auſpiciis, & conſiliis, quàm telis; & manibus geruntur & Euripides: mens una ſapiens plurimas vincit manus. Rarum, ut Princeps à ſe uno ſatis ſapiat: adjutores ergo adſciſcat ſapientes, nihilque ſine conſilio peragat. Magnam enim & infinitam prudentiam,quæ Principi neceſſaria eſt, nemo ſic aſſequitur, ut eam non neceſſariò per alios quærere debeat. Senes ipſi conſiliis ſapientiam diſcunt & à maturis in communi quæritur,quod pro omniũ utilitate tractatur. Solatium curarum frequenter ſibi adhibent maturi Reges; & hinc meliores æſtimântur,ſi ſoli omnia non præſumunt. Jovem Poëtæ effingunt multoculum, & pluribus auribus præditum: Nec currus ille Ezechielis, quo Divinæ Providentiæ regimen figurabatur, à cœco ducebatur auriga. Quatuor illi Deus animalia præpoſuit, oculis plena. Plus vident oculi, quàm oculus: plus audiunt aures, quàm auris: Hinc Xenophon Principi plures adhibet oculos, plures aures adjungit, nempe prudentiſſimos Conſiliarios, Regum Miniſtros, & adjutores. Si enim de ſua unius ſententia omnia gerat, ſuperbum hunc magis quàm ſapientem judicabo, ait Livius. Singuli decipere, & decipi poſſunt, inquit Plinius, nemo omnes; neminem omnes fefellerunt: Perge ergo, Trajane, perſta in iſta ratione propoſiti, taleſque nos crede; qualis fama cujuſque eſt. Huic aures, huic oculos intende. Ne reſpexetis clandeſtinas exiſtimationes,nulliſque magis quàm audientibus inſidiantes ſuſurros audias. Maxima tùm Reipublicæ, tùm Principi, commoda ex conſilio accedunt. Primò quidem, quòd hac arte faciliùs populum beſtiam multorum capitum regere poterit. Secundò; quæcumque ſubditis imperaverit, licet duriſſima, facillima reddentur, utpotè quæ non niſi rectè mandata videantur. Tertiò; quia, acerba quæ videri poſſent, & inſolita, ſi ex conſilio fiant, non Principi, ſed ſuo conſilio adſcribentur. Quartò; ex conſilio major Principi majeſtas, populique reverentia, timorque cùm dilectione conjunctus accedent. Quintò, ex conſilio Princeps prudentior evadet, tutiuſque ſubditos gubernabit:

Hinc

Digitized by Google

Hinc conſilium habuere omnes olim Reipublicæ, Ariſtocratiæ, & Monarchiæ. Nihil ſine conſilio Agamemnon, Alexander, Cæſares egêre, qui negotia omnia cum Senatu communicabant. Indè Comitia Generalia, in Gallia celebrari ſolita.

CAPVT II.

Princeps à Deo primùm conſilium quærat.

BEnè ac ſapientes Majores noſtri inſtituerunt, ait Plinius, in Paneg. rerum agendarum initium à precatione capere; quod nihil ritè, nihilque providenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore poſſint auſpicari. Hinc Poëtæ Iovem finxere conſiliarium, à quo Reges permaximè conſilium quærant. Neminem ex antiquiſſimis Legiſlatoribus invenies, qui leges à ſe conditas, ad Deos non retulerint, tanquam ad primos totius humani conſilii & prudentiæ auctores. Sic Numa Pompilius Romanorum Rex ab Ægeria Nympha; Reges Athenienſes à Minerva, ipſe etiam Mahometes Turcarum Monarcha ab Archangelo Gabriële conſilium ſe capere finxerunt. Sed fictitia illa Numina, vera erant Dæmonia & mendaciſſima.

Regius Vates ſpiritum principalem à vero Deo efflagitat, cujus ope impoſitam ſibi Rempublicam rectè gubernaret. Salomon ſapientiam petiit à Deo ſedium ejus aſſiſtricem. *Mitte*, inquit, *de cœlis ſapientiam*, ſedium tuarum aſſiſtricem, *quæ mecum ſit, & mecum laboret*. Unde Cyprianus; Conſiliorum gubernaculum Lex divina ſit. Quò fortè reſpexere Gentiles, apud quos hic mos invaluerat, ut pro tribunali ſedentes, vacuam ſedem in medio relinquerent; cui nempè Deus præeſſet. Pudeat Chriſtianos Principes, in hoc à Gentilibus ſuperari. Pagani Dæmonia colebant, juxta illud Regii Vatis, *Omnes eorum Dii Dæmonia*, quorum ſimulachra aurea, & argentea venerabantur, & ab illis conſilium expectabant, quæ oculos habentia non videbant, aures habentia, non audiebant; Chriſtiani Principes Deum verum colunt, ſapientiſſimum; ab illo in rebus dubiis conſilium petant.

CAPVT III.

Quales ſibi Princeps eligere debeat Conſiliarios.

PRudentia Imperantis propria, & unica virtus, ait Ariſtoteles; cujus proles conſilium, lib. 3. politic. Prudentes ergo Conſilio Regio ſunt præficiendi: Nec ex quibuſlibet promiſcuè, ſed ex iis; qui rebus publicis gerendis aptiores judicantur, Regis conſilium componi debet. Quia vero ſeniores, ut plurimùm, prudentiores ſunt, ideò ad conſilium Regis advocandi. Photionem, & Catonem ita quis apud Plutarchum compellat: Heus hoſpes Athenienſis, aut Romanus, aridâ confectus ſenectute, miſſam jam nunc Rempublicam fac, ac verſari circa tribunal deſinens; rus propera: ibi cum vetula ancilla agriculturæ vacaturus, aut in rei familiaris adminiſtratione reliquum vitæ conſume. Is certè iniqua ſuadet, ait Plutarchus, lib. de præceptis Reipub. & injuriâ virum civilem afficit; imò Principi, & Reipublicæ nocet. A conſiliarii enim, forenſis, urbanique Jovis adminiſtris, non pedum, manuumque opera, qualia à juvenibus exigimus; ſed conſilii, providentiæ, rationis; non tumultum & ſtrepitum in turba excitantis; ſed prudenter, ac tutò conſulentis: Undè eluceſcat canities, & ruga videri ſolita, teſtis peritiæ. Nam ad parendum juvenilis, ad imperandum ſenilis ætas accommodata eſt, ac maximè ſalva eſt civitas, ubi conſilia ſenum, & juvenum arma obtinent. Laudaturque Homerus, qui

> *Primum ætate graves, & forti pectore claros*
> *Neſtoream ad navim conductos dicere juſſit,*
> *Conſiliumque dare.* Iliad. 3.

Atque adeo optimatum magiſtratum Spartanæ civitatis Regibus adjunctum Apollo Presbigeneas, id eſt, magno natu præditos; Lycurgus diſertè Gerontes, id eſt, Senes nominavit. Et Romanorum Senatus in hunc uſque diem à Senio nomen gerit; atque ut Lex coronam, ita canos natura venerabile dignitatis, & Principatus ſignum fecit. Senes ergo propter rerum experientiam eligendi ſunt. Sic Moyſes Ietro ſoceri ſuaſione 72. Seniores elegit, ex quibus Sanhedrim Iudæorum conſilium fuit compoſitum. Roboam verò, qui ſpreto Seniorum conſilio, Iuvenum illis prætulit conſilium, peſſimè quidem ceſſit. Præterea eligendi ſunt optimis moribus probatiſſimi, erga Deum Religioſi, veritatis amatores, juſtitiæ tenaces: Nihil enim pejus accidere Principi poteſt, quàm ab adulatoribus conſilium petere, qui tacent veritatem. Tertiò, eligi debent, fidi, rerumque periti ſſimi, qui ſalutaria ſuggerant, pace, ſive bello. Item taciturni, qui ſuâ fidelitate Principum conſilia non evulgent. Quartò; quibus Reipublicæ utilitas charior ſit, quàm propria; qui nec lucro, nec præmio allici poſſint; denique ad quos tractata in conſilio ſingulariter non pertineant: Nemo enim in ſua cauſa rectè judicare videtur. Peſſimè audivit Cajus Cæſar Caligula, quòd in Curiam introduxerit homines improbiſſimos, & turpiſſimos. Laudatur è contra Athenienſium conſtitutio, quâ decernebatur, quòd ſi peſſimus aliquis optimum pro Reipublicæ ſalute conſilium habuiſſet; non illius ore, utpotè fœtidiſſimo; ſed ſapientis linguâ publicè profeſſeretur. Leges enim Sanctæ ſunt, quare non niſi à viris probis ferendæ, & ore incontaminato promulgandæ.

Viri ergo prudentes, & probi ad conſilium Regum advocentur, qui nec ſpe alicujus præmii vel lucri, nec timore perculſi, nec ut Magnatum favores aucupentur, ex æquo & bono Regni publicum commodum, & Dei gloriam per ſe primò intendant, ad hunc enim finem omnis ſocietas civilis per ſe primò ordinatur.

CAPVT IV.

De ſecreto in conſiliis ſervando.

PRoprium, & antiquiſſimum Romanæ urbis nomen, & ex quo, ut Romani cenſebant, ſalus totius imperii pendebat, adeò fuit arcanum; ut nulli ferè civium, ſed ſolis Reipublicæ Præfectis notum eſſet: adeò Romani ſecreti, maximè in conſiliis ſervandis tenaces erant, & cultores. Quare in vexillis imperii Minotauri, qui ſilentii Præſes habebatur effigiem præferebant. In rebus deliberandis fideles adhibe tibi, & ſapientes, & taciturnos viros, dixit olim Leo Imperator filio ſuo, quem ſucceſſorem ſuum deſignaverat. Apud Perſas nullus præter prudẽtes & taciturnos ad Conſilium Regium admittebatur; lex Ægiptiorum jubebat eis linguam abſcindi, qui Reipublicæ arcana revelaſſent. Lege verò Romanorum vivi exurebantur. Areopagitæ ſilentii fuere obſervantiſſimi; unde in proverbium

bιιt., Areopagitâ taciturnior. Alexander allatam aliquando à matre Epiſtolam, quâ arcana crimina contra Antiparrum continebantur, unà legeoti, ut ſolebat, Hephæſtioni, annulum ori illius impreſſit, qui Sphyngis effigiem præferebat. Inde ſapientis proverbium; *ſecretum Regis, abſcondere bonum eſt*. Taciturnitas enim, ut dicit Valerius Max. Tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum eſt, maximè in bello. Vbi enim ad hoſtes conſilia capta deferuntur, actum eſt de ſalute Regni, vel Reipublicæ. Cum fortuna Principis, potius quàm cum ipſo ſubditi debent loqui, ait Tacitus, cujus abditos ſenſus exquirere illicitum.

Hodie in Conſilio Regio Galliæ ſilentium religioſſimè obſervatur; Regem enim habemus prudentiſſimum, & ſilentii obſervantiſſimum; itaut Principes extranei, nec quidem valeaot ſuſpicari, quid Ludovicus Magnus decreverit; quare cuncta illi, tùm belli, tùm pacis negotia proſperè executioni mandantur. Prius extranei norunt, quid Ludovicus egerit; quam decreverit.

CAPVT V.

De aliis recti Conſilii circumſtantiis.

OMnis a recto conſilio præcipitatio abſit. Diu delibera, ait Seneca, citò facito: deliberandum eſt diu, quidquid ſtatuendum eſt ſemel. Delibetare utilia, mora eſt tutiſſima. Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam. Feſtina, aut matura lentè, ajebat Octavius Cæſar: cautus enim melior eſt, quàm temerarius dux, & ſat citò, ſi benè. *Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem, non ponebat enim rumores ante ſalutem*. Hoc de Fabio cecinit Ennius ruſtico quidem carmine, ſed efficaciſſimo; Fabii enim cunctatio, plus Annibalem vicit, Romanamque Rempublicam nutantem firmavit, quam Minutii cæcus, ac præceps ardor pugnandi. Secunda recti conſilii conditio hæc eſt, ut non de rebus minimis, ſed tantùm maximi momenti conſilium habeatur. Tertia, ut nihil contra veræ religionis cultum, vel bonum commune Reipublicæ decernatur. Conſilium enim eſt ſemper de meliori bono; quare ad majorem Dei gloriam totiuſque Regni publicum commodum haberi debet: non eſt tamen ſemper levitas, addit Seneca lib. 5. de benefic. c. 38. à cognito, & damnato errore diſcedere, & ingenuè farendum eſt, aliud putavi, deceptus ſum: hæc verò ſuperbiæ ſtultitiæ perſeverantia eſt; quod ſemel dixi, & ſtatui, qualecumque fixum, ratumque ſit. Non eſt turpe cum re mutare conſilium: colluctamur ſœpe cum animo noſtro, & hæc colluctatio non ſemper permittit nobis quidquam ſemper velle. Fluctuamus inter varia conſilia; nihil habere volumus liberè, nihil abſolutè, nihil ſemper; nihil diu nobis placet, Regiam tamen ſapientiam non decet mutare ſœpe conſilium. Diu ergo ante deliberet Rex, & à Deo conſilium petat.

QVÆSTIO VII.

DE MAGISTRATIBUS REGIÆ Poteſtatis Adjutoribus.

CAPVT PRIMVM.

Magiſtratuum utilitas, & neceſſitas.

PEſſimè de ſummi Numinis providentia cenſuit Ariſtoteles lib. de mundo quam intra cœlorum circulos ita incluſit, ut rerum ſublunarium regimini nullomodo intenderet, curà earum Diis, ſive Angelis relictâ. Proindè, inquit, id præſtabilius eſſe cenſemus, Deoque tùm decentius, tum magis conſentaneum; ita de eo opinari, ut dicamus, poteſtatem illam in cœlo ſedes ſuas habentem, incolumitatis cauſam rebus univerſis præſtare, iis quoque quæ longius ab ea remota ſunt: nec illis aſſentiri, qui eam ipſam poteſtatem per omnia excurrentem, ad ea quoque, quæ nec adire ipſam honeſtum eſt, nec dictu ſpecioſum, ſua illic opera efficere contendunt reſque terrenas adminiſtrare. Atqui nec ex hominum quidem Principum dignitate eſſe dixeris, cuilibet operi incumbere, ut v. g. exercitus Ducis, aut urbis Præfecti, atque etiam domus Primarii diſpenſatoris. Quippe (ut proditur) viſenda quædam ſpecies Cambyſis, Xerxis, Darii regnantium, in exquiſitum majeſtatis faſtigium exornata erat, compoſitaque magnifice; omnibuſque numeris venerationis auguſta. Tunc autem viri Principes, & lectiſſimi in ſtatione digeſti erant, cùm interim Rex ipſe, qui idem Dominus Deuſque vocitabatur, omnia videret, & audiret. Ab his erant alii vectigalium Quæſtores; alii duces tùm bellici, tum civiles, nempe Magiſtratus; qui juri dicendo, legumque præſidio præfecti erant. Quapropter ſic de dignitate Regis haudquaquam eſſet, Xerxem functione propriâ adminiſtrare omnia; longè id nimirum minus Deo convenit.

Erravit tamen in hoc turpiſſimè Ariſtoteles, qui divinam providentiam humanæ auſus eſt adæquare. Regibus enim neceſſarii ſunt Magiſtratus publici regiminis Miniſtri, & Adjutores; quia ex humanæ conditionis infirmitate, & humanæ ſapientiæ defectu, per ſeipſos; nec omnibus Regni ſui partibus adeſſe, nec ſingula Regni munera obire poſſunt; Deus autem, qui ſuâ immenſitate ubique eſt, & infinitâ ſuâ ſapientiâ à fine uſque ad finem pertingit, gubernans omnia fortiter, ſuaviterque diſponens: qui nec opificis in morem, ut ipſe fatetur Ariſtoteles, laſſitudinem ſentientis labore affici poteſt, à rerum omnium regimine non vacat.

Reges ergo Magiſtratibus indigent pro Reipublicæ publico regimine, ut præclarè determinat Ariſtoteles. 3. polit. c. 15. cùm enim melior præeſſe debeat: duo autem ſint uno meliores; ergo vel plures eſſe debent, qui præſint; vel ad minus, qui unius Principis in regimine ſint adminiſtri, & Coadiutores. Hoc dicit Homerus, *duo ſimul euntes*, & optatio Agamemnonis: *utinam tales mihi decem*

Conſultores adeſſent : plus vident duo oculi, quàm unus. Melius audiunt plures aures, quàm una. Melius agunt plures manus, plures pedes. Rex ergo plures ſibi oculos compareт, plures aures, & manus nempè Conſiliarios, & pedes, nempe Magiſtratus, quibus rei publicæ regiminis curam committat. Reſpublica enim, ut dicit Ariſtoteles 4. politic, eſt inſtitutio civitatis circa Magiſtratus, honoreſque publicos.

CAPVT II.

Diverſa Magiſtratuum, Regiſque Miniſtrorum genera.

DArius, ut refert Ariſtoteles, Suſis, aut Ecbatanis, ſedibus collocatis, procul ab hominum conſpectu, Regiam admirandam obtinebat, ambitu ſeptam auro, electro, eboreque fulgenti: tùm autem viri Principes, & lectiſſimi in ſtationes erant digeſti. Pars munere ſtipantium Regem ipſum fungentes, eique famulantium; pars cuſtodes circa ſepta Regiæ appoſiti; Ianitores, Emiſſarioſque appellabant. Ab his item erant alii vectigalium Quæſtores; alii tùm duces bellici, tùm venatores: alii coactores munerarii, alii munerum curatores. Præterea; Præfecti, Prætores, Reguli, Curſores etiam, Exploratoreſque, Statores, & Cuſtodes ſtationarii, & denique ſpecularii excubitores. Similes habuit Romana Reſpublica ſub Imperatoribus, Publici Regiminis tùm belli, tum pacis tempore Miniſtros; Conſules, Dictatores, Prætores, Tribunos Plebis, Cenſores,, Senatores, cubiculi Regii Præfectos, & prætorianæ cobortis Duces.

Conſulibus poſt exactos Reges creatis, omnia inſignia. quæ apud Reges erant, omnemque poteſtatem populus conceſſit; utpotè qui Romanæ libertatis aſſertores fuiſſent. Secures faſceſque illos præcedebant, quibus jus vitæ, & necis demonſtrabatur: hoc diſcrimine quòd duodecim Conſulibus lictores, ſex tantùmmodo Prætori darentur.

Dictatoria, qui vel ab uno ex Conſulibus patrum auctoritate ſive populo: vel ex Senatus conſulto: aut ex ſcito plebis à populo: vel à Conſulibus juſſu populi creabatur, ſummum erat imperium ut capite mulctaret, & Conſulatu dejiceret: honoreſque aliis conferre, vel abrogare poſſet: denique poterat & Romanos cives in vincula conjicere, atque indemnatos morte afficere. Illi èquo vehi licebat: cujus Dictaturæ tempus aliquando perpetuum: aliquando unus; aliquando duo Romæ fuere Dictatores: in illis jus majeſtatis totiuſque imperii fuit: quem magiſtratum ex Albanis deductum plerique autumant: alii à Græcis quos illi αἰσιμνήτας; aut a Lacedæmoniis, quos ἁρμοστὰς Theſſali *Archos* diaere, qui parem Regiæ dignitati poteſtatem haberent. Dictatores à jure dicendo dicti. Primus de plebe dictator, dictus fuit C. Marius Rutilius. Cornelius Sylla victâ armis Republicâ contra mores, & inſtituta majorum, Dictatorem ſeipſum dixit, illiuſque imperium in multos annos ſibi prorogavit. Quo exemplo Cæſar perpetuæ Dictaturæ munus ſibi vindicavit.

Prætor juris diſceptator erat, qui privata judicabat, juris civilis cuſtos, cujus poteſtati plebs ſubjiciebatur: tutelaris adhuc Magiſtratus dictus, quòd pupillorum cauſæ ejus inprimis curæ demandarentur. Sp. Furius primus Romæ fuit Prætor ea patribus electus, cui, ut aliquibus honoris inſignibus conſpicuus foret, curulem ſellam, ut Conſuli, Dictatorique, eademque auſpicia eſſe voluere. Initio unus; poſtmodum eorum numerus auctus. Alius urbanus; alius peregrinus: ille in urbe civibus; hic vel in exercitu militibus; vel externis Provinciis Reipublicæ ſubjectis jura dabat. Aliquando Romæ decem & octo ſunt creati. Penes Prætorem poteſtas erat jus dicere, bonorum poſſeſſionem dare; ad defuncti bona hæredem admittere; ſervos manumittere, judices delegare; unde & minoribus magiſtratibus jus dabat: tutores pupillis conſtituere: legem ad populum ferre: ludis publicis preeſſe, diſciplinam publicam regere, & quæ ad urbis politiam ſpectant proſpicere: abſentibus denique Conſulibus, illorum jus ad Pretorem devolvebatur; ſuos adhuc lictores habebat; ſecures, & faſces numero ſenario, prætextâ uti licebat, non purpureâ, ſed candida, trabeâ, & equo albo vehi.

Tribunos plebis, plebs à patribus diſcedens, & ad ſacrum montem ſecedens, ſacroſanctos ſibi creavit, non juri dicundo; ſed ut auxilio adverſus conſules eſſent, tanquam publicæ libertatis præſides, cuſtodeſque forent. Ideo nec in ſella curuli ſedere, nec purpuratos incedere, nec lictorum, ut conſules, prætoreſque, ſed viatorem habebant: non enim populi Romani verus erat Magiſtratus: cùm verò conſulum, prætorum, & ædilium, reliquorumque magiſtratuum, creato Dictatore, juriſdictio ceſſaret, ſolus Tribunus plebis in priſtina remanebat poteſtate. Penes illum jus erat in carcerem mittere, etiam conſulem, prætorem, & cenſorem; interceſſiones adverſus reliquorum potentiam magiſtratuum, etiam dictatoris apud illum erant: quamvis alii aſſerant Tribunitiam poteſtatem, ſemper Dictatoris imperio ceſſiſſe; ejus poteſtas extra urbem ad mille tantum paſſus porrigebatur, illius erat poteſtatis, Senatus, nec non conſularia comitia diſſoluere, & contra illa intercedere. Intra limites curiæ non aderat; ſed poſitis ante curiæ fores ſubſelliis, quæ ad populum pertinebant, Senatuſque conſulta excipiebat, quæ ſi probaret, T. litteram ſubſcribere ſolebat. Poterat plebem conſulere, & rogationes ad populum ferre; ac ſuper his leges promulgare; quæ plebiſcita dicta ſunt. In æde vulgari concilium cogebat. Tribuni alii militares; alii comitiati; alii ærarii.

Exactis Regibus, Conſulibuſque creatis, ædiles creati ſunt, modò ex plebe; modò ex patribus: Hi præcipuè curabant, ut ædificia publica, privataque fierent; utque templa, Theatra, Stadia, Fora, Porticus, Curiæ, Baſilicæ, atque mœnia, magnificis operibus reficerentur, & ornarentur; quod Lege veteri ſancitum erat in hæc verba; ſuntque Ædiles Curatores urbis; annonæ, ludorumque ſolennium, olliſque ad honoris, amplioris gradum prius acreſſua eſto: quibus etiam Sacrarum rerum procuratio, totiuſque urbis tutela ſæpè commiſſa eſt.

Cenſores populi cenſendi; & luſtri faciendi ab initio creati; poſtmodum eo proceſsêre, ut maximarum, minimarumque rerum, præcipuè circa morum diſciplinam, animadverſionem haberent. Nam de juramento cognoſcere, & in perjuros animadvertere, epularum ſumptus cohibere, veſtium luxum refrænare poterant, Senatores legere, & coaptare ſummotis indigniſſimis, & honeſtiſſimis collectis. Quæſtores etiam & ædiles ignominiis afficere, de quibus hæc lex antiquiſſima proſtat: Cenſores populi ſoboles, familiaſque cenſento; pecunias, urbis templa, vias, ærarium, vectigalia tuentor: populi partes in tribus diſtribuunto, pecunias in civitatis ordine a partiunto; equitum, peditumque prolem

diſtribunto; cœlibes eſſe prohibento, mores populi regunto; proborum mores in Senatu ne relinquunto; bini ſunto; magiſtratum quinquennium habento; reliqui magiſtratus annui ſunto.

Quæſtorum munus erat vectigalia populi Romani in Provincia exigere; ſtipendia præbere militibus; ſingulaque excepta, expenſaque rationibus inferre. A Conſulibus primò, poſtea à populo eligebantur. Varia illorum genera; alii Provinciales, qui Provincias decreto Senatus ſortiebantur, jus dicebant, lictores habebant; alii Urbani, alii Parrici, ſive parricidii dicti, tantæ dignitatis, ut capitis reos agere, majeſtatis poſtulare poſſent.

Præfecti urbis Regibus, vel Conſulibus, Prætoribuſque Reipublicæ causâ abſentibus, ne quis repens tumultus fieret, totius urbis regimini præficiebantur; inde nomen acceperunt. Primus illos Romulus inſtituit. Querelas ſervorum, & dominorum audiebant, curabant inſuper ne pars urbis aliqua labaret; nevè quid circa urbis cuſtodiam, aut munus vigiliarum ſegniter exequutum foret.

Varii fuere Præfecti: vigilum, annonæ, morum, caſtrorum, legionum, & palatii. Præfectus Prætorii, Imperatoris cuſtodiæ præerat, cui Imperator dùm enſem cingeret, hæc verba proferebat: Enſem cape; ut ſi juſtè imperes, pro te; ſin injuſtè, contra te. Maxima illius poteſtas, & ferè Imperatoriæ æqualis, ita ut Imperatore abſente, illius in omnibus vices gereret, ad eum Senatorum cognitio, & judicium, & animadverſio ſpectabat.

Varia etiam in Monarchia Gallorum, Magiſtratuum genera; Parlamenta, cameræ computorum Regiorum, ſubſidiorum, & vectigalium curiæ, quorum ſuprema eſt auctoritas. Deinde Magiſtratus ſubalterni, Curiæ Præſidiales &c, & in hoc Regis Regum ſapientiam, Dei; cujus vices in terris agunt, & providentiam in Regimine mundi æmulantur. Licet enim, Deus ſolus abſque ullius creaturæ concurſu cœlum, & terram ex nihilo condiderit, Angelorum tamen miniſterio utitur, ad movendos cœlos, ad Regnorum gubernationem, ſed & ſingulis effectibus proprias, & connaturales cauſas præfecit, & cum illis operatur: ita tamen, ut tanquam prima, & univerſalis cauſa; nedum in eſſendo, ſed & in cauſando cauſas omnes ſecundas, tàm neceſſarias, quàm liberas, illæsâ earum indifferentiâ, & libertate ad ſingulos earum actus bonos, Phyſicè præmoveat, & prædeterminet. Potiori ergo jure Reges terræ, qui ſingulis Regnorum ſuorum urbibus, & Provinciis præſentes non ſunt, ad eas gubernandas Præfectos, & Magiſtratus debent eligere: urget enim ad coërcendam ſubditorum contumaciam, vel ipſius Regis, vel Magiſtratuum præſentia: quot ducum, vel præfectorum oculi, tot lucernæ, & inter tot lumina non poſſunt crimina verſari. Dies eſt aſpectus Iudicis, dies præſentia Ducis, ad quorum conſpectum populi Regum imperio ſubditi tremunt. Adde quòd Rex, qui in palatio ſuo reſidet, puta Pariſiis, corporali præſentiâ abſens, multa neſcit, quæ in ſuo regno fiunt, niſi ex litteris Ducum, Præfectorum, & aliorum. Nec hujuſmodi Magiſtratuum multitudo unitati Monarchiæ præjudicat, ut præclarè demonſtrat Ficinus in Platon. de Regno. Quemadmodum enim nec infirmior eſt manus, quòd ſit in digitos diſſecta, ſed ad peragendum eſt agilior; ita nec imminuitur poteſtas ſumma à pluribus magiſtratibus explicata, negotia multis in Republica, communicata faciliùs conficiuntur. Et ut virtus animæ per totum corpus & membra diffuſa, ſua per inſtrumenta exequitur mandata; ſic ſumma poteſtas, per miniſteria Magiſtratuum ſuam exercet auctoritatem.

CAPVT III.

Satiuſne ſit Reipublica Magiſtratuum officia perpetua eſſe, an ad tempus; vendi, an donari.

Circa Magiſtratus hæc quæruntur, ait Ariſtoteles lib. 4 polit. c. 15. quot eſſe debeant; quarum rerum auctoritatem habere; pro quo tempore ſinguli: nam alii ſemeſtres: alii breviores: alii annuos: alii diuturniores: alii perpetuos debere eſſe autumant. Deinde quæritur, ex quibus debeant creari, à quibus, & quomodo, an electione vel ſorte: an ſucceſſione hæreditariâ: an venalia eſſe debeant officia, an à Principe ſolis melioribus donanda. Supra Magiſtratuum numerum & diverſitatem explicavimus. Quam habere debeant auctoritatem ex ſupradictis patet; nempè à Principe vel à Republica dependentem, & juxta proprium cujuſtibet munus. Quidam ſunt magiſtratus, ſubdit Ariſtoteles lib. 6. c. 8. ſine quibus civitas eſſe non poſſit. Sunt quidam ad cultum, ornatumque pertinentes, ſine quibus benè habitari civitas non poſſit. In parvis civitatibus pauciores; in magnis plures eſſe debent. Neceſſaria officia ſunt circa rem divinam, ut Sacerdotes, & Sacrorum Reges, & Pontifices Maximi. Circa rem bellicam, ut Duces: circa reditus publicos, & impenſas, ut Quæſtores, & Ærarii publici Præfecti; circa forum, circa urbem, circa vias publicas: circa portus, circa judicia, contractus, poſtulationes, executiones, & cuſtòdias, ut Iudices, ſuper rationibus, & diſquiſitionibus, ut Magiſtri computorum, circa vectigalia. Pravum autem, addit Ariſtoteles, lib. 2. c. 11. maximos magiſtratus eſſe vænales. Hæc enim Lex prætioſas magis facit divitias, quàm virtutes, ac civitatem totam ad ſtudium pecuniarum convertit. Ubi verò non maximè honoratur virtus; ibi non eſt poſſibile firmum optimorum eſſe in Republica ſtatum. Pravum etiam plures ab uno homine geri. Unicum enim ab uno optimè perficitur opus. Nemo ſpontè ad gubernandam Rempublicam occurrat, nec prætio, nec precibus magiſtratum ambiat: locus enim ſuperior, etſi adminiſtretur, ut decet, indecenter tamen appetitur, ait Auguſtinus 9. de civit. Dei. Ut verò propoſitæ quæſtioni fiat, ſatis ſatiuſve ſit Magiſtratus perpetuos eſſe, an ad tempus: Reſpondeo in democratia neceſſarium eſſe mutabiles, ne illecti dulcedine poteſtatis Tyrannidem affectent; ſecus in Monarchia, ubi tale periculum non occurrit, ob unius ſupremam Regis poteſtatem.

CAPVT IV.

Quales debeant ad Honores publicos, & Magiſtratus gerendos, eligi.

Meliùs eſt, inquit Ariſtoteles, lib. 3. polit. c. 15. ut lex dominetur, quàm aliquis civium; eâdemque iſtâ ratione, ſi quos præeſſe oporteat, ita ſunt præficiendi, ut cuſtodes Legum, atque Miniſtri, non ut arbitri, & domini. Quare tria habere debent, qui præcipuos magiſtratus ſunt ſuſcepturi: Primum, ut ament præſentem civitatis ſtatum: Secundùm, ut habeant potentiam maximam, ad ea conſequenda quæ magiſtratus requirit. Tertium,

ut

Digitized by Google

ut habeant virtutem & juſtitiam. Non ſolùm nobis, ſed patriæ nati ſumus; quare magiſtratus, non proprium, ſed communem Reipublicæ utilitatem debent intendere; idcoque ab Athenienſibus ſalvatores, auxiliarii, legumque cuſtodes appellabantur. Ariſtoteles, idoneos ad gubernandum, & ad magiſtratus tradit eſſe, mediocris fortunæ homines, nec nimium divites; nec omninò egenos; quia illi nullius imperium pati volunt; iſti dejecto ſunt nimiùm animo, & ad parendum tantùm nati.

Delectus habendus eſt perſonarum; nec omnes promiſcuè ad magiſtratus promovendi, niſi qui Rempublicam regere poſſint, & ſciant. *Provide de omni plebe ſapientes, & timentes Deum*, ait Ietro ad Moïſen, Exod. 18. *in quibus ſit veritas & qui oderint avaritiam.* Vnde apud Ægyptios Iudices olim Bullam auream, cum Saphiro, cui veritatis effigies erat inſculpta, geſtare mos fuit. Thebani, ut incorruptam juſtitiam ſignarent, Iudicum imagines ſine manibus, Principis verò ſine oculis in loco poſuere, ut ſignis oſtenderent judices affectibus capi non debere: nec muneribus corrumpi. Ideò Areopagitæ, nunquam die, ſed nocte, vel obſcurâ luce judicabant; ut procul ab omni affectu, tantummodo facta cognoſcerent, perſonam non viderent. Servator enim Legis & cuſtos, incorruptiſſimus eſſe debet, ait Iamblichus. Oportet adhuc judicem magnanimum eſſe, qui virtute valeat irrumpere iniquitatem, ut monet Sapiens Eccleſ. 7. Iudex etiam, ut monet Plato de Repub. eligendus eſt, ingenio prudens, ſenex: multos homines bonos & malos expertus, publici boni amator, atque in hoc per experientiam comprobatus.

Iura dabat populus ſenior, finitaque certis
Legibus eſt ætas, unde petatur honos

Canit Ovidius in faſtis. Et Vlpianus: ad Rempublicam adminiſtrandam ante 25. annum admitti non oportet. Liceret hìc in corruptos hujus ſæculi mores invehi, cùm apud nos pueri ad Reipublicæ Regimen admittantur; quo nihil pejus civili ſocietati contingere poteſt: Vnde inter maledictiones Dei in populum hæc habetur, Eſaiæ 3. *Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Caveat ergo Princeps, penes quem ſuprema eſt creandi magiſtratus poteſtas, primò, ne ineptos ad publica officia promoveat; propter quod Heliogabalus peſſimè audivit, quòd Scenicos, Theatricos, artifices ad maximas Imperii dignitates promoveret. Secundò, ne ſolâ gratiâ, amore, vel remunerationis causâ præfecturas inconſideratè concedat. Tertiò, ne turpis lucri deſiderio eas vendat. Quartò, ne plures uni tribuat. An verò ſatius ſit præficere ſubditis, incolas loci in quo ſtatuuntur, vel alienigenas, & extraneos ſub judice lis eſt. Optimum eſt, ut magiſtratus certo tempore, ſuperiori à Principe delegato rationem reddat Magiſtraturæ adminiſtratæ.

CAPUT V.

Cujus ſit Magiſtratus creare, & quibus modis poſſint creari.

A Rege, vel ab optimatibus, vel à populo ſolummodò poſſunt creari Magiſtratus, juxta triplicem civilis regiminis formam. A Rege in Monarchia; ab optimatibus in Ariſtocratia, à populo in Democratia. Creantur verò, vel ſorte, vel ſuffragio, vel delectu. Sorte, qui ſortitò; ſuffragio, qui ſuffragante populo, ut Imperatores; delectu, qui eligi ſolent. Præſtantiſſima electio, in omni adminiſtratione Reipublicæ, quæ non gratiâ, vel ambitu; non ſortuitò, non ſuffragiis ignaræ multitudinis: ſed conſultò ex idoneis, virtute præditis, & ſapientioribus fit. Satius, ut dixi, in Republica Magiſtratus non eſſe perpetuos, propter periculum tyrannidis. Sic enim Julius Cæſar apud Romanos, ex perpetua Dictatura: Phyſiſtratus Athenis: Dionyſius Syracuſis, ex diuturniori magiſtratura Reipublicæ Dominium ſibi vendicarunt. In Monarchia verò ſatius eſt non mutari: Mutatio enim magiſtratus nihil boni affert Reipublicæ, ſed potius detrimentum, quia ſemper aliquid novi affert. Præterea, qui diu in magiſtratu verſantur prudentiores evadunt, & in rebus publicis gerendis ſagaciores: Segniores adhuc ſunt ad quæſtum faciendum; ſicut Muſcæ, quæ diu corporum ulceribus inſident, minus graves ſunt, ad ſatietatem refertæ. Vnde utiliſſima Reipublicæ Gallorum conſuetudo, ut poſt mortem Regis, Regii magiſtratus non mutentur. Apud nos filii parentibus in magiſtratu ſuccedunt; publica væneunt officia Principum indulgentiâ. Certus eſſe debet in Republica Magiſtratuum numerus, nec à Principe ſupra modum augeri. Signum enim malè ſe habentis civitatis præcipuum eſt, ſi diligenti Medicorum, judicumque operâ indigeat, ait Plato 3. de Repub.

QUÆSTIO VIII.

DE VLTIMO PRINCIPIS MUNERE,

Ducis ſcilicet, qui pro ſubditorum ſalute, Regnique præſidio, adverſus illius hoſtes, ſtrenuè pugnare tenetur.

PROOEMIUM.

S*amuëli, Iſraëlitica Genti Regem, quem illa enixiſsimè efflagitabat, dare detrectanti*; nequaquam, *inquiunt Hebræi*; ſed erit nobis Rex, ſicut & aliæ Gentes habent, qui nos judicet. Et egredietur ante nos, & pugnabit bella pro nobis. 1. Reg. 8. *Proprium ergò Regis mu-*

nus eſt, pro ſubditorum ſalute, Regnique tutelâ adverſus hoſtes ſtrenuè decertare. Nec mirum; cùm in civili Reipublicæ corpore, eadem peragere teneatur recti regiminis munia, quibus caput in corpore naturali; paterque familiàs, in ſua domo funguntur. Caput verò pro totius corporis ſalute, ſeſe periculo objicit etiam mortis; Nec minori innatæ pietatis impetu pro filiis tuendis pater decertat.

CAPVT PRIMVM.

Supremi Ducis, pro totius Regni gloria & utilitate, neceſſitas; ex innato hominibus pugnandi appetitu.

Prima ratio.

SOlis Natura apibus Regem commenta eſt, ait Seneca; cui ampliſſimum cubile, medioque tutiſſimum loco, inſignis formâ, diſſimiliſque cæteris, tum magnitudine, tùm nitore: fortè, quia iracundiſſimæ apes, & pro corporis captu pugnaciſſimæ. Certè non ad pacem naſci videtur homo, animal iracundiſſimum, & pugnaciſſimum; ſed potius ad bellum: *Cujus vita militia eſt ſuper terram:* Cujus nedum menſes, ſed dies, ut Regius Vates dicit, perpetuæ ſunt palæſtræ. *Ecce poſuiſti mihi*, inquit, *dies menſurabiles:* Vbi alia verſio legit: *Ecce palaſtras poſuiſti mihi.* Speraverat ſponſa ſe perpetuâ fruituram pace, cùm ait; *Veni dilecte mi, lectulus noſter floridus.* Cui ſponſus, velut indignabundus: *Ego ſum flos campi:* Quaſi diceret, ait Bernardus: iniquè pacem in hac vita requiris, quæ ad pugnam nata es. Illâ ergo vocante ad lectuli delicias: iſte vocat ad campum: illâ pacem meditante: hic prælia mente revoluit. Pacem invocant omnes: Verùm irrita illorum vota: pax enim nondùm advenit. Bellum pace antiquius, primævæ mundi origini coævum, nec in cœlo pacem Deus regnare permiſit. Ibi enim exorto inter Angelicas mentes diſſidio, factum eſt prælium magnum. Cœleſtes ſedes pax deſerens, & in terras transfuga, è Paradiſo voluptatis illicò fugata, in cœlum rediit. Caïn adverſus fratrem inſurgit: Lamech patrui necem ulturus, patrem occidit. Indè inter homines perpetuum bellum. Seneca in Hyppol.

Rupêre fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps, quæque ſuccenſas agit
Libido mentes. Venit imperii ſitis;
Cruenta factus præda majori minor;
Pro jure vires eſſe. Tunc primùm manu
Bellare nudâ, ſaxaque, & ramos rudes
Vertere in arma. Non erat gracili levis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens enſis; aut criſta caput
Galeâ comantes; tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis: hinc terras cruor
Infecit omnes fuſus, & rubuit mare.

Bellum ergo ipſius mundi exordio Coævum uſque ad hæc tempora ubique terrarum exarſit, & ardebit uſque ad mundi noviſſima. Hoc enim naturâ eſt inſitum, ait Cicero, ut quem timueris, quocum de vita, fortuniſque contenderis, cujus ex inſidiis evaſeris, hunc ſemper oderis.

Non ſic abibunt odia, vivaces aget
Violentus iras animus, & ſævus dolor
Æterna bella, pace ſublatâ, geret. Senec. in fur:

Ex hoc ergò perpetuò bellandi naturali quodammodo appetitu, ſupremi Ducis nedùm utilitas in Regno, ſed & neceſſitas apparet. Vim enim vi repellere licet: quare cogendi ſunt milites, acies ordinandæ, ut hoſtilis in regnum impetus coërceatur. Acies verò ſine Duce, quid aliud erit per ſe futura, niſi onus & præda. Nam ut præclarè Lactantius, lib. 1. ſi in uno exercitu tot fuerint Imperatores, quot Legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ, quot milites: primùm nec inſtrui poterit acies, unoquoque periculum recuſante: nec regi facilè, aut temperari: quòd ſuis propriis conſiliis utantur omnes Requiritur ergò ſummus aliquis totius Regni militiæ Præfectus, ad ipſius Regni Præſidium, & tutelam.

CAPVT II.

Inteſtinis, & domeſticis bellis ſedandis neceſſarius eſt ſummus aliquis Dux.

Secunda ratio.

PErge deteſtabilis
Umbra, & penates impios furiis age.
Certetur omni ſcelere, & alternâ vice
Stringantur enſes, nec ſit irarum modus.
Fratrem expaveſcat frater, & natum parens,
Gnatuſque patrem, liberi pereant malè,
Pejus tamen naſcantur; immineat viro
Infeſta conjux; effuſus omnes irriget terras cruor.
Ius omne pereat; non ſit à veſtris malis
Immune cœlum. Miſce Penates, odia, cædes,
Funera accenſe. Seneca in Thyeſte.

Non ergo extra Regni duntaxat fines ab extraneo hoſte, ſed intra ipſius gremium bella flagrant, accenſâ ſeditionum face.. Huic verò incendio extinguendo, huic inteſtino bello ſedando, requiritur neceſſariò ſummi alicujus Ducis prudentia militaris, & virtus bellica, ut præclarè demonſtrat S. Chryſoſtomus in hæc verba: *Non veni mittere pacem, ſed gladium.* Ille, inquit, gladius, eſt ſeparatio boni à malo: Tunc enim pax ſequitur, quæ decantatur ab Angelis. Tunc verò præſtatur pax; quando quod ſanæ corruptum eſt, abjicitur & abſcinditur; quando factioſa, & improba pars repellitur; aut omninò deſtruitur. Nam & hoc modo reliquum corpus conſervat Medicus facilè: ſi quod reduci ad ſanitatem non poteſt, abſciderit; & Militiæ Dux ad ſolvendam militum conſpirationem alterum in alterum concitat. Apibus, quæ ea propria natura, etſi puſillæ corpore, pugnare appetunt; Deus ipſe, Naturæ totius Auctor, Regem conſtituit, cujus imperio ad prælium adverſus rebellantes prorumpunt. Ambitio, zelus, infidelitas, populos in ſocietate civili degentes, tùm adverſus Principes, tùm adverſus concives concitant: quare ad coërcendas civiles diſcordias, Dux quidam eis præficiendus.

CAPVT III.

Neceſſariò Reipublicæ ſummus aliquis Dux præficiendus eſt, ne cives otio torpeant, ſed bello excitentur.

Tertia ratio.

PAx aliquando ipſo bello perniciosior eſt. Sic in Turre illâ Babel, ſubdit Chryſoſtomus factum videmus; quando pernitioſior illa pax, per ſalutarem

vocis diſſonantiam diſſoluta, tranquillam, atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus, eos qui adverſus ſe conſpirabant, dividebat, ac diſſipabat: Tempore verè Naboth, concordia illa quovis bello fuit atrocior. Otio Regna torpent, bello ad virtutem excitantur. Excitat pax abundantiam rerum; illa ſaturitatem, & ſuperbiam, per quam à via Domini deflectunt, & impinguati cives recalcitrant: quare juſto quidem judicio ſuſcitat Deus hoſtes, à quibus vexati ad Deum redeant. Fallis cives tuos, aiebat Meneclidi Thebanis bellum diſſuadenti Epaminondas: fallis cives tuos, cùm eos à bello avocas: otii enim nomine ſervitutem imponis. Non paratur pax, niſi bello, & qui eâ frui volunt, bello exerceri debent. Noluit olim Cato pacem, cum Carthaginenſibus inire, ut Romana plebs hoſtem haberet, quo continuò exerceretur. Vnde Carthaginem vocabat Romanæ virtutis cotem. Lacones, ut refert Plutarchus in Laconiis etiam in otio certabant, & in ipſa voluptate belli diſcrimina captabant. Vndè Venerem armatam colebant: omneſque Deos, Deaſque hâc figurâ effingebant, ut lanceam tenerent. Quid de Perſis; quos effœminatiſſimos fuiſſe apud omnes conſtat? Hi tamen, ſi fides ſit apud Herodotum, gladio accincti etiam in alta pace ambulabant; nec unquam pharetram ab humeris deponebant; ſemperque equis adhærebant. Ferebant & Parthi accinctos gladios etiam inter epulas; ut hinc appareat, quanta ſit Ducis neceſſitas: nempè ut ſubditos in arte militari, præclarè inſtituat.

CAPUT IV.

Pax & tranquillitas Regni, bello comparatur.

Quarta ratio.

PRæclarè equidem Philoſophus, cum ait, 2. polit. c. 2. Si foret civitas in aliquo loco penitùs ſeparata, & per ſeipſam beata, nulliuſque hoſtis pateret incurſui; huic certè nulla eſſet ad ſuperandos adverſarios pugnandi neceſſitas, utpotè quæ perpetuâ pace frueretur. At nulla talis unquam fit, nec futura in terris eſt. Quare perpetua nobis pugnandi, incumbit neceſſitas, ſolâque pugnâ ad pacem via patet. Quò fortè reſpexit ille, qui ex militis galea erumpens, pinxit apum examen; cum hoc Lemmatè: *Ex bello pax.* Favum mellis, in ore Leonis Samſon olim invenit. Pacis qui cupit ſuavitate frui ad bellum ſe accingat: Belli enim finis pax. Suſcipienda ergo ſunt bella, ut in pace ſine injuria vivatur, ut dicit Cicero 1. Offic. Huc fortè reſpexit antiquus ille, & Gentilis Philoſophus, qui diſſidium, & harmoniam, hoc eſt, bellum, & pacem; tanquam duo prima rerum omnium generabilium, & corruptibilium Principia agnovit: Nulla enim fit ſine aliqua pugna, diſſidio, ſeu bello, generatio. Quatuor enim elementa, quæ ad mixtorum generationem concurrunt, antequam miſceantur; & in illis pacificè quieſcant, acriter inter ſe pugnant: ſed & ipſe Chriſtus Dominus, verus Salomon, Rexque pacificus, cui in terris naſcenti Angelorum Chorus decantat, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Chriſtus, inquam, dixit diſcipulis ſuis: *Non veni mittere pacem, ſed gladium*, quia continuo cum vitiis, & concupiſcentiis carnis conflictu, vera pax cordis comparatur.

CAPUT V.

Ex bello, ſtrenuiſſimique Ducis virtute militari Regni gloria oritur, majeſtas, & perpetuitas.

Quinta ratio.

DVo ſunt, ait Polybius lib. 6. quibus omnis Reſpublica ſervatur, concordiâ domi, & in hoſtes fortitudine. Patriæ enim ſalus, & libertas civium latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis, inquit Cicero pro Muræna: quod & ipſa ratio demonſtrat, & experientia confirmat. Præſtantiſſima enim orbis terrarum Regna, ob Regum, & civium ignaviam funditùs periere. Regnum Aſſyriorum, quod Nabuchodonoſoris, & Aſſueri fortitudine florentiſſimum erat, ſub Balthaſaris ignaviſſimi Imperatoris regno ad Medos tranſiit: Romanorumque potentiſſimum Imperium, ſub Auguſtulo, nullâ virtute militari prædito ad Gothos tranſlatum eſt: Alexander ille Magnus, eximiâ ſuâ bellicâ virtute Regnum Perſarum ſubjugavit; Darius autem ignaviâ amiſit. Clodovæus primus Galliarum Rex inclytâ ſuâ Magnanimitate, Regnum adeptum ſuos ad Nepotes detulit. Carolus Magnus eâdem virtute militari conſervavit: Illudque Ludovicus noſter Magnus decimusquartus à Deo Datus eximiâ, & ſtupendâ ſuâ virtute, ultra Renum, & Alpes ampliavit. Ex bello ergo, & ſtrenui Ducis militari virtute, Regni gloria coruſcat, oritur majeſtas, & Regni perpetuitas. Nec mirum: tunc enim Regna florent, quando à nullo extraneò concutiuntur. Regis autem virtus heroïca, hoſtes terret, eorumque audaciam coërcet,

QVÆSTIO IX.

OPTIMI DUCIS VIRTVTES.

I*Nter Imperatores Virtutes enumerat Cicero, pro Lege Manilia: Laborem, in negotiis; fortitudinem, in periculis; induſtriam, in agendo; celeritatem, in conficiendo; conſilium, in providendo: quibus ego alias addo, nempè juſtitiam, modeſtiam, clementiam erga milites, & victos.*

CAPVT PRIMVM.

Virtus Bellica in optimo Duci ſummoperè deſideratur.

PRæclarè ille dixit, fortiorem eſſe cervorum gregem, qui à Leone duceretur, quàm Leonum exercitum, cui Cervus præeſſet. Tota enim exercitus virtus, ea ſtrenuiſſimi Ducis fortitudine bellicâ dependet. Ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot militum millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, ſi mens illa exercitus ſubtrahatur.

Rege incolumi mens omnibus una;
Amiſſo rupere fidem.

Virtus ergo bellica in optimo Duce maximè deſideratur, qui tùm verbo, tùm exemplo milites ad pugnam provocet, imbelles excitet, timidos reddat animoſos.

An verò Princeps belli tempore, pugnæ debeat intereſſe, controverſum eſt, quibuſdam exiſtimantibus valdè conducere, aliis contra ſentientibus: illi, vulgatum illud proferunt; *urget præſentia Turni.* Unus enim Princeps,, pro decem millibus computatur. Alexander ſuâ præſentiâ totius orbis victor evaſit, qui nedùm Ducis, ſed & militis munera exequebatur. Hi dicunt non expedire Reipublicæ Principem intereſſe pugnæ, ne cum eius interitu actum ſit de Republica; in milite unius ſors; in Imperatore univerſorum periculum. Præſtat tamen aliquando pugnæ intereſſe. Ars bellandi, ait Caſſiodorus lib. 1. epiſt. 39. Si non præluditur, cùm fuerit neceſſaria, non habetur, Diſcat ergò Dux in otio, quod perficere poſſit in bello. Animos ſubitò ad arma non erigunt, niſi qui ſe ad ipſa idoneos præmiſſâ exercitatione diſponunt. Geſtiunt vituli certamina: quæ implent ætate robuſti. Quare Princeps militaria prius exercitia ediſcet.

CAPVT II.

Virtus Bellica Religionis cultù, & morum innocentiâ roboratur.

ARcadium & Honorium hæredes Imperii Theodoſius moriens hortabatur, ut in primis religionem & pietatem colerent, aſſerens per eam, & pacem ſervari, & bella confici, & hoſtes fundi, & trophæa ſtatui, & victorias parari. Cujus rei minimè ignari Gentiles Pugnam ſemper religioſis cultu auſpicabantur, Sacrificiis Diis oblatis; vel voto concepto; nempè quòd ſi Pugna fœliciter ſuccederet vel hoſtium ſpolia, & manubias illis conſecrarent; vel ædes ſacras, aut aras, aut ſtatuas erigerent: vel ludos inſtituerent. Romani decimum prædæ, & ſpoliorum Iovi vovebant; inde Iupiter Prædator nuncupatus: Galli Marti; Græci Herculi. Præterea, pugnam inauſpicatò aggredi; nefas erat. Auſpicia verò futuri eventus, vel ex cœli oſtentis, fulmine, fulgure, & aliis hujuſmodi; vel ex avium volatu, & tripudio; vel ex quadrupedibus captabant; quæ omnia ad Religionem ſpectare; nemo inficiabitur. Huic verò ſuperſtitioni addicti erant, quòd crederent abſque Deorum ope ſingulari, bella fœliciter non poſſe perfici. Quare virtus bellica religionis cultu corroboranda eſt. A Deo enim, qui Dominus Sabbaoth, hoc eſt Dominus exercituum appellatur, Virtus militaris infunditur. A Deo fœlix omnis pugnæ exitus; qui piis armis ſemper favet, ejuſque nutu.

totus militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Quod & ipſa ratio ſimul, & experientia demonſtrant. Ratio quidem, nihil enim adeò animum extollit, nihil humana corda ſic roborat, ſicut Deum ſibi præſentem, & propitium certâ fide exiſtimare. *Pone me juxta te,* ait Regiis Vates, *& cujuſvis manus pugnet contra me: ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum, quoniam tu mecum es.* Religione verò, ſi tamen vera eſt, Deo exercituum adhæremus. Idem probat experientia. Clodovæus enim Voto Deo Chriſtianorum nuncupato, victor, è prælio ancipiti receſſit. Idem Carolo Magno, aliiſque Regibus Galliæ fœliciter evenit.

CAPVT III.

Virtus Bellica, Prudentiâ & arte militari regenda.

SCientia rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam; ait Vegetius, lib. a. de re militari c. 6. Nemo enim facilè metuit, quod ſe benè didiciſſe confidit; & in certamine bellorum exercitata paucitas, ad victoriam promptior eſt. Ruralis & indocta multitudo expoſita eſt ad cædem. Diſci ergo debet virtus bellica; aut potius regi; quod arte & prudentiâ militari comparatur, de qua ſupra fusè. Hæc autem diſciplinâ, & exercitio perficitur. Diſciplinam ex Vegetio, Polybio, Lypſio, & aliis, qui de re militari ſcripſerunt, Dux hauriet: ibi quomodo ordinari debeat exercitus; qui ſint eligendi milites, quomodo exercendi: ibi quomodo ad pugnam ſit procedendum; an dolo, an virtute, an occultè, vel aperto marte hoſtem aggredi teneatur: quàm ſevera militibus adhibenda ſit diſciplina, ne contra militiæ Leges peccent, ne in Duces facillimè rebellent, ne prædæ inhient: ibi adhuc varia bellandi ſtratagemmata, ſive ingenia: ibi quomodo obſidenda ſit civitas; quo modo foſſæ, cuniculi aggeres, minæ ſint diſponendæ: omnia denique apud illos eleganter declarata inveniet. Ibi adhuc ediſcet, ne quid in bello abſque maturo conſilio aggrediatur. Nam ut ab Euripide ſapientiſſimè dictum fertur; Conſilium magnam militum manum vincit. Paucis momentis conſilium non minus quàm fortuna effecit maxima. Arma ergo conſilio temperanda ſunt. Hinc Minerva nedùm armis, ſed & ſapientiæ præeſſe à Poëtis fingitur. Sunt quidam nimium præcipites, qui dum inferre ſe periculis volunt, ea non cavent; cùm tamen expendendum ſit, vim fortunæ, Martemque belli communem ancipitem eſſe. Sunt in aula belli faces, nobiles, quibus in pace durum eſt ſervitium; ſunt inquieti, qui nec quieſcunt ipſi; nec alios quieſcere ſinunt; ſunt qui prætextu publicæ cauſæ, bellum ſuadent, ut ex rapina ſubditorum diteſcant. His fidem Princeps non habeat, ſed ſapientiſſimis Conſultoribus. Præterea, ſecreti tenax erit; & quod in conſilio ſemel decretum eſt, non revelabit; temporis, & loci opportunitatem captabit: Lentus in conſilio, ſed velox in executione, tardè feſtinabit. Omnia denique quæ ad belli apparatum, & exercitus ſuſtentationem neceſſaria ſunt; arma, ſtipendia militum, annonam procurabit. Hæc ad diſciplinam. Cætera bellandi exercitatione conſequetur.

CAPVT IV.

Juſtitia Duci neceſſaria.

JUſtitiam ubique armatam video, quæ trutinæ lances gladio temperet, & ad æqualitatem redigat. Hæc mutuam ſibi opem præſtant. Juſtitia ſine gladio languet; gladius niſi à juſtitia regatur, nimium ſævit: *cedant arma togæ;* imo arctiſſimo concordiæ nexu inter ſe fœderentur: quid ſunt exercitus ſine juſtitia, niſi magna latrocinia? ſupremo ergò exercitus Duci juſtitia neceſſaria eſt. Unde Romanorum olim cohortes, ſella curulis, ſive judiciaria præcedebat, in qua Imperator ſedebat jus militibus dicturus, Nullibi magis, quàm in exercitu juſtitiæ exercendæ occaſio occurrit; ubi perpetuæ inter milites rixæ oriuntur. Nulli rigidiori diſciplinâ coërcendi ſunt, quàm milites, ad prædam avidi, ad

omnia

Digitized by Google

omnia ſcelera proclives, ad rebellandum facillimi, qui niſi juſtitiæ fræno cohibeantur, actum eſt de Republica, actum eſt de cauſa Principis. Nam plus nocebunt ſuis, quàm hoſtis, & deficientibus, aut expilatis regni facultatibus, tandem in Principem manum injicient. Niſi ergo juſtitia ſeverè in exercitu exerceatur, principalis diſciplinæ militaris nervus evaneſcet, qui conſiſtit in obedientia. Quia verò juſtitiæ munus eſt unicuique ſuum tribuere: Neminem ex his qui ſub ejus imperio, & pro Regni ſalute militant, debitis defraudet ſtipendiis. Sic excuſari milites non poterunt à pœna quam incurrunt, ſubditos opprimendo; ſic deprædandi nulla erit occaſio. Præterea curet ſanctiſſimas militiæ Leges à militibus inviolabiliter obſervari; quas hîc afferre ſuperfluum judico; ferè quippè innumeræ ſunt; aliæ circa annonam; aliæ circa veſtes; circa hoſpitia, circa delicta, circa excubias, circa arma, circa pugnam, & bellandi methodum.

CAPUT V.

Modeſtia Ducem maximè decet, ut nec in proſperis extollatur, nec in adverſis dejiciatur.

OMnia ſunt miſera in bellis, ait Cicero; ſed nihil miſerius, ipsâ victoriâ, quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ferociores reddit. Mutant res ſecundæ animos; itaut pauciſſimi ſint, qui ex victoria non inſoleſcant. Iuliani modeſtiam extollit Mamertinus, quòd victis hoſtibus, nobilique triumphi pompâ erectus, nihil de prioris vitæ manſuetudine, & moderatione mutaverit: vel in hoc ſolùm mutatus fuerit, quòd civilior factus, proſperorum infregerit invidiam; ſed quàm rara hæc in Victore modeſtia.

Rari nantes, in gurgite vaſto. *Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſupero, altum ſuperbo vertice attingens polum; nunc decora regni teneo, nunc ſolium patris. Bonè eſt, abundè eſt, jam ſatis eſt mihi; dimitto ſuperos, ſumma votorum attigi.* Hæc Thyeſtes apud Tragicum, victor ſuperbè de ſe jactat. Eo denique victorum inſolentia progreditur, ut humanæ ſortis obliti, divinos ambiant honores, Diique haberi velint. Hinc immaniſſima eorum in victos crudelitas, quos vel vitâ ſpoliant, vel ut viliſſima mancipia tractant.

Auream verò hanc animi moderationem Princeps ſibi facillimè comparabit; ſi primò illud Senecæ mente revolverit, Epiſt. 44. neminem Regem ex ſervis eſſe oriundum; neminem non ſervum ex Regibus. Fortunæ, ſicut & victoriæ Poëtę alas affingunt; quia facillimè avolant, ut qui olim fœlix, poſtmodum miſer, & ex victore victus evadat. Rara tamen hæc in Duce, maximè victore modeſtia. *Regi enim frænari nequit & ira*, ut dicit Seneca in Troade. *Hoſtis & victoria, gladiuſque fœlix vacors libido eſt. Quid ergo victor timere poteſt?* addit Seneca in Agamemnone, *quod non timet?* Nam ut canit Homerus Iliad. 6. *Mars communis & interimit quoque jam perimentem.*

CAPUT VI.

Fœlicitas Duci neceſſaria, & quibus viis comparatur.

FOrtuna plurimùm poteſt, inquit Julius Cæſar 3. de bello Gallico, tùm in reliquis rebus, tùm potiſſimùm in bello, & paucis momentis magnas rerum commutationes efficit; unde rectè profectò Germana illa Pictorum, Poëtarumque commenta, ut ait Pacatus, victoriam finxere pennatam, quòd hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus. Volabit ergò ad victoriam Princeps, vel ad ipſum potiùs victoria volabit, ſi fortuna ſupra illum volitet; utraque enim pennata effingitur: ad proſperos quippè belli eventus Principi non ſufficiunt virtus bellica, & prudentia; niſi faveat fortuna; quæ ſæpè & prudentiæ conſilia evertit, & bellicæ virtutis temerarios auſus infringit. Hinc apud Romanos fortunæ aurea Statua Imperatorum cubiculis apponi ſolebat, ut ſignum fœlicitatis Imperii; quam ad M. Antoninum Pius Antoninus moriturus transferri juſſit, in ſignum tranſlati Imperii; eamque Severus Imperator geminare ſtatuerat, ut ſacratiſſimum Simulachrum utrique relinqueret filiorum; ſed cùm videret mortem imminere, juſſit (ut refert Iulius Capitolinus) alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis collocari. Verùm, ut eleganter advertit Ariſtoteles 1. de moribus c. 10. id quod in humana vita maximum eſt, & pulcherrimum, nempè fœlicitatem, fortunæ committere valdè pravum eſt. Fortuna enim, vel fictitia quædam eſt divinitas, qualem cæca coluit gentilitas; vel cauſa per accidens, fortuituſque eventus; ut cum aliquis caſu & abſque propoſito theſaurum invenit. Quare riſu dignum haberi debet, quod de Antigono fertur, cui dormienti fortuna aureo filo captas urbes detulit. Non alia profectò fortuna, niſi Deus Optimus Maximus, à quo omnis victoria, & poteſtas. Ille ergò ſolus fœlix, fortunatuſque Princeps, cujus piis Votis Deus favet.

CAPVT VII.

Ars eximia, prudenter uti victoriâ.

POſt pugnam, aut victoria, aut clades; utraque intoleranda; hæc victo, illa victori qui victoriâ neſcit uti. Aliquando enim dum hoſtes fugientes acriùs quàm paſſi, inſequitur, ab illis ad pugnam redeuntibus fugatur, partamque jam victoriam perdit, quia victoriâ uti neſcivit, ut Pharaoni accidit.

Hæc ergo erit recti victoriæ uſus ars, & methodus. Primò, ut victor Deo, à quo omnis pendet victoria, gratias immenſas agat: Illique, non ſibi gloriam, quam aſſequutus eſt, referat. Quod apud Gentiles etiam in uſu fuit; qui Iovi Statori, & Victori Templa conſecrarunt, appenſis ad ejus aras hoſtium ſpoliis. Secundò, de victoria non inſoleſcat; ſuperbos enim Deus ultor inſequitur. Victorum miſerandos caſus attendat, qui poſt triumphi pompam in carcerem conjecti ſunt. Iupiter enim altitonans, qui ſuperbas domos incolit, facilè extollit, facilè etiam elatum deprimit, ait Heſiodus. Tertiò, victo pacem & vitam petenti, non deneget: *Pacem enim reduci velle, victo quidem neceſſe eſt; victori expedit.* Æqui, bonique natura jubet, ait Seneca lib. 1. de clementia, ut captivis parcatur ratione humani vinculi. Apud Sauromatas, ut ſcribit Lucianus, mos fuit hoſtem captum ſervare; nec licuiſſe eum occidere, qui clamaſſet, *Zirum*, quæ vox erat, ſeſe dedentis. Quartò, pacta cùm hoſte inita, fidemque datam ſervet. Quintò, immaniſſimum eſt, jam in fidem receptos tormentis cruciare; quod nec à Leonibus uſurpatur, qui ſubjectis corporis parcunt. Sextò, victori glorioſiſſimum captis libertatem donare, Pyrrhi exem-

Digitized by Google

plo, qui captos Romanos liberos dimiſit, dicens: *Quorum virtuti fortuna non pepercit, illorum libertati parcere decet.* Vltimò, raò militi jus prædæ, & in captos impunè ſæviendi licentiam concedit, contentus nihil ex victo, præter gloriam ſumere, ut dicit Seneca, 1. de clement.

CAPUT VIII.

Clementia Ducem ſummopere commendat.

NVllam ex omnibus virtutibus magis homini convenire, cùm nulla ſit humanior conſtat. Neceſſe eſt, ait Seneca lib. 1. de clem. c. 3. non ſolùm inter nos, qui homines, ſocialia animalia communi bono genita videri volumus; ſed etiam inter illos, reperiri, qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta, factaque ad utilitatem ſuam ſpectant. Nam ſi quietem petit & otium; hanc virtutem naturæ ſuæ nactus eſt, quæ pacem amat, & manus retinet. Nullum tamen clementia, ex omnibus magis, quàm Regem, aut Principem decet, maximè cùm victos ſuæ ſubjecit ditioni. Nam peſtifera vis eſt valere ad nocendum. *Si* egregium eſt hoſtem dejicere, ait Valerius Max. lib. 5. non minus laudabile eſt infœlicium miſereri; quia ſicut infinitam gloriam bellica virtus; ita præcipuum amorem clementia meretur. *Marcello*, ut canit Sylius Italicus, *parcere victis, pro præda fuit, & ſeſe contenta, nec ullo, ſanguine pollutis, plauſit victoria pennis.* Qui adhuc non laborat, ut charus militibus ſit, animare milites neſcit, ait Cicero, in Tuſcul. Humanitas Ducis in exercitu, fulmen eſt adverſus hoſtes.

QVÆSTIO X.

DE BELLO.

CAPUT PRIMUM.

Belli Damna.

DVlce bellum inexpertis; ſed expertis duriſſimum. Quot enim ex illo, maximè cùm iniquo jure initur, mala oriuntur? Quæ in illo dulcedo? quæ ſuavitas? quæ utilitas? Bellum dicitur per antiphraſim, quaſi minimè bellum, quòd ſit omnium malorum, quandiu graſſatur, cumulus, ſentina, lerna. Eò enim confluit colluvies facinoroſorum hominum, raptorum, adulterorum, ſicariorum, latronum, pyratarum. Funditur humanus ſanguis, & ſæpè innoxius, ex divitibus pauperes multi, communis omnium ſolitudo, inculta arua, deſerti pagi, ſubverſæ urbes, religio corrupta, vel neglecta. *Cruento cecidit in bello pater, cecidere fratres; arma non ſervant modum; nec temperari facilè, nec reprimi poteſt ſtricti enſis ira; bella delectat cruor, nihil relinquunt bella. Tum vaſtis ager ſquallebit arvis; ſubdita ſectis face, altus ſepultas obruet gentes cinis*, ait Seneca in ſtuente. Et in Thebaïde: *Agite milites; ferte arma; facibus petite penetrales Deos, frugemque flavam metite natalis ſoli. Miſcete cuncta; rapite in exilium omnia; dejicite paſſim mœnia in planum date; templis Deos obruite maculatos lares conflate; ab imo tota concidat domus, urbes concrementur.* Conſidera milites fere omnes ad prædam avidos, humanis ſanguinis ſitibundos, in Deum Sacrilegos, in homines inhumanos, propriæ patriæ infenſiſſimos hoſtes, quam ubique vaſtant, dilaniant, ſpoliant. Parum enim à latrone miles differt. Unde in Sacris paginis eodem nomine appellantur, ut cùm latronem ibi legis, ſtatim milites ſuſpicari liceat. Bellum ita poteſt definiri, quælibet impunè audendi licentia. Hinc lepidè Mars à Græcis ἄρης habet appellationem, ἀπὸ τῦ ἄρειν καὶ ἀναιρεῖν à tollendo ſeu occidendi; aut à damno. Veneris & Martis maxima concordia, ut apud Poëtas ambo ſemper conjuncti videantur. In mutuos currunt amplexus; quia libido bellum ſemper comitatur. Denique

Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

CAPUT II.

Belli commoda.

QUòd de ſcandalis, & hæreſibus Apoſtolus olim ſcripſit, dicens: *oportet hæreſes eſſe*; & Chriſtus Salvator, proprio ore protulit, *oportet ſcandala evenire*, hoc de bello licet uſurpare. Oportet bella exerceri, & hoc propter triplex commodum quòd ex bello juſto comparatur. Et quidem primò, bellum aggrediendum eſt adversùs Tyrannos; qui vi Regnum aliquod, vel aliquas ejus urbes uſurparunt. Unicuique enim licèt bona ſibi erepta recuperare; cùm hoc vero non poſſit Senatorum judicio, æquum eſt, ut bello inito illa revendicet. Secundò, adverſus Regni hoſtes licitè poteſt, imò & debet Rex aperto marte, & congregato exercitu decertare. Tertiò, adverſus Turcas qui loca Chriſti Salvatoris ſanguine purpurata quotidie prophanant. Recuperandæ Paleſtinæ, quam barbara hæc & Chriſti nomini infenſiſſima Natio per fas, & nefas à Chriſtianis, & Gallis abſtulit, S. Ludovicus bis mare trajecit cum ingenti exercitu, Saracenis juſtiſſimum bellum illaturus, Sede Deo propter Chriſtianorum ſcelera permittente, lue militari correptus, Martyr occubuit.

CAPUT III.

De Bello injuſto.

A Deo habemus dexteram, ait Chryſoſtomus homil. in Pſalm. 134, ut & nobis ipſis, & aliis injuriâ affectis opem feramus: ut ſcelera de medio tollamus; ut his quibus vis & damnum adfertur, ſimus portus, & refugium. Quomodo ergo eis venia dabitur, qui his armis utuntur, non ad ſalutem, ſed ad aliorum perniciem? Injuſti belli duæ potiſſimæ cauſæ ſunt, ambitio & avaritia, quibus addi poteſt injuriæ ulciſcendæ Cupido. Quarè in eum qui jure agere, & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam injurium, inquit Thucidides lib. 1. juſtum vero bellum, inquit Livius lib. 9. quibus neceſſarium pia arma capere; cui nulla niſi in armis relinquitur

ſpes. Nam ut dicit Auguſtinus epiſt. 5. Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur. Vndè de Verbis Domini ſubdit, apud veros Dei cultores, etiam illa bella peccata non ſunt, quæ non cupiditate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coërceantur, & boni ſubleventur. Et Cicero 1. de offic. ita bellum ſuſcipi debet, ut nihil aliud quàm pax quæſita videatur.

CAPUT IV.

De Bello juſto.

CVi bellum indicendum eſſet, aut pia, & juſta arma movenda, mos Romanus erat prius res repeti; mox bellum denunciari; quippe quod nullum putarent juſtum bellum, niſi quod rebus petitis geratur; aut antea denunciatum foret, & ſolenni more indictum. Populi ergò juſſu ad fines gentium, quibus bellum indicebatur, quatuor Feciales, quos oratores vocabant, verbenâ coronati res petitum ibant, ac Deos fœderum ultores teſtes faciebant, filoque lanæ capite velato clarâ voce unus ex illis res ſibi dari poſcebat; his verbis; *Iovem ego teſtem facio, ſi ego impiè injuſtèque illas res dedi Populo Rom. mihique expoſco patria compotem nunquam ſinas eſſe.* Quæ ſi præſtitutâ die, nempè terdena non darentur, tunc pater patratus fecialium Princeps coronatus bellum indicebat. Duo ergò requiruntur ut bellum pium ſit, & juſtum: primum, ut debitis ceremoniis indicatur; Secundò cùm vi vis illata defenditur, & uſurpata bonâ repetuntur. Bellum eſt juſtum, ait Livius lib. 9. decad. 1. quod neceſſarium eſt; & arma ſunt pia, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes. Requiritur ergo, ut ſit legitima belli ineundi cauſa quæ publicam utilitatem magis reſpiciat, quàm privatam, aut ſolius Principis væſanam libidinem. Bellum, ut ſit juſtum, pro tuenda ſuſcipi debet Republica, pro pauperum tutela, pro Fide, pro Religione vel conſervanda, vel augenda; pro aris denique & focis. Item, pro injuriis nobis, vel amicis,& confœderatis illatis; contra rebelles, ſeditioſos, inquietos, factioſos; non ſolâ regnandi libidine, vel ampliandi Regni per fas & nefas cupiditate, vel deprædandi deſiderio; vel injuriæ ulciſcendæ cauſa. Vnde Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum c.74. Quid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, & ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt,non religioſorum: culpanda nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas repellendi, libido dominandi.

CAPUT V.

Aliqua circa rectam Bellandi methodum obſervanda.

SVas habet Regulas ars bellica; ſicut & aliæ artes. Primò quidem, ad pugnam præparandi ſunt milites. Omnis quippè ars exercitatione acquiritur. Ars ut ſupra dixit Caſſiodorus, ſi non præluditur, cùm fuerit neceſſaria, non habetur. Catuli in novellis venationibus ludunt; ſic animi hominum,niſi prius leviter fuerint imbuti ad hoc quò tendunt, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pavida ſunt.; & alteri timiditas non tollitur,niſi cum rebus neceſſariis novitas tollitur. Prudentis ergò Ducis eſt milites ad pugnam præparare, eoſque prius in bellica arte diù exercere.

Secundò, cùm nullo eſt decertandum, niſi indicto prius illi bello. Bellum olim à Romanis Gentibus per Feciales indicebatur; tuncque è columna, in medio fori Boarii poſitâ, haſta à feciali in illam partem,quò bellum inferri debebatur, torquebatur. Poſtea è Martis Sacrario, aut in Curia Saliorum menſe Martio Ancylia è cœlo delapſa commovebantur. Tunc legiones conſcribebantur, & exercitus apparabatur, Templo Iani à Conſule aperto, haſtâque è Columella, ut dixi, quæ pro Bellonæ templo ſita erat, vibratâ. Deinde poſt ſolemnitatem Sacrificiorum; poſt juramentum, quo ſe pro aris & focis ad mortem uſque pugnaturos obſtringebant, & auſpiciis captis, vel ex cœlo, vel ex avium volatu, & tripudio, vel ex quadrupedibus, vel ex divis; diebuſque atris obſervatis, ad bellum animosè proficiſcebantur.

Tertiò, laboribus indurandi ſunt milites. Nemo enim dubitabit, ait Vegetius lib. 1. de re militari c.5. aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub dio, & in labore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligens, balneorum neſcia; deliciarum ignara, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre conſuetudo eſt. Ea agris ergò ſupplendum robur videtur exercitus. Vnde ex Paſtoribus & Agricolis ſtrenuiſſimi olim Duces fuere aſſumpti; quia ut dicit Ariſtoteles, optimi ſunt temperamenti, & ad labores aſſueti.

Quartò, diſciplina militaris à militibus obſervetur; primò, ut ſervatis ordinibus pugnent, nam, ut dicit Vegetius, conſtipati perdunt ſpatia pugnandi. In omni prælio non tam multitudo, quàm ars ſolet præſtare victoriam; & qui ſecundos optat eventus arte pugnet, non caſu: ordinaturus aciem tria debet ante proſpicere, ſolem pulverem, ventum, quibus viſus offenditur.

CAPUT VI.

De Pace.

SI æterna ſemper odia mortales agunt,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma fœlix teneat, infœlix paret;
Nihil relinquent bella: mox vaſtis, ager
Squallebit arvis, ſubditâ tectis face,
Altus ſepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo neceſſe eſt, Seneca in furente.

Eſt tanquam novum Ver rebus humanis pax, poſt rigidam belli Hyemem: nam coluntur agri, vernant horti, paſcuntur lætæ pecudes, ædificantur urbes, exſtruuntur oppida; inſtaurantur collapſa; ornantur, & augentur extructa, creſcunt opes, aluntur honeſtæ voluptates, vigent leges, floret Reipublicæ diſciplina,fervet religio, valet æquitas, pollet humanitas, clarent artes opificum, uberior quæſtus pauperum,ſplendidior opulentia divitum; florent honeſtiſſimarum diſciplinarum ſtudia, conditur juventus, tranquillo fruuntur otio Senes, bonis auſpiciis incumbunt virgines. Pacis tempore boni honorantur, ſuum cuique ſervatur, puniuntur mali. Quia ergo, inquit Auguſtinus, lib. de verbis Dom. non quæritur pax, ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur, eſto bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Victorem pacem inire decorum, utile, tutum, ait Lypſius in Polit. Decorum, quia magnam for-

tunam, magnus animus decet. Ignoſcendo, ait Saluſtius, Populus Romanus imperii magnitudinem auxit. Sæpè veró, ut præclarè Bernardus in epiſt. pacem contemnentes, & gloriam appetentes, pacem, & gloriam perdunt.

CAPVT VII.

Singularia certamina coërcenda & à Regnis eliminanda.

Singularia certamina; tùm apud Iudæos, qui ſub Lege Moiſis vivebant, tùm apud Romanos Gentiles, tùm apud Chriſtianos, duplici ex cauſa olim licita erant. Et quidem primò, quando ad pugnam duo exercitus accingebantur, ne tot militum ſanguis effunderetur, duo eligebantur, unus pro uno, alter pro altero exercitu, ex quorum ſingulari conflictu, penes quam partem victoria cederet, agnoſceretur. Sic David pro exercitu Saülis adverſus Goliath ex parte Philiſtinorum generosè, & fœliciter, ſpectantibus ex utraque parte hoſtibus decertavit, & eximiam victoriam retulit. Secundò cùm aliquis falsò ab alio de gravi quodam ſcelere accuſabatur, obtentâ à Rege licentiâ, accuſatus, & accuſans, coram Iudicibus, in campum prodibant, & qui adverſarium expugnaverat; innocens declarabatur.

Sed noſtris temporibus, neſcio quo furore perciti Galli, ut fortitudinem ſuam vanè oſtenderent, contra Regum edicta, contemptoque mortis, & infamiæ terrore ad ſingularia certamina quotidiè prorumpebant: quam Ludovicus XIII. Juſtus, fœlicis memoriæ, & Ludovicus XIV. à Deo Datus, væſaniam fœliciter à Regni Gallici finibus eliminarunt.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

QVÆSTIO VNICA.

DE HIS, QUÆ A SUBDITIS Principi debentur, ſive ſubditorum erga Principes, civiumque obſequia.

PROOEMIVM.

GRatiarum olim Templum Gentiles in via ſtatuebant, ut refert Ariſtoteles 5. Ethic. 8. nempè ut retributio palam, & promptè efficiatur. Quippè cùm id proprium ſit, ut & ei qui nobis gratificatus eſt, viciſſim inſerviamus, & ipſe rurſus gratificando nos provocet. Eia ergo optimi cives hoc obviantium gratiarum Templum adite? Ibi Principem veſtrum, Patriæ parentem, Sacerdotem, erga vos propitium; ibi ſupremum veſtrum Iudicem, ſtrenuiſſimumque Ducem ſuaviſſimo vultu vobis occurrentem, & in amplexus veſtros ruentem videbitis; qui prior vos innumeris cumulavit beneficijs; hunc ſi amare piget, redamare non pigeat. Iſpe enim prior dilexit. Vos huic omnia filialis pietatis obſequia rependite; ſed quid tanto principe dignum? quid Regi ſubditi reddere poſſunt, à quo totum habent, quo vivunt, quo ſapiunt, quo florent, quo vitam degant fœliciſſimam? Dijs, Parentibus, & Magiſtris nihil redditur æquivalens, ait Ariſtoteles. At princeps & Dei, cujus eſt imago, & parentis quidem patriæ, optimique magiſtri munere fungitur: Principi ergò; ut Dei in terris vicem gerenti quendam adorationis cultum; ut parenti amorem, ut magiſtro reverentiam, ut Iudici timorem, ut ſummo Duci, ſupremoque Imperatori obedientiam, & opem exhibete. Sed inprimis ſumma illis debetur reverentia; eſt enim omnibus Gentibus ingenita erga ſuos Reges, veneratio.

CAPUT PRIMVM.

Summus honor Principi, & reverentia à ſubditis debetur.

D*Eum adorate, Regem glorificate.* Vbi ſapiens Deo adorationis cultum, Regi venerationis, & glorificationis obſequium adſcribit; quia non eodem cultu Deus & Princeps honorandi ſunt. Deus ſupremum adorationis honorem, ſeu latriæ meretur; Princeps reverentiæ; quamvis & Reges adorentur, utpotè Dei imagines, ſed adoratione duliæ, non Latriæ, quæ nec ſanctis, ſed ſoli Deo debetur. Damnandi ergò eſſent ſubditi, Læſæque Majeſtatis rei habendi, qui debitam Principi reverentiam denegarent; ad hanc enim tùm humano, tùm divino jure adſtringuntur; juxta illud Apoſtoli, *cui honorem, honorem; cui tributum, tributum.* Honore dignum dico, ait Ariſtoteles; de morib. c.2. quod divinum, quod melius, ut anima, menſque quod antiquius, quod principium. Quibus omnibus titulis maximi Principi debentur honores, primò enim divinum quid in illo relucet, nempè ſuprema in terris poteſtas, juſque vitæ, & necis, quod penes Deum pleniſſimè reſidet; cujus & Princeps vices gerit, pulcherrima ejus imago. Secundò, melior ſubditis cenſeri debet; quia ſoli optimi inter homines jus imperandi habent. Tertiò, Princeps civilis corporis mens, & anima eſt, ut dicit Seneca. Quartò, jure antiquitatis ſummus honor illi debetur; quo jure parentes filiis imperant; quia ipſis antiquiores: at Princeps pater Patriæ appellatur. Vltimò, ratione Principis: quia Regni caput eſt, & inde Princeps dictus; quaſi præcipiuum caput.

CAPVT II.

Reges à ſubditis maximè honorandi, ut Dij, non adorandi.

ACcuſabantur olim à Romanis Chriſtiani, ut refert Tertulianus in Apolog, Lœſæ auguſtioris Majeſtatis, quòd Imperatores tanquam Deos non colerẽt: propterea, inquit, publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus nec vanos neque mentiẽtes, neque temerarios honores dicũt. Grande videlicet officiũ focos, & choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras: ſiccinè exprimitur publicum gaudium, per publicum dedecus. O nos meritò damnandos, quia die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus; quia caſti, & ſobrij, & probi Cæſarum gaudia celebramus! O nos perduellionis, & ſacræ majeſtatis rei, quia Cæſares, ut Deos, veſtro exemplo, non adoramus! Siquidem majori formidine, & callidiore timiditate Cæſarem obſervaris, quàm ipſum de Olympo Iouem. In civitatibus deniquè apud vos per omnes Deos, quàm per unum genium Cæſaris pejeratur: Nos Deum Imperatorem non dicimus, vel quia mentiri neſcimus; vel quia illum deridere non audemus; vel quia nec ipſe ſe Deum volet dici; ſi homo ſit, intereſt homini Deo cedere ſatis

habeat appellari Imperator. Grande & hoc nomen eſt, quod à Deo traditur. Negar illuoi Imperatorem, qui Deum dicit; niſi homo ſit, non eſt Impeiator. Minor eſſet, ſi Deus diceretur; major eſt, cùm ſe Deum non eſſe exiſtimat. Eſto religioſus in Deum, qui vis illum propitium imperatori. Deſine alium Deum credere, atque ita & hunc Deum dicere, cui Deo opus eſt. Si non de mendacio erubeſcit adulatio, ejuſmodi hominem Deum appellans, timeat ſaltem de infauſto. Maledictum eſt ante Apotheoſim Cæſarem nuncupare. Cæſaris majeſtarem infra Deum pono, magiſq; illum commendoDeo, cui ſoli ſubjicio. Suſpiciamus Cæſarem, ut eum quem Dòminus noſter elegerit. Vnum tamen Deum adoremus, unum Dominum colamus, cujus cœlum eſt& omnis creatura. Indè eſt Imperator, undè & homo antequam Imperator. Indè poteſtas illi, undè & ſpititus.

CAPUT III.

Princeps dignum ſe reddat, qui à ſubditis honoretur.

QUia familiaritas parit contemptum, Perſarum olim Regibus mos fuit, raiò in publicum procedere; ne Regia Majeſtas apud ſubditos vileſceret Quare ſemèl in anno ſeſe illis conſpicuos dabapt, & appanſo adhuc velo. Verùm ſæpè Regibus ſummopeiè nocuit, affectata illa ſolitudo, tetricumque illud ſecretum. Sui enim Principis aſpectu populus, veluti ager domini oculo, exhilaratur, diuturniori abſentiâ triſtatur; triſtitiâ verò odium paritur; ſicquePrinceps dùm diù latêre affectat, à ſubditis amari deſinit; & ubi ſuum contemptum effugere nititur, civium perdir benevolentiam: nec Deus ipſe ab hominibus amari potuiſſet, ſi nullo ſe tanta majeſtas viſibili ſigno prodidiſſet. Amor, ait Chryſoſtomus, rei amatæ præſentiam concupiſcit. Quare Deus ipſe, ut hominum fortius ſibi devinciret affectum, corpus humanum viſibile aſſumpſit, ut per viſibilia ad amorem inviſibilium raperemur. Humanitatem & civilitatem Trajani Plinius, his verbis, extollit. Conſiſtimus in aula tua, ut io communi domo, quam nuper immaniſsima bellua plurimo terrore munierat, cùm veluti quodam ſpecu incluſa propinquorum ſanguinem lamberet. Non adire quiſquam, non alloqui audebat, tenebras ſemper, ſecretumque captans; nec unquam ea ſolitudine ſua prodiens, niſi ut ſolitudinem faceret. Quantò nunc tutior eadem domus, quam frequenter adimus; quæ reſeratis foribus omnibus patet? Principem noſtrum oculi noſtri cernunt, loquentem audimus, qui omnes ſuo recrear aſpectu, ſuo fovet eloquio. Nullum ergò ea hac urbanitate Princeps timeat contemptum; ſatis ex ſe venerabilis, ſi eum vitæ candor, morumque innocentia ſummoperè cõmendaverit, virtus eſt, quæ Principem nedùm glorificat, ſed deificat. Abſit ſupèrbia & aſperitas, addit Plinius lib. 8. Epiſt. ult. nec timueris contemptum. An contemnitur, qui imperium, qui faſces habet, niſi qui humilis & ſordidus, & qui ſe primùm ipſe contemnit? Malè vim ſuam poteſtas aliorum contumeliis caperitur; malè terrore veneratio acquiritur. Numquam ab ullo periculo fortuña Principis longius abeſt, quàm ab humilitate; ut ergò Princeps à ſubditis, imò & ab omnibus honoretur, honore ſe dignum præſtet, quod regiarum virtutum cultu efficiet.

CAPUT IV.

Princeps à ſubditis amandus.

TRiplici titulo Princeps à ſubditis ſunt ſpeciali affectu diligendi. Primò, quia Dei, Regis Regum in terris vices gerunt, ejuſq; ſunt veluti ſpirantia ſimulachra. Deus autem ſupra omnia diligendus, juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Ad Principes verò hæc voa Dei ſpectat; *Ego dixi Dii eſtis.* Secundò, quia parentes ſpeciali dilectione ſunt proſequendi. Unde præceptum de parentum veneratione, & dilectione, in Decalogo, præcepto de cultu, & dilectione Dei, immediatè ſubjungitur; Principes verò Patres ſunt Patriæ. Tertiò, quia Principes pro ſalute & quiete regni vigilant, & laborant. Subditorum, inquit Seneca ad Polyb. ſomnos, Principis vigilantia defendit: omnium ocium, illius labor; omnium delitias, illius induſtria, omnium vacationem illius occupario: Sicque maximo imperio maxima cura ineſt, quæ ſubditorum corda ad amandos Principes debet allicere. Officia feræ ſentiunt, nullumque eſt animal adeò feroa, quod cura non mitiget. Ora Leonum à Magiſtris impunè tractantur. Leonibus ergò ferociores eſſent ſubditi, qui Principes ſaluti eorum invigilantes odio haberent.

CAPUT V.

Princeps ſubditos ſuos, tanquam Pater, diligat; ut ab illis tanquam filius ametur.

MAlè terrore veneratio acquiritur, ait Plinius lib. 8. epiſt. ultima, longèque valentior amor ad obtinendum quòd velis, quàm timor. Nam timor abit, ſi recedas; manet verò amor: ita ut ille in odium, hic in reverentiam revertatur. Infauſta hæc, nec Regis, ſed Tyranni voa: *Oderint modò timeant*, Vt autem Princeps à ſubditis ametur, ſubditos ipſe ſuos amet juxta commune illud eloquium; ſi vis amari, ama. Amor enim amoris illex eſt, & incentivum, nec alio poteſt verus amor, & ſincerus, proēmio, quàm amore compenſari; triplici verò titulo Princeps ſubditos ſuos tenetur amare, Primò, quia pater filios ſuos naturali affectu diligit; Princeps verò legitimus Pater eſt patriæ, & ſubditorum. Secundò, quia Deus, cujus eſt ſpirans imago, nihil odit eorum quæ fecit. Tertiò, quia ſubditi ſaluti Principum invigilant, parati pro ea tuenda, ſanguinem fundere.

Abſit ergo à Rege, Patre patriæ, Dei in terris vices gerente, quem ſacra Olei Unctio ad amorem, clementiam, & miſericordiam erga ſubditos invitant, abſit, inquam, omnis ſævitia, quæ tyrannicam ſpirat indolem; ſubditos, ut proprios filios diligat, eorum miſeriis, & paupertati ſubveniat, tunc ab illis diligi, & coli merebitur. Amor incentivum eſt amoris.

CAPUT VI.

Princeps à ſubditis timeatur.

HAbendus metus eſt, aut faciendus, ait Saluſtius. Omni enim populo, ut dicit Plutarchus in po-

ſitic. ineſt malignum quiddam, & querulum in imperantes. Quare,ut cauit Tragicus, *regnare non vult, eſſe qui invifus timet*. Hæc duo ſimul fortuna junxit, *odium, & regnum*. Propter tria verò Princeps eſt timendus: Primò, quia gladium portat, & à Deo vindex ſcelerum couſtituius eſt. Secundò, quia timore improborum effrænis audacia coërcetur. Tertiò, quia ipſe etiam Deus, cujus in terris vices gerit, ab omnibus vult timeri; à bonis timore filiali, à malis timore ſervili. Et in Sacris Paginis Deus antonomaſtice, nedum timendus, ſed & timor Jacob appellatur. Timor ſubditorum erga Principes, cuſtodia eſt Legum, ſecuritas Regni, ſalus publica. Sic tamen à ſubditis Princeps debet timeri, ut ab illis ametur. Timor enim caſtus, & filialis amorem non eapellit, & in eadem ſede morantur Majeſtas, quæ timorem infert, & amor qui timorem non aufert; timor enim filialis à charitate procedit.

CAPVT VII.

Princeps à ſubditis magis amari deſideret, quàm timeri.

VIrtus duplex Regnorum eſt ſervatria, benevolentia ſubditorum erga Reges, & Regum potentia mediocriter & paterne eaercita erga ſubditos. Benevolentia ſubditorum in Regem, eſt prompta inclinatio, & amor, quem Princeps facillimè ſibi comparabit: ſi cum civibus, ut dicit Plinius in Paneg. quaſi parens cum liberis vivat; qui nec totam ſervitutem pati poſſint, ut dicit Tacitus 1. Hiſt. nec totam libertatem; ut domini pareant, non ut ſerviant. *Qui vult amari languidâ regnet manu; invifa nunquam imperia retinentur diu.* Seneca in Tebaïde Tyrannica hæc voa; oderint, modò metuant. Nam ut præclatè Claudianus de 4. Honorii Conſul.

Qui terret plus ipſe timet ſors iſta Tyrannis
Convenit; invideant claris, forteſque trucident;
Munitique gladiis vivant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.

Quid mirabilius, ait Seneca lib. 1. de Clement. c.5. quàm eum, cujus iræ nihil obſtat, ipſum ſibi manum injicere, & poteſtate ſuâ in melius, placidiuſque uti? Magnam fortunam magnus animus decet. Magni animi proprium eſt, placidum eſſe, tranquillumque, & injurias ſemper deſpicere. Muliebre eſt, furere in ira: ferarum verò generoſarum nec quidem præmordere, & urgere projectos. Non ideò quædam, quia terribiliora, potentiora ſunt, addit Seneca lib. 2. de ira c. 11. nec hoc ſapientis dici velim, quod feræ quoque eſt timeri. Quid? non ne timetur febris, podagra, hulcus malum? numquid ideò quicquam in iſtis boni eſt? an contra omnia deſpecta, & fœda, & turpia timentur? Quid quod ſemper in auctores redundat timor, nec quiſquam metuitur niſi, qui ſecurus eſt. Abſit ergo à Principe hæc feritas, ut malit à ſubditis timeri, quàm amari. O miſerabilem illum, exclamat idem Seneca ſibi enim certè, nam cæteris miſereri ejus nefas eſt, qui cœdibus, ac rapinis potentiam eaercuit, qui ſuſpecta ſibi cuncta reddidit, tam externa, quàm domeſtica, cùm arma metuat, ad arma confugiens, amicorum fidei minimè credens, nec liberorum pietati.

CAPVT VIII.

Subditi æquis Regum Legibus obtemperent.

NAbuchodonoſor totius orbis Imperator, ſtatuam auream in campo Dura erexit, juſſitque ut omnes illam adorarent. Accedentes autem Chaldæi, Danielem & ſocios accuſarunt, quòd ſtatuam illam non adorarent, quibus dixit Nabuchodonoſor, cur præcepto meo parère recuſatis? cui Daniel cum ſociis, Deus noſter unus eſt, rerum omnium Conditor; hunc ſolum colimus, non idola veſtra, quæ dæmonia ſunt; Deo, non dæmoni ſervimus; ſolius Dei præceptis obtemperamus, non legibus veſtris iniquiſſimis. Idem Machabæi olim in veteri Moſeos Lege; idem innumeri Martyres in Lege nova Tyrannis reſpondebant, cùm ab illis ad colenda Deorum ſimulachra, vel blanditiis, vel tormentorum acerbitate cogerentur, reſpondebant. Lex Chriſtiana obedientiam erga Principes legitimos, etſi Gentiles, & Paganus non prohibet: Apoſtolus enim Paulus dicit; *obedite præpoſitis veſtris, etiam diſcolis; omnis enim poteſtas à Deo eſt, & quæ ordinata ſunt, à Deo ordinata ſunt; qui verò Dei ordinationi reſiſtit, Deo reſiſtit.* Deus Reges ſtatuit; juxta illud, *per me Reges regnant*. Hæc eſt ergò Dei voluntas, & ordinatio, ut Regibus ſubditi obedientiam, quam voverunt præſtent. Verùm ſupremam in ſubditos auctoritatem Reges à Deo receperunt, non in ejus cultus contemptum, ſed potius ad eum tuendum. Cùm ergò aliquid contra veram religionem, verumque Dei cultum præcipiunt, ratio etiam naturalis vetat, ut iniquis eorum præceptis ſubditi obtemperent; tuncque certiſſimum eſt, meliùs eſſe, Deo obedire, quàm iniquis Principibus. Deus enim Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium, cui Reges ipſi parère debent.

CAPVT IX.

Princeps, ſubditis, ut filiis, non ut ſervis imperet.

TV civem Patremque geras, tu Conſule cunctis
Non tibi, nec tua te moveant, ſed publica damna.

Hæc Claudianus ad Honorium Imper. & Plinius lib. 8. epiſt. ad Maximum: cogita te miſſum in Provinciam, in qua primùm humanitas, & litteræ inventæ ſunt, id eſt, ad homines maximè liberos, qui jus à natura datum, virtute, meritis, amicitiâ, fœdere, ac religione tenuerunt; nihil ex cujuſquam libertate decerpſeris. Quid libertate perfectiùs; quid Regiâ gubernatione civilius? Quàm turpe, ſi civile regimen tyrannide, ſi libertas, ſervitute mutetur? Timeant ſubditi, modò imperem: ò vocem infauſtam, nec Rege, vel Imperatore dignam! Deus Rex Regum, mavult à nobis amari, quàm timeri; omnes timet, etiam proprios filios, qui timeri vult, non amari. Quo miſerando vitæ fine Nero, qui hanc vocem protulit, periit; quo Claudius, quo cæteri Romani Imperatores, qui civium cœde lætabantur periere, Infauſtâ nece à ſuis etiam Prætorianis militibus trucidari. Reges vel à Deo, vel populorum ſuffragio electi ſunt ut ſubditos, tanquam filios regant, paterno non deſpotico dominio. Tyrannus eſt, qui patrem exuit, nec ſubditis meretur imperare, quos ut viliſſima mancipia tractat. Feras etiam immaniſſimas, crudeles Principes reſpiciant: hæc in ſimiles; & ejuſdem ſpeciei feras non ſæviunt, Reges homines ſunt; ſubditos ergò tanquam ſibi ſimiles paterno proſequantur affectu.

CAPUT X.

Subditi Principibus, & Regibus Tributa ſolvant.

PHariſæi juncti Herodianis, ut Chriſtum Dominum caperent in ſermone, hanc illi quæſtionem propoſuerunt, an liceret, cenſum pendere Cæſari? necne? quæ verba exponens Chryſoſtomus homil. 25. in Mathæum. Iſti, inquit, Chriſtum expugnare cupientes, convenienter non ad ſervos Dei religioſos; ſed ad Gentiles, id eſt ad Herodianos ſe contulerunt; quale Conſilium, tales & Conſiliatores. Quis autem poterat dare Conſilium contra Chriſtum, niſi Diabolus, qui erat adverſarius Chriſti? *Sed ſapientiam non vincet malitia*; nec adverſus Chriſtum, qui Æterni Patris increata eſt, & incarnata Sapientia, Dæmonis, ſuorumque prævalebit aſtutia, ſed impiorum fraudulentum Conſilium peribit. Audiamus ergò quid Phariſæis Chriſtus reſponderit. *Oſtendite mihi*, inquit, *numiſma*. Denario autem argenteo in quo ſculpta erat imago Cæſaris, illi ab eis oblato, dixit Jeſus; *Cujus eſt hæc imago?* Illis verò reſpondentibus, *Cæſaris hæc eſt imago*; *quæ ergò ſunt Cæſaris, reddite Cæſari*, ait Chriſtus, *& quæ ſunt Dei Deo*. Et hoc reſponſo Phariſæorum malitia victa eſt, & deluſa falſa ſapientia. Regna Chriſtus mortalia non eripit, qui regna dat cœleſtia; nec Principum, quos in terris conſtituit, jura impugnat; ſed verbo, ſimul & exemplo confirmat. Cùm enim navem ingreſſus, ut transfretaret in Galilæam, ab eo, qui tributum Cæſari debitum exigebat, compelleretur ad ſolvendum vectigal, nec quidem ipſe denarium haberet: Petro præcepit, ut rete jaceret in mare, quo jacto, & extracto, piſcem, & in ejus ore nummum extraxit, quem pro ſe, ac ſociis ſolvit. Non ergò Chriſtus prohibet dari cenſum Cæſari, nec Regibus tributa reddi, qui cenſum illis eſſe ſolvendum patrato miraculo confirmat. Vndè Apoſtolus à Chriſto edoctus, epiſt. ad Roman. c. 13. *Neceſſitate Principibus veſtris ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideò enim & tributa præſtatis, Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.* Præclarè equidem Demoſthenes, *opus*, inquit, *ſunt opes*, & & ſine opibus nihil fiet quod opus. Opes nervi ſunt imperii, ait Marcianus. *Reddite ergò omnibus debita cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*: quod & Lex naturæ præcipit. Reges enim pro ſalute Regni invigilant, & laborant: ad ferenda ergò Regni onera, ſubiti ex juſtitia tenentur tributa illis ſolvere.

CAPUT XI.

Princeps æqua ſubditis tributa imponat.

PEſſimè ex Cæſaribus plerique populi Romani odium meruérunt, eo quòd nova, & inaudita tributa ſubditis impoſuiſſent; itaut ex vrina, & fimo vectigalia exigerent; unde illud Caligulæ reſponſum; bonus odor lucri ex quacunque re; quod tyrannidem ſonat. Sciat ergò Princeps, inquit Seneca lib. de Clementia, non tam ſubditorum ſervitutem illi traditam, quàm tutelam; nec tam Rempublicam illius eſſe; ſed illum Reipublicæ. Optimus Princeps, ut dicit Plinius in Panegyr. ſibi accreſcere putat, quod cuique adſtruitur, nullamque in eo, ponit gloriam, quod ſit major omnibus, niſi maximi fuerint, quibus major eſt. Nihil largiatur Princeps, dùm nihil auferat: Neque enim unquam, inquit, Cicero 2. offic. tanta ſtudia aſſequetur donando, quanta odia eorum quibus ademeris. Potes hoc Cæſar prædicare audacter omnium, quæ in fidem tuam, & tutelam advenerunt, nihil per te, neque vi, neque clam Reipublicæ, ereptum. Rariſſimam laudem, & nulli adhuc Principum conceſſam, concupiſti juſtitiam, & innocentiam. Hæc Seneca lib. 1. de Clementia c. 1. Turpiter Neroni adulando profert, quæ Regibus Galliæ, noſtroque Ludovico decimoquarto à Deo-Dato, potiori longè jure debentur. Cui, & ea quæ Seneca ad Neronis laudem iniquè tribuit, juſtè tribui poſſunt. Non perdis operam, nec bonitas iſta tua ſingularis, ingratos, aut malignos æſtimatores nacta eſt. Refertur tibi gratia. Nemo unus homo, tam carus unquam fuit, quàm tu Populo Romano.

CAPUT XII.

Subditi Principis vitam, cum propria etiam vita periculo tueantur.

TYranno & Regi hoc commune quidem eſt, ambo cuſtodiam habeat; cum hoc tamen diſcrimine, quòd ille ab extraneis, hic à propriis civibus cuſtoditur. Neque enim ille ſubditis quos odit, & à quibus odio habetur, ſeipſum credit; hic civibus ſuis, utpotè filiis fidit, qui eo alacrius vitam propriam, pro ſui Principis tutela morti etiam objiciunt, quod illam, non tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciant; ut præclarè dicit Seneca. Et hæc prima ratio eſt, cur à ſubditis Principes debeant cuſtodiri: Gratitudinis enim Leges hoc exigunt, ut par pari reddatur. Cùm ergò Princeps ſubditorum ſaluti invigilet, æquum eſt, ut ſubditi Principis cuſtodiæ incumbant. Quod & alia ratio ſuadet. Regnum & odium ſimul Deus miſcuit. Nemo enim, ait Salluſtius, alteri imperium volens concedit, & quamvis bonus, & clemens ſit, qui plus prodeſt; tamen quia malum eſſe licet, formidatur; ideòque Regnum inſidiis eſt obnoxium. Ne ergò Rex improborum, & æmulorum facinoroſis auſibus pateat, à ſubditis debet cuſtodiri. Suam in hoc incolumitatem amant, ait Seneca lib. 1. de Clement. quandò pro ejus tutela ferro hoſtili corpora ſua objiciunt. Quemadmodùm enim totum corpus animo deſervit, & licet in occulto maneat, & in hoc tantò major, tantòque ſpecioſior, illi tamen manus, pedes, oculi negotium gerunt; illum hæc cutis munit; illius juſſu jacemus, aut inquieti diſcurrimus; cùm ille imperavit, ſive avarus Dominus eſt, mare lucri cauſâ ſcrutamur; ſive ambitioſus, flammis corpus objicimus: ſi hæc immenſa membrorum multitudo, unius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur; illius ratione flectitur preſſura ſe, ac fractura viribus ſuis; quid non pro Regis tuenda ſalute ſubditi agere, & pati debent: ipſe enim vinculum eſt, per quod Regnum cohæret: ille ſpiritus vitalis, quem cives omnes trahunt; per ſe nihil futuri, niſi onus, & præda, ſi mens illa imperii, & anima ſubtrahatur. Undè non eſt mirum, Principes, Regeſque, publici ſtatus tutores ultra privatas omnes neceſſitudines amari. Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſunt, ſequitur, ut is quoque carior ſit, qui totius Reipublicæ curam gerit.

CAPUT

CAPVT. XIII.

Optima Regis cuſtodia, innocentia civiumque amor.

PErſarum olim Reges, ut refert Ariſtoteles, lib. de mundo, Janitores, & Emiſſarios habebant, quorum alii circa ſepta Regiæ eacubias agerent; alii Regiam perſonam ſtiparent: quod apud omnes in uſu ſemper fuit; nempè Regum cuſtodiæ intendere. Et hoc jure naturali cautum eſt. In corpore enim cætera membra capitis tutelæ invigilant, ut ſi quod illi periculum immineat, ſtatim manus illud avertant. Apes dies noctéque circa Regis cubile eacubias agunt; quia ut canit Virgilius,

Rege incolumi mens omnibus una
Amiſſo rupere fidem. 1. Georg.

Sacra ergo Regis perſona à civibus religiosè cuſtodienda eſt, ne quid detrimenti patiatur: veriſſimum tamen cenſeo, quod præclarè advertit Plinius in Paneg. Experimento diſcimus, fideliſſimam eſſe cuſtodiam Principis, ipſius innocentiam. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non agere: Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit; armis enim arma irritantur. Pontanus vir ſapientiâ clariſſimus olim dixiſſe, fertur, amorem inermem quidem incedere, dormire tamen loricatum: ut hinc, inquit, diſcas, ſatis benè tutum eſſe Principem, quem civium benevolentia tuetur. Magnum inter Regem, Tyrannumque diſcrimen eſt, ait Seneca lib. 1. de clement. c. 12. uterque licet, non minus armis valletur: ſed alter, ut magno timore magna odia compeſcat, arma habet; alter in munimentum pacis, armis utitur. Nec illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, Tyrannus ſecurus aſpicit, contrariis in contraria agitur. Nam & invisſus eſt, quia timetur, & timeri vult, quia inviſus eſt, & illo execrabili verſu, qui multos dedit præcipites, utitur; *oderint, dum metuant*, ignarus quanta rabies oriatur, ubi ſupra modum odia creverunt. Optima ergo Regum cuſtodia, amor ſubditorum, Regumque mutua benevolentia, & clementia.



LIBER VIII.

DE MUTATIONE, ET INTERITU Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum.

QUÆSTIO UNICA.

CAPUT PRIMUM.

Terrenæ Imperia continuò mutantur, corrumpuntur intereunt.

NUNCIATO Coloniæ Lugdunenſis incendio, quæ unius noctis ſpatio in cineres redacta fuerat, in hæc verba prorumpit Seneca, epiſt. 9. Pulcherrima opera, quæ ſingulas illuſtrare urbes poſſent, una nox ſtravit. Quis hoc credat? quieſcentibus armis, Lugdunum, quod oſtendebatur in Gallia, quæritur. Nulla res magna non aliquod habuit ruinæ ſuæ ſpatium: in hac, una nox interfuit inter urbem maximam, & nullam: Denique diutius illam tibi periiſſe, quam periit narro, Nihil ergò publicè ſtabile eſt: tam hominum, quàm urbium, & Regnorum fata volvuntur. Quæ domeſticis bellis ſteterant Regna; quæ externis, impellente nullo, propriæ fragilitatis pondere ruunt. Quota quæque fœlicitatem civitas diu pertulit? Tota ante oculos ſortis humanæ conditio ponatur. Quoties Aſiæ; quoties Achaiæ urbes, uno tremore ceciderunt? Caſura omnia extant; omnibus exitus manet: ipſique etiam mundo ſuus imminet interitus. Enumerare omnes fatorum vias, longum eſt. Hoc unum ſcio omnia mortalium opera mortalitate damnata ſunt; inter peritura vivimus. Fortuna ubique imperat; & adverſus Imperia idem habet juris, quod adverſus imperantes; adverſus urbes, quod adverſus homines. Suos paritur morbos civile còrpus, ſicut & naturale; idem de urbibus, quod de urbium incolis dico. Mutantur quotitie cives, mutati alterantur; alterati corrumpuntur, & intereunt; mutantur & civitates, quæ ex civibus; mutantur Regna, quæ ex civitatibus conſtant; mutatæ alterantur, & pereunt. Orbem ſibi pro inſigni ſupremæ poteſtatis Imperatores ſolent eligere: fortè, quia toti terrarum orbi imperant. Verùm ab hoc omen capio Regnorum omnium terrenorum mutabilitatis, & interitus. Figura orbicularis, & ſphærica facillimè voluitur; ad motum aptiſſima, quæ nullo ferè impellente rotatur. Hinc fortunæ, quæ Regnis maximè præeſſe exiſtimatur, rota tribuitur. Nihil Regnis, & Regibus mutabilius; nihil levius. *Feci tranſire Regem Samariæ, ſicut ſpumam maris*, ait Dominus, *Sedet Dominus Rex in æternum ſuper gyrum terræ*; *Ludens in orbe terrarum*. Sapient. 8. Metaphorâ ex Pilæ ludo deſumptâ, inquit Lyranus, quæ huc illucque tranſmittitur: Regna enim, & Imperia transfert Deus de gente in gentem; veluti tot pilas, quibus ludit in orbe terrarum. Homo enim ludus Deorum eſt, ut Platoni placuit. Ante Macedonum Imperia, inquit Philo, inclyta fuerat Perſarum fœlicitas; ſed una dies tam ingenti Regno finem attulit. Fuit Ægyptiorum perampla potentia; ſed nubis in modum ejus fœlicitas præteriit. Quid Æthiopes? Quid Carthago? Quid Affrica? ut compendio dicam, totus orbis habitabilis, nunc more navis jactatæ marinis fluctibus, nunc adverſis, nunc ſecundis ventis agitatur: Verbum Divinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumluſtrando; nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit. Undè nunc æſtuanti oceano, modò ventis, modò quadrigis, & curruum rotis in Sacra Scriptura Regna comparantur.

CAPUT II.

De cauſis mutationis, & interitus Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum: Quarum aliæ ſunt externæ, aliæ internæ; aliæ naturales, aliæ violentæ.

Fert animus cauſas tantarum expromere rerum;
Immenſumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum; quid pacem excuſſerit orbi;
Invida fatorum ſeries, ſummiſque negatum
Stare diu, nimioque graves ſub pondere lapſus
Lucanus lib. 1.

Quatuor hic præcipuas Regnorum mutationis, & interitus cauſas deſcribit Lucanus, quarum duæ internæ, & naturales ſunt; duæ externæ, & violentæ. Internas, & naturales ultima verba indicant,

Summiſque negatum
Stare diu; nimioque graves ſub pondere lapſus:

Et externas, & violentas priores verſus complectuntur; invidam nempe fatorum ſeriem; populorumque innatam pugnandi cupiditatem. Ad has cæteræ omnes reducuntur, de quibus infrà.

Et in hoc ſtat ſupra à nobis ſæpè adducta civilis corporis cum naturali comparatio. Corpus enim naturale, ut præclarè oſtendit Ariſtoteles, vel vi exterius illatâ; vel à principiis internis corrumpitur; violentâque, vel naturali morte interit. Vim illi inferunt vulnera hoſtili manu inflicta: elementorum injuriæ, ſyderum lethales influxus. Ab intrinſeco laborat, alteratur, & tandem corrumpitur; primò ex innato materiæ primæ ad novas formas appetitu. Secundò, ex diverſarum partium compage; quam tandem deſtrui neceſſe eſt; quia omne compoſitum in partes componentes ſolvitur. Tertiò, ex continua quatuor humorum pugna. Quartò, ex morboſis qualitatibus. Quintò, ex noxio temperamento, & inæquali partium conformatione. Sextò, ex nimia crapula, venere, ſomno, & ocio. Septimò, ex inordinatis affectuum motibus, unde peccatorum, & vitiorum horrenda colluvies; quibus, homo olim immortalis & inexterminabilis à Deo pro ſummo

gratiæ muuete creatus, mortem fugientem ad ſe acceſivit, ut dicit Sapiens. Ubi etiam adverte præcipuos corporis morbos, ex mala capitis valetudine proficiſci. Iiſdem civile Reipublicæ, vel Regni corpus modis alteratur, & interit. Primò quidem, vi exterius illata. Hæc verò vel hoſtili hominum manu infertur, vel ferarum infeſtatione: vel elementorum injuria; vel fatali, ut quibuſdam placet, ſyderum influxu; vel, ut meliùs, & ut juata Chriſtiauæ Doctrinæ dogmata loquat, alto quodam, & æquo Divinæ Providentiæ judicio. A principiis intrinſecis corrumpitur; Primò, ex innata civium mutabilitate, levitate, rerumque uovarum appetitu; quo veluti materia prima novi regimitis formas affectat. Secundò, ea parùm firmâ tot membrorum compage, quæ modico temporis ſpatio conſiſtere poteſt, cùm omne compoſitum in ſuas pàrtes tandem ſolvarur. Reſpublica ingens quædam veluti Machina eſt, quæ tot ex parribus componitur, quot ſunt cives, Magiſtratus, Principes, & optimates. Tertiò, ex continuis civium, vel inter ſe, vel cum Principe diſſidiis, factionibus, & conjurationibus: *Regnum autem diviſum in ſe, deſolabitur.* Quartò, ex uoxio temperamento, & inæquali partium conformatione; hoc eſt, ex iniquo Ptiucipis tegimine, vel nimiâ civium inæqualitate; quæ accidit; cùm aliqui ex inordinata Principum benevolentiâ adeò ſupra cæteros extolluntur; ut penes illos ſit toia Regni adminiſtratio; ſoli ad gerendos Magiſtratus eligantur; ſoli divitias, & ampliſſima latitundia poſſideant; aliis ab officiis publicis in perpetuum ejectis, graviſſimoque egeſtatis, & infamiæ pondere oppreſſis. Aliquando etiam ea immenſa Regni magnitudine; quæ propriâ mole ruit. Quintò, ex morboſis qualitatibus, tùm capitis, tùm membrorum: hoc eſt ex Principis ſævitia, crudelitate, ſuperbiâ, avaritiâ: & ſubditorum in Principem odio, contemptu proterviâ, & rebellione. Seatò, ex aliis tùm Principis, tùm ſubditorum vitiis, & inordinatis affectuum motibus; nimia ſcilicet crapula, venere, ocio, ſed præcipuè, ex Divini cultus incuriâ, & in Deum impietate. Hi verò ferè omnes, civilis corporis morbi, ea capitis mala valetudine; hòc eſt, ea Principis vitiis, pravo exemplo, & iniquo oriuntur tegimine.

CAPUT III.

De externis Regnorum, & Rerumpublicarum mutationis, & interitus cauſis. Et quidem primò, de fatali ſyderum influxu.

HÆc data eſt Lex mundo, ut omnia orta occidant & aucta ſeneſcant, ait Ambroſius. Fatali huic Legi non à fato, quale Genriles commenti ſunt, latæ, nec ſyderum influau ſancitæ, ſed Dei manu exaratæ Regna omnia parent. Suæ enim durationis certa, & finita habent ſpatia, & ut ortus illis aliquando fuit, ſic futurus occaſus. Romanis ſordidâ & infami adulatione Poëta olim adblandiebatur, dicens: *Imperium ſine fine dedit.* Romana quippè Reſpublica, primò, ſub Regibus fundata: Deinde ſub ſtatu populari propagata: Tertiò, ſub Ariſtocratia firmata: Ultimò, ſub unius Imperatoris regimine redacta finem habuit; tranſlatâ in Eccleſiaſticum Imperium ſupremâ illius poteſtate. Nec hoc Gentiles latuit. Ita enim Cenſorinus: Quot, inquit, ſæcula urbi Romæ debeantur, dicere meum non eſt; ſed quid apud Varronem legerim, non tacebo; qui libro antiq. 22. ait, fuiſſe virum Romæ, in augurio non ignobilem ingenio; eumque ſe audiviſſe dicentem; ſi ita eſſet, ut tradebant Hiſtorici de Romuli urbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturibus; quoniam centum viginti annos incolumis præteriſſet, populum Romanum ad mille annos, & ducenros perventurum. Obſervarunt Hiſtoriographi per ſingula ſæcula Regna vel innovari quoad civilis regiminis formam, & Religionis cultum, vel ad alios alteriuſque ſtirpis Reges transferri. Suæ ergò durationis periodos, & fines determinatos Regna habent, & Reſpublicæ. An verò id fato, quale ab Ethnicis commentum eſt, vel ſyderum influxu fiat, diſſident in hoc Gentiles à Chriſtianis Philoſophis. Manilius Aſtrologiæ petitiſſimus fato illud adſcribit:

Fata, inquit, *regunt orbem, certa ſtant omnia lege*

Longaque per certos ſignantur tempora curſus.

Quod aliqui variis circa Regnorum mutationes, & occaſus oraculis, & prædictionibus confirmare conantur. Quo tempore Arx Troiæ ædificabatur, fertur cecidiſſe de cœlo Palladis ſimulachrum, quod Palladium dictum eſt; de quo reſponſum ab Apolline acceperunt, tandiu urbem incolumem, & regnum fore, quandiu ſimulachrum illud intra mœnia ſervaretur; quo tandem capto ab Ulyſſe & Diomede, Troia à Græcis deleta eſt, ut refert Virgilius. Numæ Pompilii tempore Ancyle, id eſt, breve ſcutum rotundum de cœlo deſcendit futuræ Romaoorum Monarchiæ prognoſticum. Circumferebatur Oraculum tempore Alexandri Magni, fatalem eſſe nodum Lori Gordii Regibus Phrygiæ, ut qui eum diſſolveret, eſſet Regno Phrygiæ, totiuſque Aſiæ potiturus: quo poſtea ab Alexandro ſoluto, Vaticinium impletum eſt, Aſiâ ab ipſo devictâ. Olim oraculum innotuit, tùnc rem Romanam ruituram, cum & Balbus, & avariſſimus Princeps imperaret; cujus fidem eventus comprobavit, ſubductâ à Michaëlis Trauli, ſeu Balbi ſucceſſoribus media parte Imperii, quâ Græci olim potiebantur, & ad Carolum Magnum tranſlatâ.

Verùm negamus hujuſmodi regnorum mutationes, vel tranſlationes, & interitus vi farorum fieri, ſed ſummi Numinis providentiâ, quâ Imperia cuncta reguntur. Hoc Chriſtianorum fatum; hæc fatalis, non neceſſaria, ſed infallibilis, & certiſſima Divinorum Decretorum conſtitutio. Fato enim à fando: Deus autem mundum, quem ſua infinitâ potentiâ condidit, verbo, ſummâque ratione gubernat. Nec oracula, quibus Regnorum mutationes; & caſus prænunciantur expungimus; ſed hæc à Divinis Vatibus, ſeu Prophetis Deo revelante edita, non à fato vel Stellarum litteris conſcripta, vel Dæmonium inſpitatione pronunciata recipimus. Revelavit enim Deus Danieli fururam Perſici Regni everſionem, & inclytam Alexandri Magni victoriam, per viſionem Arietis, & Hirci: Itemque Nabuchodonoſori prædixit quatuor Monarchiarum ruinam, & in Chriſtianorum Imperium tranſlationem per viſionem ſtatuæ aureæ, argenteæ, æreæ, & ferreæ.

Quid verò de ſyderum influxu ſentiendum ſit; an illis adſcribi debeat Regnorum mutatio, & interitus? Aliqui non negabunt, qui fatalem in illis vim in humanas etiam mentes, liberoſque actus agnoſcunt. Verùm hæc Chriſtianæ, & Orthodoxæ fidei præceptis repugnant. Fateor ſydera in corpora per ſe, & directè influere, in animas rationales indirectè: paremque in Regna, & Reſpublicas, quæ ex hominibus componuntur, habere influxum. Non aſſen-

tiot tamen hæc ita cœlorum influxui ſubjici, ut penes illos ſit eorum mutationum propria; & vera cauſa. Quod nec Gentiles latuit. Quidquid fit, ait Seoeca lib. 2. q. natur. c. 32. alicujus tei futuræ ſignum eſt. Quid tu? tor millia ſyderum judicas otioſa lucere? fulmina, Cometæ, & alia hujuſmodi aëris phœnomena, futura portendunt; nec unius tantùm, aut alterius rei ſigna daot, ſed ſæpè totum ſatotum ſequentium ordinem nunciant; & quidem decretis evidentibus, longéque clarioribus, quàm ſi ſeriberentur; nec tam, quia ſacta ſunt, ſignificant; ſed quia ſignificatura ſunt, fiunt. Quomodò ergò ſignificant, oiſi à Deo mittantur. Et alibi apertè docet, cœlorum portenta, fulmina oempè, Cometes, futurotum ſigna eſſe, non cauſas: Et indè porteota appellari, quòd futurum aliquid portendant. Quod certè Sacris Paginis maximè conſonat; ubi ſydera à Deo creata dicuntur, ut ſint *in ſigna temporum.* Cometam ſignum laboris, multique belli, & vaſtatiouis vocat Sibylla lib. 8. oracul.

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther,
Labenteſque rapis populos, totaſque per urbes
Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulchris;
Quin & bella canunt, ſubitoſque tumultus,
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma
Extremas modò per gentes; ut fœdere rupto,
Cum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Arſerunt toto paſſim minitantia mundo
Lumina air Manilius.

Nullam apud Hiſtoricos Regnorum mutationem, vel tranſlationem, Regumque ioteritum invenies, quem vel Eclypſis, nel Cometes, vel aliud Cœli oſtentum non præceſſerit. Ante Cooſtantini Magni mortem apparuit crinita, ſeu Cometa inuſitatæ magnitudinis. Quo tempore mutatus fuit ſtatus Romaoi Imperii, & ad Germanos tranſlatus apparuète in aëre ſaculæ ardentes, interdiu, & Cometes. Cum tyrannicè uſurpata Imperia fuete, Soles viſi ſunt geminati, ut ante Antonii, Lepidi, & Octavii diſſentionem ob Imperium. Anno Domiñi 806. Eclypſis Solis ſacta eſt; tuncque cœperunt mutari Regna per Carolum Imperatorem; ut meritò ſpeculum Regnorum quidam Solem dixerint; quòd io eo quodammodo adeò ſculpantur regnorum, Regumque ſata, ut eorum mutationes, & interitus per hujus ſyderis mutationem, & defectum apertè ſignificentur. Futurum urbis Hieroſolymitanæ excidium varia Cœli portenta præceſſerunt, ut refert Joſephus. In fine mundi *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum.* Unde Claudius Cæſar, cùm Solis defectus futurus eſſet natalis ſui die anniverſario, veritus, oe quis indè tumultus fieret, publicè edidit ſuturum non eſſe. Hæc autem fieri permittit Deus, ut *det metuentibus ſignificationem*, quâ divini arcus iram fugere admoneantur.

Hujuſmodi ergò cœlorum portentis ſuturas Regnorum mutationes, & everſiones ſignificari nullus unquam negabit, ab illis verò per ſe & directè fieri nemo ſanæ mentis exiſtimabit. Primò, quia cœlo irrogaretur iojuria, ſi Regnorum deſtructiones, ſeditiones, clades, bella hominum, tot ſceletum origines ab illo penderent; impiumque ſit dicere ſtellas influere latrocinia, homicidia, & alia hujuſmodi, cùm Deus quæ fecit, valdè bona ſecerit. Secuodò, magnum Deo inferretur dedecus. Si enim hæc ſtellis adſcribitur neceſſitas, nulla poteſtas, nullumve Deo judicium relinquetur. Peribit ejus juſtitia, ſi pro delictis quæ neceſſitas vitare non permitteret, damnaret homines. Peribit adhuc libertas, quam ſpontanea Regum electio requirit, inanes prætetea eſſent leges, inutiles Magiſtratus. Nulla deoiquè foret religio: ſupervacua eſſent vota, quæ pro ſalute Principum, & Reipublicæ incremento Deo redduntur. Quod certè ipſius verbis adverſatur, qui dicit, *per me Reges regnant.* Non ergò à ſato, vel ſtellis Regnorum mutationes, & interitus; ſicut nec ſtabilimenta dependeot, ſed à Deo; *Qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles, qui de ſtercore erigit pauperem, ut collocet eum cum Principibus terræ:* Prætetea, ſtellæ quidem in hominum corpora, ut diximus, poſſunt directè, non in aoimas, ejuſque operationes, niſi indirectè, influunt; Reſpublica ergò ejuſque adminiſtratio, quæ ex animi ratione, & intelligentia pendet; non pendebit ex ſato, vel ſyderum motu, & influxu: virtutes continent Reſpublicas, vitia diſſolvunt: at hæc non naturâ, ſed electione, & per aſſuetudinem accidunt nobis, ut dicit Ariſtoteles, 1. Ethic. Adhuc, ſi ex ſyderum motu, & influxu Reſpublicæ pendeor; cur noo ſingulis annis, vel menſibus vel oriontur, vel iotereunt, cum ſingulis annis & meoſibus, ſyderum ſitus, motus varientur? cur non plures Principes eodem die, & io eodem loco non oaſcuntur? cur hic Reges generatione; alibi electione ſibi ſuccedunt? cur ex geminis ſub eodem ſyderis aſpectu in lucem editis, unus regnat, alter ſervit. Ultimò, cum ſtellæ rapidiſſimum habeaot curſum, ut nec notari poſſit: accideret citius interire Rempublicam, quàm formaretur, vel per ſiogula momenta mutaretur, ut ſtellæ mutantur. A Deo ergò, à quo omnis origo Principatus, non à ſtellarum influxu, vel ſatali quâdam neceſſitate Regna mutantur & intereunt.

CAPUT IV.

Divina Providentia, prima, & univerſaliſſima Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum mutat ortus, & interitus, ſtabilimenti vel mutationis cauſa.

PEr me *Reges regnant, & Iudices recta judicia decernunt,* ait Deus per os Salomonis lib. de ſapientia. *Qui aufert ſpiritum Principum*, inquit Job. Et Michææ Prophetæ. *Faciam tranſire Regem Samariæ,* inquit Domious, *ſicut ſpumam aquæ.* Nec hoc Gentiles latuit. Platonis enim & aliorum hæc fuit mens ex voluntate Dei regna dari, Reges eligi, imperare, tolli, & Reſpublicas quoque corruère, & deprimi, & reſurgere. Juſſu Dei Samuël, Saülem Judæorum Regno præfecit, qui toto retrò tempore ſub Judicum Regimine degebant. Ejus adhuc præcepto Davidem ex Paſtore ovium Regem Iſraël cooſtituit. Deo adhuc jubente Propheta, Iehu Regem unxit Samariæ. Nec hoc mirum. Nihil enim niſi Deo volente in terra fit, cujus Providentiâ totus orbis terrarum regitur. Ipſe Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium, cujus terreni Principes vices gerunt. Regum autem eſt, Vicarios ſui Regni inſtituere, & deſtituere; Dei ergò potiori jure erit, Reges hominum regimini præficere, vel Regna auferre. Deus Roboamo filio Salomonis decem Tribuum Imperium abſtulit, & tradidit Hieroboam. Deus Reges Iuda Imperio Nabuchodonoſoris ſubjecit. Deus Regnum Aſſiriorum & familia Nabuchodonoſoris ad Medos: Regnum Medorum ad Perſas: Regnum Perſarum ad Græcos: Regnum Græcorum ad Romanos: Imperium Romanorum ad Hunnos, Vandalos, & Gothos tranſtulit. Deus

Clodovæo,

Clodovæo, & ejus poſteris Regnum Galliarum tradidit: Et Carolo Magno totius Europæ Imperium: ſuamque ut potentiam, & ſupremum Dominium oſtenderet, ſæpè ſæpius ignobiles ad Solium evexit, juxta illud Pſalm. *De ſtercore erigit pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui.* Quod probè intelligens Boleſlaüs Rex Poloniæ, Regio ſuo ſtemmati manum è cœlo deferentem Coronam juſſit appingi, cum hoc lemmate, *à Deo Regna donantur.* Nec hujuſce rei ignari Reges Galliæ, in regiis ſuis diplomatibus hæc verba jubent inſcribi, Henricus, vel Ludovicus decimus tertius, decimus quartus *Dei gratiâ Rex Galliæ.* Ne ergò Reges erga Deum ſint ingrati, ſupremum ejus Dominium venerentur, & ad ejus pedes ſceptra cœlitùs data deponant; Regum exemplo de quibus D. Ioannes in Apocalypſi.

CAPUT V.

De mutatione, & excidio Urbium, Regnorum & Rerumpublicarum, quæ per vim ab elementis, vel animalibus illatam periere.

INnumeras Urbes incendio, vel aëris corrupti contagio, vel aquarum diluviis, vel terræ motibus periiſſe innumera apud Hiſtoricos proſtant exempla. Lugdunenſis olim civitas unius noctis ſpatio in cineres & favillas redacta eſt. Quoties, addit Seneca, Aſiæ; quoties Achaiæ urbes, uno tremote ceciderunt; quot oppida in Syria, quot in Macedonia devorata ſunt? Cyprum quoties vaſtavit hæc clades. Non tantùm manufactâ labuntur; non tantùm humanâ arte poſita vertit dies. Iuga montium diffluunt; totæ deſedere Regiones. Operta ſunt fluctibus, quæ procul à conſpectu maris ſtabant. Integræ urbes in Hollandis aquis ſubmerſæ ſunt. Sodomitarum fertiliſſima olim Regio igne conflagravit. Aſpice ad Palæſtiacum, inquit Tertullianus lib. de Pallio, quâ Iordanis amnis finium arbiter, vaſtitas ingens & orba Regio, & fruſtra ager, & urbes retrò, & populi frequentes. Dehinc, ut Deus cenſor eſt, & impietas ignium meruit imbres, hactenùs Sodoma eſt nulla. Mutavit & totus orbis aliquando aquis omnibus obſitus, & adhuc maris conchæ, & buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Plutoni probare etiam ardua fluitaſſe. Sed & enatando rursùs orbis alius; alius nunc localiter habitus, cùm ſinus læditur; cùm inter inſulas nulla jam dolos; Harenæ, Samos, & Sibylla non mendax Æon in Athlantico Lybiam aut Aſiam adæquans. Caſuta ergò omnia ſtant; omnibus exitus manet; ſine interna vi, flatuque præcluſi venti, pondus ſub quo tenentur, excuſſerint; ſive torrentium abdita vis obſtantia effregerit; ſive flammarum violentia compaginem ſui ruperit; ſive vetuſtas, à qua nihil tutum eſt, expugnaverit minutatim; ſive gravitate cœli, aëris corrupti contagio ejecerit populos, & ſitus deſerta corruperit.

Contigit aliquando idipſum ex feritate animalium quorundam; quæ in ſolitudinem vacuas habitationes, pulſis hominibus traduxerunt. Sic immiſſis à Deo Leonibus Samaria olim, & aliquæ Lybiæ urbes deſertæ fuere. Meminit Plinius ex M. Varrone à cuniculis in Hiſpania ſuffoſſum oppidum; à Talpis, in Theſſalia, à Ranis civitatem in Gallia pulſam; à Locuſtis, in Affrica; ex Gyario Cycladum Inſula incolas à muribus fugatos; in Italia Amyclas à ſerpentibus deletas; & citra Cynamolgos Æthiopas à Scorpionibus latè deſertam fuiſſe regionem. Et hæ regnorum ruinæ cauſæ ſunt merè naturales.

CAPUT VI.

De mutatione, & interitu, vel tranſlatione Regnorum per vim à manu hoſtili illatam.

MUlta & alia hujuſmodi detrimenta habitum orbis novavere, ſituſque movere. Bellis quoque plurimum licuit. Sed piget triſtia non minus, quàm regnorum vices recenſere, ait Tertullianus, lib. de Pallio, quoties & iſta mutaverint, illatâ vi per manum hoſtilem: jam indè à Nino Beli progenie; ſi tamen Ninus regnavit primus, ut autumat ſcriptorum prophanitas. Ferme apud vos ultra ſtylus non ſolet, ab Aſſyriis, ſi forte ævi hiſtoriæ pateſcunt. Qui verò Divinas lectitamus, ab ipſius mundi natalibus compotes ſumus. Sed læta jam malo; quippè & læta mutant. Denique ſi quid mare diluit, cœlum texit, terra ſubduxit, gladius detotondit; aliàs verſura compenſitò redit. Iam & primitiis, majorem ambitum terra caſſa, & vacans hominum, & ſicubi aliqua gens occuparat, ſibimet ſoli erant. Itaque ſolares, vel ſolitarios inopia, quaſi pomorum in tales alibi ſtipantem copiam, alibi deſerentem runcare, atque ruſpari conſuluit, ut indè velut ex ſurculis & propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus per ubique pangerentur. Tranſvolavere redundantium gentium examina; Scythæ exuberant in Perſas; Phœnices in Affricam eructant; Romanos Phryges pariunt. Chaldæum ſemen in Ægyptum educatur. Dehinc cùm indè transducitur, Iudæa gens eſt. Sic & Herculea poſteritas, qui Temeno pariter Peloponeſum occupando producunt. Sic & Iones Nilei Comites Aſiam novis urbibus inſtruunt: Sic & Corinthii cum Archia muniunt Syracuſas. Sed vanum jam antiquitas, quando curricula noſtra coram. Quantùm reformavit orbis ſæculum iſtud? Quantùm urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præſentis Imperii triplex virtus, ſcilicet Triplicis Imperatoris poteſtas. Hæc omnia Regna vel Imperia armorum vi fundata ſunt, expulſis antiquis Regibus hoſtili victorum manu. Corruptio enim unius Regni, vel Reipublicæ alterius eſt generatio. Sic olim Ilium Urbs Phrygiæ, Græcorum Dominio paruit, Sic tota Alexandro Aſiæ; totus denique terrarum orbis Romanorum Imperio. *Iure quippè belli regna* comparantur.

CAPUT VII.

De internis Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum mutationis, & interitus cauſis; quarum prima eſt appetitus novitatis.

VArias Ariſtoteles Regnorum, Principatuum & Rerumpublicarum mutationis, & interitus cauſas adducit; quarum prima appetitus eſt novitatis, ſive novæ regiminis formæ. Hujuſmodi verò appetitus præcipua ſunt incentiva; honor, & lucrum. Pares enim eſſe volunt omnes Reipublicæ cives, his qui præſunt; & niſi hoc ſit, non acquieſcunt. Alii verò ſe præſtare dignos putantes, indignè ferunt niſi plus habeant. Hæc autem juſtè aliquando, aliquando injuſtè cupiunt; inferiores quidem, ut pares, tùm honore, tùm divitiis fiant, pares, ut præſtent. Præcipuæ ergò res pro quibus contendunt honor ſunt & lucrum. Et ex his aliæ innovandi Reipublicæ

ſtatus cauſæ oriuntur, nempè contumelia, metus, præpotentia, contemptus, decrementum, exceſſus, verecundia, negligentia, puſillitas, imparitas. De honore manifeſtum eſt quid valeat, & quomodò cauſa ſit contendendi. Ipſi enim inhonorati alios honoratos cernentes ſeditionem movent, ut ad eoſdem honoris gradus aſſurgant. Et eadem eſt ratio de lucro, ſive opulentia. Omnes enim divitiis, vel aliis eſſe pares deſiderant, vel aliis præſtare: Pauperes æqualitatem affectant, divites ſupereminentiam. Propter contemptum ſeditiones movent; quandò plures ſunt, qui à Republica excluduntur. Propter contumeliam, cum à Principe ſubditi injuriis afficiuntur, vel opulenti à Magiſtratibus non honorantur. Nam qui à Principe indignè tractantur, & ab honoribus perpetuò excluduntur, res novas moliri non ceſſant. Ex præpotentia; quandò quis vel major ſit, vel potentior. Ex incremento vel decremento, quandò vel pauperum, vel divitum numerus ſupra modum creſcit. Ut enim corpus ex partibus ſuis conſtat, & oportet ſimul pro ſuo quamque modo creſcere, ut ſymmetria, & proportio permaneat: ac niſi hoc fiat, corrumpitur. Quandò enim per quatuor cubitos ſit; cæterum corpus duarum Palmarum longitudinem habeat: interdùm in alterius figuram animalis tranſit; ita & civitas ex partibus conſtat, quarum altera aliquandò ſubcreſcit; Seu egenorum multitudo in popularibus gubernationibus: quod duplici viâ contingit, vel cùm nimia extraneorum copia in Rempublicam admittitur. Quomodo olim, ut refert Ariſtoteles, in Græcia accidit, vel quando ſervorum numerus nimiùm augetur; quomodo antiquitùs, teſte eodem Ariſtotele, apud Athenienſes evenit. Utrumque autem per fortunam accidit, cùm prælio cæſâ nobilitate, plebs creſcit, ut apud Helvetios factum eſt. Mutantur adhuc Reſpublicæ, & Regna propter verecundiam; cùm poſt electionem hominum indignorum; poſteà pudet tales elegiſſe; cujus varia Ariſtoteles affert exempla. Ex negligentia; quandò ſinunt ad ſummas poteſtates aſſumi eos, qui non ſunt amici Statûs. Propter puſillum, quandò latet paulatim ſubcreſcens Reipublicæ mutatio, quæ ad magnitudinem latenter evadit, ſi negligitur. Ex imparitate; cum æqualiter honorantur. Ex his naſcitur, & accenditur in ſubditis novitatis, ſive novæ regiminis formæ appetitus. Et hæc prima Regnorum, vel Rerumplicarum mutationis cauſa interna. Plebs enim, ut dicit Lipſius, novitatis avidiſſima eſt: Nec mirùm cùm in civili corpore eundem habeat locum, quem materia prima in corpore Phyſico, viliſſimaque ſit pars Reipublicæ. At materia prima innato appetitu novas ſemper formas inquirit, & hoc honoris & lucri causâ; honoris quidem, quia turpiſſima in ſe, nulliuſque dignitatis à forma Summoperè honoratur, à qua ſpeciem & dignitatem habet: Lucri, quia cùm ſit maximè egena, utpotè nullius bonitatis, per formam diteſcit. Ex loco verò innato novæ formæ fruendæ appetitu provenit compoſiti naturalis corruptio, ut dicunt Phyſici; ſic ex inordinato vulgi erga novitatem, novique regiminis formam affectu, per quam ſe honoris plurimum, & opulentiæ ſperat aſſequututum, Regni, vel Principatus mutatio ſolet contingere.

CAPUT VIII.

Civium, vel cum Principe, vel adinvicem diſcordia præcipua Regnorum, vel Rerumpublicarum mutationis cauſa interna, & interitus.

Docent Platonici, quòd Deus Arithmeticâ, Geometriâ, & Muſicâ uſus ſit in mundi creatione, quòd per Arithmeticam omnia in fines ſuos ordinavit, per Geometriam figuravit; per Muſicam proportionavit, & inter ſe conciliavit; quod ex ſacris vatibus didiſcerant; nam, ut lepidè Tertullianus in Apolog. de fontibus Prophetarum biberant, & indè ingenij ſui ſitim rigaverant. Sapientiæ autem 8. dicit Salomòn: *Omnia Deus in pondere, numero, & menſurâ fecit.* Non vides, inquit Seneca lib. 7. q. natur, c. 29. quàm contraria inter ſe elementa ſint; gravia, & levia ſunt; frigida, & calida, humida & ſicca, & tamen perpetuam inter ſe pacem ſervant. Cùm inter ſe elementa pugnarent, mundus, *iners erat, indigeſtaque moles, quam dixere cahos*, ut canit Ovidius; ſed hanc litem Deus diremit, & initâ inter pugnantia mirabili concordiâ, moles illa indigeſta pulcherrimam formam recepit; idem dicendum de ſocietate civili, ceu Politica, Reſpublicas, Ariſtocratias & Regna, Civium vel cum Rectoribus, vel adinvicem conſtans concordia ſervat, diſcordia deſtruit, ut optimè docuit Livius lib. 11. his verbis: Vires Imperii in conſenſu obedientium ſunt. Quod ipſa quotidiana confirmat experientia. Diſcordia Romanorum florentiſſimum Imperium delevit; concordia Regnum Galliæ uſque ad hæc tempora inconcuſſum ſervavit; & hoc quidem primùm ſpeciali Dei erga nos providentiæ, ſecundò ſingulari tuæ, Ludovice Magne à Deo ad noſtram ſalutem Date, prudentiæ debemus.

CAPUT IX.

Diſcordia ſubditorum cum Principe ex mutuo illorum odio naſcitur; utrumque Reipublicæ, vel Regno lethale.

Difficilè populos regere ait Ariſtoteles lib. 2. Politic. c. 9. Nam ſi remiſsè erga illos te geras, ſuperbiunt illi, ac ſe pares dominantibus exiſtimant; ſi aſperè tractantur, inſidiantur Principibus eoſque odio habent; & ex hoc odio Regni oritur deſtructio.

Quare ex mente ejuſdem Philoſophi, amicitia, ſeu mutuus amor maximum eſt bonum civitatibus, Rebuſpublicis, Regnis, & Imperiis. Cùm enim Princeps ſubditos amat, & ab illis amatur, ſubditique mutuò ſe diligunt, ex hac amicitia pax, & concordia oritur, quæ civitatum, & regnorum ſervatrix eſt, ut ſuprà demonſtravimus; ex mutuo verò odio diſcordia naſcitur, quæ Regnis, & Rebus publicis interitum affert.

Quare Chriſtus, ſapientiſſimus Legiſlator, Chriſtianam erecturus politiam, & Regnum, quod numquam diſſipabitur, à pace ejus exordium inchoavit: eo enim naſcente in Bethléem Iuda, audita eſt vox Angelorum canentium; *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volontatis*, & ex hac vita ad Patrem migraturus, collectis in triclinio Diſcipulis, ſtetit in medio eorum, *& dixit pax vobis; Pacem relinquo vobis*, quam ut illibatam perpetuò ſervarent, præcepit illis, *ut mutuò ſe diligerent*: Ejus exemplo Reges, ut Regnum à Deo acceptum diù

ſervent, ſubditos ad mutuum amorem hortentur. Sed & ipſi ut à ſubditis amentur, illos diligant, nec ut ſervos, ſed ut filios humaniter, & civiliter tractent; ſic initâ utràque amicitiâ, & eliminato omni odio, fœlia vigebit concordia, Regnorum firmiſſima columna.

In Templo illo magnificentiſſimo Salomon Rex pacificus geminam crexit Columnam; cujus apici, ceu capitello Lilia juſſit apponi aurata. Mirum profectò quòd ad ſuſtentanda Lilia, columnas adeò graves, & firmas ſapiens ille Rex crearerit. Omen hoc fuit futuri Chriſti Regni, quod numquam diſſipabitur, quia in gemina, erga Deum, & proximum charitate fundatur. Sed fortè Salomon futuram Regni noſtri Liliati, ceu Galliæ, uſque ad extrema mundi tempora perennitatem reſpiciebat, quàm extincto omni odio, mutuus tùm inter ſe tùm in Reges noſtros amor, & concordia ſœliciter Deo opitulante conſequentur.

CAPUT X.

Mutua civium diſcordia ex inordinato oritur honoris, & lucri appetitu.

CAuſæ, ac principia motus, ceu mutationis ſtatus politici, & civilis ſunt multæ, ait Ariſtoteles lib 5. Politic. nempè propter regiminis civilis novitatem, propter contumeliam, metum; propter præpotentiam, propter contemptum, propter incrementum exceſſivum, propter verecundiam. propter puſillitatem, propter imparitatem. Præcipuæ verò ſunt, inordinata lucri, & honoris cupiditas. Superbia enim, & avaritia eorum qui gubernant homines provocant contra ſe, & contra ſtatum Reipublicæ quæ iſta fieri permittit. Avaritia verò quandoque ex privatis rebus fit, quandoque ex publicis. De honore etiam clarum eſt, & quomodo cauſa ſit contendendi. Ipſi enim inhonorati, alios honoratos cernentes ſeditionem aggrediuntur. Hæc autem injuſtè aliquando fiunt, cùm præter dignitatem honorantur quidam, vel inhonorantur; juſtè verò, cùm ſecundum dignitatem, propter præpotentiam; aut quando unus major eſt, & potentior, vel unus, vel plures: conſuevit enim ex talibus fieri unius dominatio, vel gubernatio violenta. Quapropter quibuſdam in locis Oſtraciſmo utuntur, ut Argis, & Athenis. Meliùs tamen erat ab initio providere, ne in hujuſmodi potentiam cives augeri permitterentur, quàm poſtea contra auctos remedium quærere. Hæc tamen in Rebuſpublicis, ut in Democratia, & Ariſtocratia ſæpiùs, quàm in Monarchia eveniunt. Quare Reges ſummoperè caveant, ne Aulicos familiares nimium extollant. Sic enim Præfecti Palatii ad Regiam potentiam pervenerunt.

CAPUT XI.

Injuſtitia, impietas. libido, ocium, luxus, aliaque tùm Principis, tùm ſubditorum morbida qualitates proxima ſunt, & interna interitus Regnorum cauſa.

REgna, & Imperia à Deo pro ſummo beneficio, & populorum ſalute donari, ſuprà demonſtravimus, ita tamen ut ipſe Deus, Rex Regum, & Dominus Dominantium, ab omnibus hominibus, ſupra omnia, diligatur, timeatur, & illius præceptis obediant. Deus autem in Decalogo, omnibus hominibus, tam Regibus, quàm ſubditis præcepit, ne alteri faciant, quod ſibi fieri nolunt. Signatum eſt hoc lumen in frontibus noſtris, ut canit Regius Vates, hoc ratio, hoc lex naturalis dictat. Nemo enim vult uxorem propriam, ab alio ſibi auferri. Ratio naturalis omnem impudicitiam, furtum, & calumniam prohibet. Lex naturæ, propriæ ſaluti invigilare inſpirat, ſocordiam, negligentiam, torporem, ocium damnat; præcipuè, his, qui alios regunt, aliiſque imperant. *Regis enim ad exemplum totus componitur orbis.* Cum ergò hæc turpiſſima vitia, in Principibus, & ſubditis graſſantur, æquiſſimum eſt, ut Regna Deus, quæ in terris ſtatuit, funditùs deleat, & ad alias Gentes transferat, juxta illud Eccleſ. 10. *Regnum à Gente in gentem transfertur, propter injuſtitias, injurias, contumelias, & dolos.* Sic decem Tribus Iſraël à Roboam propter ejus ſocordiam, ad Jeroboam; ſic duodecim Tribus ad Nabuchodonoſorem tranſlatæ ſunt.

Veriſſimum tamen eſt, quòd propter peccata, & immania populorum ſcelera, *dat Deus Regem in furore ſuo*, ut dicit Propheta; Sic Iudæis Deus Pharaonem, & Nabuchodonoſorem dedit, propter eorum idololatrias. Verùm tamen, & Reges illos Deus è Solio dejicit, eorumque Regna ſubvertit: ipſis enim ut virgis, & flagellis utebatur, ad caſtigandum populum rebellem, & contumacem: ſed mox virgas in ignem projecit. Reges ergò divinis obtemperent præceptis; virtutes colant, fugiant crimina, ſuoſque ſubditos ad Dei cultum hortentur ſic eorum Regna florebunt.

CAPUT XII.

Innata, ceu naturalis libertatis amor, cauſa interna mutationis Regnorum, & aliarum Dominationum.

TAnta, adeoque ardens eſt libertatis cupido, ut ipſi Angeli Dei Regis Regum ſuorum omnium Domini Imperio æquiſſimo ſubjici noluerint, rati ex tali ſubjectione, aliquam fieri propriæ, & innatæ libertati injuriam. *Aſcendam*, inquit Lucifer Primus Angelorum, *aſcendam in cælum, ſimilis ero altiſſimo.* Ezech. 18. Nec credendum, ait Angelicus Doctor, Luciferum Divinitatem affectaſſe, ita ut ex tali in cœlum aſcenſu fieret Deus; optimè enim noverat, utpotè in ſtatu gratiæ à Deo creatus, & ſcientiæ lumine illuſtratus, plures eſſe non poſſe Deos: nam ut eleganter Tertullianus lib. 1. contra Marcion. Deus non eſt, ſi unus non eſt: Plurium Deorum admiſſio, totius divinitatis eſt deſtructio, Cùm ergò ſacrilegam hanc vocem Lucifer emiſit; *Aſcendam in cælum, ſimilis ero altiſſimo*; Effrænem tantùm libertatem affectavit, ſuæque, & innatæ libertatis cupidiſſimus, noluit Dei ſubjici Dominio, ne aliqua fieret propriæ libertati injuria, vel diminutio. Quia verò Deus liberrimus eſt, nulliuſque poteſt ſubjici Dominio, ſimilis in hoc Deo fieri affectavit. Hanc poſtmodùm è cœlo ad inferos detruſus innatæ libertatis cupiditatem in primis parentibus adeò accendit, ut Divino præcepto parère noluerint, ſed excuſſo jugo ſimiles Deo evaderent. *Eritis*, inquit vafer ille ſerpens, *Eritis ſicut Dii*, id-eſt, liberrimi, & hi primi *Filii Belial*, id eſt, *ſine jugo.*

Magna fateor libertatis dignitas, quæ creaturas rationales, & intellectuales, Angelos ſcilicet, & homines Deo ſimiles efficit. *Creavit Deus hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, ait Moiſes

Geneſ.1. hæc autem imago & ſimilitudo, ut fusè demonſtrat Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, in hoc primùm ſita eſt, quòd ſicut Deus liberrimus, totiuſque creatæ libertatis auctor, ſic & Angeli, & homines, ex Dei libertimi beneficio ſingulari, libertate donati ſunt. Hæc enim libertas intelligentiam, & rationem ſequitur. Bruta enim animantia, & vitæ expertes creaturæ, libertatem non habent, ſicut, nec intelligentiam, nec rationem; quare, nec ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatæ ſunt. Solus Angelus & homo Dei imaginem præ ſe ferunt; quia ſoli rationis, vel intelligentiæ compotes, & conſequenter liberi arbitrii. Vera autem & perfecta libertas hoc non petit, ut excuſſo omni obedientiæ, & ſubjectionis jugo, ex libidine, & protervia omnia fiant: Liber ille dicitur, ait Ariſtoteles, qui ſuorum actuum Dominus eſt, ſed ſervato ordine finis & ſub Dominio ſuperioris. Libertas nos Reges conſtituit, ſed non ſupremos Reges, & Dominos, ſed Superiorum Dominorum imperio. Deus autem Reges in terris conſtituit, quorum præceptis ſubditi tenentur, tam Lege naturali, quàm Divinâ obedire. *Omnis enim poteſtas à Deo eſt, & ordinata eſt*, in omni verò ſocietate, tam familiari, ſeu domeſticâ, ceu civili, ceu populari, & Democratica, ſeu Ariſtocraticâ, ceu Monarchica, alii debent imperare, alii obtemperare, alii regere, alii regi, hoc petit ordinata ſocietas, ut dicit Ariſtoteles. Protervi autem, & innatæ libertatis cupidiſſimi, filii Beliar, nullum ſupra ſe Rectorem volunt agnoſcere; & indè ſeditio, & Regnorum ac Rerumpublicarum deſtructio.

CAPUT XIII.

Ex iniquo Principum regimine, necnon ex ſubditorum protervià, Reſpublica, & Regna intereunt, ſicut ex vitioſo temperamento, fœdâque membrorum conformatione corpus animale corrumpitur.

Regere, & regi, nedùm Reipublicæ utiliſſimum eſt, ſed abſolutè neceſſarium, ait Ariſtoteles 1. polit. quod & ipſa ratio demonſtrat; nam Reſpublica, vel Regnum nihil aliud eſt, quàm ſocietas rectè imperantium, & rectè obedientium, quæ ex æquo Principis regimine, & humili ſubditorum obſequio perficitur. Præterea, ut diximus, ſocietas civilis, quoddam eſt corpus; ſicut verò corporis animalis ſanitas, ex optima membrorum conſtitutione, & perfecto quatuor elementorum, vel humorum temperamento reſultat; ſic corporis civilis vigor, ex perfecta partium omnium conformatione, & temperamento, id eſt, ex recto, & æquo Principis regimine, & perfectâ, ac humili ſubditorum obedientiâ naſcitur: rursùs optima temperamenti in corpore animalis conſtitutio, & pulchra membrorum omnium conformatio hoc poſtulat, ut quodlibet illius membrum proportionem habeat cum altero membro. Hæc autem proportio in hoc conſiſtit, ut ſingula membra proprium habeant locum, propriam figuram, propriam magnitudinem, propriumque officium; itaut unum membrum ſuper aliud non nimium excreſcat; ſic optimum corporis civilis temperamentum tunc erit, ſi Arithmetica inter omnia illius membra ſervetur proportio; itaut ſingulis proprius ſit locus, proprius dignitatis gradus, propria magnitudo, proprium officium, nec unum ſupra alia nimium excreſcat, nec alterum nimis dejiciatur.

Hæc verò proportio diverſimodè in Democratia, Ariſtocratia, & Monarchia debet obſervari. In Democratico enim regimine, ſive temperamento, major eſſe debet civium æqualitas, & quodammodo Geometrica deſideratur, quia in illo penes populum reſidet jus regiminis, & in illo ſinguli per vices ad honores publicos aſſumuntur. In Ariſtocratia, minor eſt æqualitas, quia in illa ſoli Optimates Rempublicam gubernant, per Optimates, ut plurimum, non virtute præclari, ſed cenſu, divitiis, potentiâ aliis præcellunt, intelligimus. In Monarchico verò regimine adhuc minor eſt æqualitas; quia unus ſolùmmodò omnibus imperat, à quo tamen religiosè obſervari debet juſtitia diſtributiva, quæ unicuique ſine acceptione perſonarum jus ſuum tribuat, nec uni vel alteri ex ſubditis ſuis adcò faveat, ut aliis ſupra modum evectis, & ditatis, cæteris publicos ad honores aditum præcludat.

Ex hoc enim iniquo Principum regimine, ſubditorum in illos protervia, conjuratio, odium infenſiſſimum, & rebellio oriuntur; & ex illis denique Rerumpublicarum, Regnorum, Imperium mutatio & excidium, ſicut ex vitioſo corporis animalis temperamento, fœdâque membrorum conformatione, corruptio, & mors animalis.

Mutationes verò Regiminis civilis, quandòque fiunt ex præſenti ſtatu ad alium, ut optimè declarat Ariſtoteles 5. politic, c. 1. putà ex populari gubernatione, ad paucorum Potentiam, ſeu regimen; vel ad popularem gubernationem ex paucorum regimine; & ex unius Monarchæ regimine ad Optimatum potentiam, ad Ariſtocratiam, vel Democratiam, id eſt, ſtatum popularem. Ubique autem propter inæqualitatem civium, & Principum ſuperbiam, & propter ſubditorum proterviam, inobedientiam, & rebellionem ex quibus ſeditiones oriuntur Rerumpublicarum & Regnorum excidia.

Undè tutior eſt ſtatus, in quo unus cæteris imperat, ſcilicet Regnum, ſeu Monarchia, minuſque ſeditionibus, factionibus, & bellis inteſtinis obnoxia. Nam in ſtatu populari, ſeu Democratia, omnes imperant Nobiles, Plebei, Paſtores, Artifices, Ruſtici, Cives, Ignari, Docti; Plebeiorum autem Ruſticorum, Paſtorum, Agricolarum, artificum, longè major numerus eſt, quàm Nobilium, Doctorum, &c. Plebei facilè ab Oratoribus, qui in Comitiis Generalibus adſunt, ad ſuam partem convertuntur, & indè adverſus Optimates, vel adverſus Monarcham rebelliones. Similiter in ſtatu Ariſtocratico, ſeu Optimatum, pauperes, ignobiles, à Regimine publico in perpetuum excluſi ob ſummam inopiam & infirmitatem, continuò ad ſtatum popularis regiminis ſuſpirant, in quo, ut diximus, omnes per vices imperant. In ſtatu verò Regio, ſeu Monarchico, Regis unius ſuprema auctoritas, ſubditos omnes coërcet, & omni ad imperandum ſpe ſubtractâ, eos adverſus Monarcham rebellare impedit, cujus ſumma poteſtas, inferiorum omnem proterviam metu pœnarum confringit.

CAPUT XIV.

Subditorum protervia, ex qua regnorum oritur excidium, à Rege ſeverè punienda.

Reges, ſeu Monarchæ, ut ſuprà demonſtravimus, ſubditos ſuos, non ut ſervos deſpoticè, ſed ut filios civiliter, & ut patres regere debent etſi quandòque in illos peccent, inſurgant, & rebellent, adhibitis præviis paternis monitionibus, & comminationibus,

natiooibus, debeut eos ad priſtinam obedientiam revocare, ut fusè demonſtrat Seneca lib.1. de Clementia, quæ Regia virtus eſt, & in Principe præ cæteris debet relucere; Dei exemplo, cujus Reges, in terris vices geruot. Nam, ut canit Poëta,

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Verùm quandò ſæpè ſæpiùs ſubditi rebellant, oullaque ſpes eſt in illis futuræ emendationis, & eorum exemplo Provinciæ cæteræ Regni rebellant; tunc in illos Monarcha ſævire debet, adhibitâ omni ſuâ auctoritate. Nam ut canit alter Poëtâ, *Læſus amor, fit furor.* Sic Deus clemcotiſſimus, & ſupremus omnium Creaturarum Domious, quos ſuâ admirandâ clementiâ ad ſuum cultum oon convertit, impios, & in rebellione obduratos, ad æterna ioferni ſupplicia damnat, *fietque*, in contumaces, *Judicium abſque ulla miſericordia, tunc Juſtitia ſuper miſericordiam exaltabitur*; Oleum Symbolum eſt miſericordiæ: ſed Oleo gladius limatur, & acuitur; ſic miſericordiâ Dei, juſtitia, & judicium exaſperantur. *Exſurge mucro Divinæ Juſtitiæ*, exclamat Propheta; *Exſurge limare*, Oleo ſcilicet miſericordiæ. Prioceps, Rex, Monarcha, gladium portant ad viodictam, ut dicit Apoſtolus. Exſurgat ergò io ſubditos rebelles, ſeditioſos, contumaces, Regius gladius, limetur, & acuatur ad viodictam, rebelleſque extremis afficiat ſuppliciis, ne totum regnum deſtruant: Meliùs enim eſt aliquos interimi, ne totum pereat Regnum.

LIBER IX.

QUIBUS REGNA, IMPERIA, Reſpublicæ, Ariſtocratiæ conſerventur, & floreant.

QUÆSTIO UNICA.

PROOEMIUM.

CONTRARIA contrariis curantur. Ex communi hoc Axiomate facilè poterunt cognoſci cauſæ, quibus Regna, Imperia, Reſpublicæ, Ariſtocratia conſervantur. Præcedenti enim Libro demonſtravimus, Regna terræ à Deo Regum Rege mutari, transferri, deleri, tanquam à prima rerum causâ. Secundò, deſtrui per cauſas externas; per vim majorem, & hoſtium impetus. Tertiò, per cauſas internas, quarum prima eſt civium diſcordia, mutua contentio, odium Regis in ſubditos, & odium ſubditorum erga Principem. Præcipua tamen eſt Principum erga Deum impietas, & ſubditorum improbitas: juxta ergò regulam propoſitam facilè erit cauſas tam externas, quàm internas conſervationis & perennitatis Regnorum agnoſcere. Quarum hæc prima, ſcilicet, vera religio, veruſque Dei cultus, qui ſolùmmodò apud Chriſtianos, & Eccleſiæ Romanæ alumnos invenitur.

CAPUT PRIMUM.

Vera Religio, veruſque unius Dei & Trini cultus, qui ſolùmmodò apud Chriſtianos, & Eccleſiæ Romanæ alumnos viget, firmiſſimum Regnorum columen.

NOn ſunt elevandæ ad cœlum manus, nec exorandus æditūus, ut nos ad aures ſimulachri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat. Propè eſt à te Deus; tecum eſt; intùs eſt, ita dico Lucili, inquit Seneca epiſt. 41. Sacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum, bonorumque noſtrorum Obſervator & Cuſtos. Hic prout à nobis tractatur, ita nos ipſe tractat; bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adjutus exſurgere? Dat ille regna, conſilia magnifica, & erecta. Deum ergò Gentilis ille Philoſophus, à quo bona hominum fortuna, magnitudo, potentia, fœlicitaſque pendet, agnoſcit. Ipſe Regna in terris ſtatuit; ipſe homines eorum regimini præficit; quos interdùm de ſtercore ad ſolium evehit: ipſius ergò erit Regna ſervare. Nullus enim artifex opus ſuum deſerit. Abſit ergò, inquit Auguſtinus lib. 6. de Civitate Dei; ut credamus, Romanos à fortuna, vel à falſis Diis, quos colebant, obtinuiſſe; ut toti terrarum orbi imperarent; omnes enim illi Dii, Dæmonia erant. A Deo Rege Regum, Roma totius mundi accepit Imperium, quia futura erat Sedes Chriſtiani Imperii, ut eleganter declarat S. Leo Papa ſerm. in natali S. Petri & Pauli. Iſti ſunt Patres tui, verique Paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam, multò melius, multòque fœlicius condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt. Iſti ſunt, per quos tibi Evangelium Chriſti reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis; per ſacram Petri Sedem, Caput orbis effecta es, latiùſque regnas religione divinâ; quàm dominatione terrenâ, minuſque bellicus labor ſubdidit, quàm quòd pax Chriſtiana ſubjecit. Maxima ergò Religionis vis ad conſervanda terrena Imperia. Nullus enim Rex, vel Imperator, ſuum exiſtimavit Imperium conſervari, niſi alicujus Numinis præſidio adjutus. Legantur antiquæ omnium Regnorum hiſtoriæ, & ex his apparebit, Reges omnes ab initio mundi, etſi Infideles, & Paganos, Numen aliquod ad ſui Regni præſidium invocaſſe. Ingenita enim eſt hominum animis Religio, & Numinis invocatio, à quo Regna omnia pendent, Quanto furore Nero, Diocletianus, & Maximianus, cæterique hoſtes Chriſtianæ familiæ, & Romanæ Eccleſiæ hoſtes in Chriſtianos exarſerunt? quot Martyres, effecerunt. Conſtat tamen ex eorum hiſtoria, hâc præcipuè de cauſa, ſæviſſe, quia falſos Deos quos errore colebant, Romani Imperii defenſores eſſe putabant. Pudeat Principes Chriſtianos, veri Numinis cultores, eodem zelo non inflammari ad veri Numinis cultum, pro ſui Regni conſervatione.

Fœlix Gallia, Regnum tuum à multis ſæculis illæſum & inconcuſſum perſeverat & uſque ad finem ſæculorum perſeverabit, quia unum verum Deum, & Trinum coluiſti, Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ firmiter adhæſiſti, cujus nedùm filia es; & primogenita, & Chriſtianiſſima, ſed & Romanorum Pontificum, Clypeus, Aſylus, & refugium!

Clodovæus, ceu Ludovicus primus Religione, fideque Chriſtianâ, & Orthodoxâ, florentiſſimi Galliarum Regni fundamenta jecit, eâdemque fide Regnum Galliæ ad hæc tempora viget, floret, & uſque ad Antichriſti tempora ſtabit, vigebit, florebit.

Tibi adhuc Magne, Auguſte, & à Deo Date Ludovice decimequarte debemus; quòd Gallorum Imperium perſeverat, & per omnes Terrarum Nationes propagatur; quia unum, & Trinum Deum

colis, veramque Chriſti fidem ſervas, & adverſus Impios Caviniſtas turris? Vera enim Religio, ut dixi, veruſque unius Dei, & Trini cultus, Regnorum eſt columen, ſalus, & præſidium. Regna omnia, quorum Reges unum, & verum Deum non coluerunt periere, ut patet ex omnibus antiquis Gentilium Regnis. Regnum Babylonicum, ſive Aſſyriorum periit: Regnum Medorum periit: Regnum Perſarum periit: Regnum Græcorum interiit: Regnum Romanorum deletum eſt, & ad Hungaros primùm, mox ad Gothos tranſiit: Regnum, ceu Imperium Gothorum, Vandalorumque periit; quia unum & Trinum Deum non colebant. Fœlix; iterumque fœlix Gallia, Regnum tuum uſque ad extrema mundi tempora perſeverabit, quia verus Dei unius & Trini cultus apud Reges Galliæ ſemper vigebit.

CAPVT II.

Specialis Dei erga Reges, Regnumque Galliæ providentia, præcipua eorum conſervationis, & perennitatis cauſa.

NOn aliam fortunam, nec aliud fatum Reges, regnumque Galliæ, præter Divini Numinis ſpecialem erga illos Providentiam agnoſcunt. Stellarum malignum influxum, non timent, quia Lilia è cœlo, pro Regio Stemmate; Oleum Sacrum à Spiritu S. ore Columbæ ad Sacram Regum Galliæ Unctionem, pro Balſamo, & Auriflammum pro labaro, & militari vexillo divinitùs receperunt. Decem illa flagella, quibus Deus Pharaonis tyrannicum Imperium delevit, muſcarum ſcilicet, ranarum, ſyniphum, & murium, non metuunt: Nec Turcarum, aliorumque Principum Imperium, quia ſub ſpeciali Dei ſunt protectione. Si conſiſtant adverſus Reges Galliæ adverſariorum caſtra, non timebit cor eorum, quia Deus cum illis eſt. Ab ipſa Clodovæi primi Regis Galliæ converſione, ſemper cultus unius Dei, & Trini in Regno Liliato integer viguit, & uſque ad extrema mundi ſeneſcentis tempora vigebit; vigebit ergò ſemper Regni Gallici gloria, & potentia. Nedùm ſub Chriſti, Regis Regum, ſed & ſub Deiparæ Virginis ejus Matris protectione Regnum Galliæ, à quo ſpeciali cultu honoratur, fœliciter quieſcit; in ejus adjutorio firmiter habitat; ſub umbra alarum eorum ſperat; ſcuto ſuo circumdat illud Deus, non timebit ergò à timore nocturno, id eſt, à ſeditionibus populorumque factionibus, quæ noctu ſolent fieri, nec ab adverſariorum ſagittis.

Regna inconcuſſa permanent, quæ ab uno vero Deo, & Trino proteguntur; quæ verò ab eo deſeruntur, ob idololatriam, vel Hæreſim, deleta ſunt, aut delebuntur. Audite ergò Principes, Reges vel Rerumpublicarum Rectores, Deum unum, & Trinum, Chriſtumque verum ejus conſubſtantialem Filium, Romanam Eccleſiam, quæ ſola vera eſt Chriſti Eccleſia, Deiparamque Virginem Mariam, ejus veram Matrem colite, ut veſtra firmiter ſtent imperia.

CAPVT III.

Fide Catholicâ & Apoſtolicâ, Regna & Imperia terrena conſervantur.

QUod Maro Poëtarum Princeps vanâ erga Romanos Gentilea adulatione cecinit.

> *Nec metas, nec tempora pono,*
> *Imperium ſine fine dedi.*

Hoc in regno Eccleſiæ Romanæ fœliciter impletum eſt. De hoc regno veraciùs Propheta Daniel, à Deo edoctus cecinit, *Regnum quod numquam diſſipabitur.* Regnum enim Babylonis per caput aureum Statuæ Nabuchodonoſoris; Regnum Medorum per argenteum pectus, Regnum Perſarum, per ventrem æneum, Regnum Græcum per crura ferrea figurata, perierunt, totaque illa adeò præclara Nabuchodonoſoris ſtatua pedibus ex luto compoſitis innixa, unius lapidis, abſque ulla hominis manu è cœlo cadentis impulſu cecidit, & diruta eſt. Quis ille lapis? non alius profectò niſi Chriſtus; juxta illud Apoſtoli; *Lapis autem erat Chriſtus*; qui non ex virili ſemine, ſed Spiritus S. flamine è cœlo in uterum Virginis deſcendit. Sacer iſte, ac cœleſtis lapis ſtatuam Nabuchodonoſoris, cunctaque infidelium regna, in illa figurata è cœlo in terram deſcendens, funditùs deſtruxit, novumque in terris, Eccleſiæ ſuæ ſcilicet Romanæ regnum erexit, cujus ipſe lapis angularis, duodecim Apoſtoli, Lapides duodecim fundamentales: Hoc inquam Regnum numquam diſſipabitur. Quod Tertullianus in Apologetico ſuo eleganter declarat, dicens, ſtante Româ, ſtabit Orbis.

Quare Rerumpublicarum, Regnumque Gubernatores, ſi ſua velint regna, vel Reſpublicas diù ſervari, Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Solio per veram fidem Catholicam, & Apoſtolicam firmiter adhæreant, nec ab illa per Schyſmata, vel per Hæreſes avellantur.

CAPVT IV.

Pius erga Sanctos, eorumque Imagines, cultus, Regnorum, & Imperiorum Præſidium, & tutela.

SAnctos, qui in hac vita Deum eximiè coluerunt, & ſupra omnia dilexerunt, & poſt fata, cœleſtes incolunt manſiones, à Deo diligi, & ſummis attolli honoribus, ipſi etiam Gentiles, ſolius rationis naturalis lumine cognoverunt. Heroës omnes enim illi, quos præclara virtutum facinora à cæteris hominibus diſtinxerant, à Jove illo fictitio in cœlum poſt mortem transferri, vel inter ſydera collocari arbitrabantur. Nulla autem vera virtus, nullaque vera Sanctitas fuit apud Gentiles, quibus nulla fides divina, nulla vera Religio, nullaque erga verum Deum pietas, & charitas fuerant, quæ ſolas veros heroas, & ſanctos efficiunt, ut fuſè, & eleganter demonſtrat Auguſtinus, lib. de religione. Infidelium virtutes, vitia erant, fuco probitatis colorata. Veræ virtutes, veraque Sanctitas ſolummodò apud fideles, qui verum, & unum Deum colunt, reperiuntur. Suos ergò cultores, quos eximia Sanctitas in cœlum tranſtulit, Deus diliget, Deus honorabit! Ad illos ſpectant hæc Verba apud Regium Vatem in Pſalm. *Nimis honorati ſunt*, id eſt, *multùm honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Ad eos Chriſtus Dei Filius hæc loquitur; *Vos amici mei eſtis.* Quis ergò furor, quæ cæcitas Hæreticorum mentes obſedit, ut Sanctorum Sacras Imagines, & ſtatuas, eorumque reliquias ex Eccleſiis extrahere audeant, pedibuſque conculcent, vel in cineres redigant? Hòc inquiunt, Lex Divina præcipit in Decalogò: *non facies tibi ſculptile, nec aliquod ſimulachrum:* fateor; ſed verba ſequentia, quæ ſubticent, addant Hæretici; *ut adores illa.* Nos

Sanctorum Imagines, Simulachra, ſacraſque corporum illorum exuvias, non adorámus cultu latriæ, qui ſoli Deo debetur, ſed cultu duliæ, eáſque honoramus, & in Eccleſiis erigimus, ut illarum religioſo conſpectu, ad Sanctorum præclara virtutum facinora imitanda accendamur. Honor, inquit D. Thomas, qui Sanctis, & eorum Imaginibus, aut Reliquiis à Fidelibus exhibetur, non eſt abſolutus, ſed relativus, nec ad Sanctos terminatur; ſed ad Deum refertur, ſicut & imago ad ſuum prototypum, & in illo quieſcit. *Qui vos audit, me audit, qui vos honorat, me colit*, ait Chriſtus ad Sanctos Apoſtolos. Sacer iſte & religioſus cultus Imperia, regna, Reſpublicas non deſtruit, ſed ſervat. Sanctorum è contra, eorumque imaginum contemptus Imperia, & Regna funditùs delet, quod Imperii Romani in Oriente exemplo patet. Imperatores enim Conſtantinopolitani, Iconomachi, ob ſacrarum imaginum contemptum, infauſtâ morte omnes periere, eorumque Imperium ad Turcas tranſlatum eſt. Imperium verò Occidentis Romanum, & Galliæ Regnum ob ſingularem erga Sanctos, earumque imagines religioſum cultum adhuc firmiter ſtant, & ſemper ſtabunt; ſtante enim Româ, ſtabit Romanum Imperium, ſtabit & Regnum Galliæ. Quàm eximia enim Regum Galliæ erga Sanctos pietas, quibus innumeras, & magnificas ſacravit Eccleſias, in quibus ſacræ eorum Reliquiæ requieſcunt, & à fidelibus coluntur. Clodovæus S. Martini in civitate Turonenſi corpus maximè honoravit, ejuſque Eccleſiæ, & Cœnobii agros à militum undequaque graſſantium impetu ſervavit, redditus auxit. Carolus Magnus Sanctis magnifica Templa erexit. S. Ludovicus quàm plura Monaſteria ædificavit, ad honorem & cultum Sanctorum, Religioſus hic erga ſanctos cultus ad ejus poſteros tranſivit, & pio hoc cultu Regnum Galliæ ſtat, & uſque ad extrema mundi tempora ſtabit.

CAPUT V.

Regum paternus erga ſubditos affectus, ſubditorumque erga Reges ſuos filialis amor, & timor, Regni ſunt columina & præſidia.

CRudelitatem privatorum ſerviles quoque manus ſub certo Crucis periculo vitæ ſunt: Tyrannorum gentes, populique, & quorum erat malum, & hi quibus imminebat, excindere aggreſſi ſunt; ait Seneca lib. 1. de clementia c. 26. aliquando ſua præſidia, in Tyrannos conſurrexerunt, & perfidiam, & impietatem & feritatem, & quidquid ab illis didicerant, in ipſos exercuerunt. Quid enim poteſt ab eo ſperare quiſquam, quem malum eſſe ſuo exemplo docuit quod quamplurium Romanorum Imperatorum infœlici morte probatum eſt; Nero enim cui Seneca libros de clementia dicavit; Claudius Cajus Caligula & alii quamplures Romani Imperatores, ob crudelitatem à ſuis militibus crudeliter necati ſunt. Non diu imperat nequitia, nec tuta Tyrannorum crudelitas. Heu quale regnum eſt? Non aliud quàm captatum urbium forma, & terribiles facies metus publici. Omnia mœſta, trepida, confuſa. Voluptates ipſæ timentur, convivia non ſunt ſecura, nec ſpectacula, in quibus materia criminis, ac periculi occurrit. Apparentur licet magnâ impenſâ, & regiis opibus, & artificum exquiſitis nominibus, quem tamen è ludo in carcerem ire juvet? quid iſtud, Deus bone, malum eſt, occidere, ſævire, delectari ſono cathenarum, & civium capita amputare, multum ſanguinis effundere, aſpectu ſuo terrere, ac fugare? quæ alia vita eſſet, ſi Leones, Urſique regnarent? Si ſerpentibus in nos, ac noxiſſimo cuique animali daretur poteſtas? illa rationis expertia, à nobis immanitatis crimine damnata, abſtinent à ſuis, & tuta eſt etiam inter feras ſimilitudo: apud homines tantùm nec à neceſſariis quidem rabies temperat ſibi. Nullum ornamentum Regis faſtigio dignius, pulchriuſque quàm corona civica *ob cives ſervatos*; non hoſtilia arma detracta victis; non currus triumphales, non parta bello ſpolia. Hæc divina quædam eſt potentia, multos ſervare, multos autem occidere, & indiſcretos, incendii, ac ruinæ potentia eſt.

Et mirabitur quis ſubditos in Principem crudelem, qui ſubditis, ut viliſſimis mancipiis imperat, rebellare? ex qua rebellione Regna deſtruuntur? Imperet ergò ſubditis Princeps ut filiis; civili, & paterno, non deſpotico imperio: ſi iſtud agat, abſque dubio ſubditi Principi ut Patri ſubjicientur, illum filiali timore colent, illum amabunt, & ex mutuo Principis, & ſubditorum amore firma erit concordia, pax, & tranquillitas, quibus Regna firmantur, & conſervantur.

CAPUT VI.

Antiquæ Regni Conſuetudines Legeſque, tum à Principe religioſè ſervandæ, omniſque novitas in Regimine civili fugienda; his Imperia conſervantur.

DEi Regis Regum, & Domini Dominantium Imperium nunquam diſſipabitur, cujus perpetuitatis hæc eſt præcipua ratio; quia Deus non mutatur, nec nova ſtatuit conſilia, vel decreta. *Ego*, inquit, *Deus, & non mutor, & conſilium meum ſemper ſtabit, non enim eſt ſicut homo, qui quotidie ſua mutat conſilia.* Decreta Dei non pennâ volatili, & calamo fragili, ſed laminâ ferreâ ſculptâ ſunt veluti in ſilice. Ab æterno Deus omnia in tempore facienda efficaci ſuæ voluntatis decreto ſtatuit. *Præceptum poſuit*; ait Regius Vates, *& non præteribit, ordinatione tuâ perſeverat dies*: Conſilium mutare, cordis ſignat levitatem. Sapiens, quòd ſemel decrevit illud in perpetuum ſervat. *Fata* etiam *Jupiter ſervat*, canit Poëta Gentilis. Fatum à fando dicitur; quod enim Deus ab æterno dixit, & decrevit, hoc ex ſumma ſui conſilii immutabilitate, ratum ſemper habet. *Deus non flectitur, nec ut homo pœnitudine afficitur.*

Reges Dei in terris Vices gerunt; Dei ergò in ſuis decretis immutabilitatem imitentur: antiquas Regni conſuetudines, legeſque fundamentales non mutent, nec reſciſſis præcedentibus decretis nova condant; niſi pro ratione temporis.

Interdùm enim pro publico Regni commodo expedit nova ſtatuere decreta; antiquæ tamen & fundamentales Leges non ſunt reſcindendæ; maximè quæ ad Dei cultum, veramque Chriſtianam Religionem ſpectant. Regna enim quæ prius falſa Deorum Numina colebant, prophanum hunc cultum debent abjicere; ſuſceptâ autem verâ unius Dei & Trini Religione ab illa numquam debent recedere. Quare puniendi Hæretici, qui ſpretâ Fide Catholicâ, & Romanâ, Calvini, Lutheri, aliorumque Hæreticorum erronea dogmata amplectuntur.

Antiquitas maximè ab omnibus honoranda, quando rectæ rationi, & veræ Religionis Legibus conſonat. Deum ratione ſuæ antiquitatis, ſeu æter-

nitatis præcipuè colimus. Coërcendus ergò inordinatus novitatis appetitus, imprimis in regimine civili, ſeu politico; ex illo enim Rerumpublicarum, Regnorum, & Imperiorum mutationes, tranſlationes, & excidia oriuntur.

Plebs novitatis regiminis cupidiſſima eſt; ſperat enim ſemper ſub novo Principis Regimine melius ſe habere: contrarium verò ſæpè evenit; ut Iſraëliticæ gentis exemplo comprobatur; ſævitiam enim Roboam filii Salomonis, qui illos Scorpionibus cædere moliebatur, fugientes ad Ieroboami tyrannidem tranſierunt, qui illos à vero unius Dei cultu ad Idololatriam vitulorum aureorum tranſtulit. Antiquitas tecti regiminis, à Principe religiosè & à ſubditis ſervetur. Hæc obſervantia Regnorum eſt firmitas.

CAPUT VII.

Inordinatus Libertatis appetitus coërcendus; nec reſpuenda debita legitimo Principi obedientia, quâ vera libertas non læditur, ſed perficitur.

AD libertatem, ad libertatem nati ſumus exclamant, *filii Belial*! id eſt excuſſo omni ſubjectionis jugo. Inordinatus falſæ hujus libertatis appetitus, Batavos, à Regis Hiſpaniarum Dominio, Helvetios ab Imperatorum regimine removit. Iniquiſſima tamen fuit ab initio hæc rebellio; Lege enim naturali ſubditi tenentur legitimis ſuis obedire Principibus, quod & divina ſancit conſtitutio. Societas enim civilis, ut diximus, ex imperantibus, & parentibus componitur. Veræ autem libertati nec lex naturalis, nec divina adverſatur. Præcipit nobis Deus, ut regimini noſtro præfectis ſubjiciamur, eorumque præceptis obtemperemus, nec tamen libertatem in nobis vult perire, vel lædi, ſine qua nullum eſſet obedientiæ noſtræ meritum, nulla laus, nullum præmium. Præcipit nobis Deus, ut ejus mandata ſervemus, nullaque nobis in hac obedientia neceſſitas à Deo imponitur, ſed libertas magis augetur. Tantò liberior voluntas noſtra, ait Auguſtinus, quantò Deo ſubjectior. Obedire enim Deo, illique ſervire, regnare eſt. Inordinati utriuſque appetitus affectibus ſubjici, hæc vera non eſt, & Germana libertas, ſed turpiſſima, & nefanda ſervitus. Quicumque verò legitimis ſuis præpoſitis ſubjici detrectant, ut falſam, & ſpuriam illam libertatem ſervent, vitiis, imò, & dæmoni ſerviunt. Oſtende, inquit Seneca epiſt. 44. quis non ſit ſervus. Alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni, ſervit omnes timori. Nulla ſervitus turpior, quàm voluntaria, nulla infamior, quàm vitiis ſervire: Vera libertas, Deo ſervire, ejuſque mandatis obedire. Deus autem vult, & præcipit ſubditis ut Dominis ſuis obediant. Vera ergò libertas eſt Regibus, aliiſque Rectoribus obedire. Ut autem ſubditi Regibus humiliter, & religiosè obediant, Reges illis regaliter & rationabiliter imperent: *Rationabile*, inquit Apoſtolus, *ſit obſequium veſtrum*, Rationabile ergò ſit Prælatorum imperium ex utroque ſtant firmiter Regna.

CAPUT VIII.

Regum Innocentia, & optima vita, Regnorum Præſidium, & columen.

REges ad hunc finem à Deo in terris inſtituti ſunt, nedùm ut ea quæ ad vitæ corporalis, & ſenſitivæ ſufficientiam ſpectant, ſubditis abundè provideant, ſed ea quæ ad vitam rationalem perficiendam, & conſervandam deſiderantur, ut fusè ſupra demonſtravimus. Regere enim eſt in finem dirigere, finis verò ſocietatis civilis eſt vita beata. Homines autem à Deo Regum Rege ad beatitudinem cœleſtem ab æterno ſunt præordinati, quæ per virtutes, tùm morales, tùm Theologicas comparatur. Ad cultum ergò virtutum omnium, qui aliis imperat, adſtringitur, ut & ipſe cœleſtem, & ſupernaturalem fœlicitatem conſequatur, juxta illud Regii Vates; *Attollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ: quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Ubi animadvertendum, quòd non audito, Regem potentem eſſe in prælio, cœlorum portæ aperiuntur; ſed ubi hæc vox inſonat, *Rex eſt virtutum.* Regnum enim cœleſte à Deo non tribuitur, niſi ob egregia virtutum, tùm moralium, tùm Theologicarum patrata facinora. Aſſuerus enim, Nabuchodonoſor, Alexander ille Magnus, Romanique Imperatores Gentiles bellicâ virtute præditi fuere, quia tamen verâ religione carebant, & vitiis turpiſſimis ſerviebant, à cœleſti fœlicitate in æternum ſunt excluſi, eorumque imperia funditùs deleta ſunt.

Nedùm verò terreni Principes probi eſſe debent, & ad cultum virtutum adſtringuntur, ut cœleſtem, & æternam conſequantur fœlicitatem; ſed etiam ut ſuo exemplo ſubditos ad eam dirigant. *Regum* enim *exemplo totus componitur orbis*, canit Poëta. Rex currus eſt, & auriga populorum, quorum regimini præeſt. Currus dicitur à Propheta, quia eos ſuâ portat, & ſupportat clementiâ; auriga verò eſt quia eos ad cœleſtem beatitudinem debet dirigere, quod nedùm verbo, & æquarum Legum inſtitutione præſtat, ſed præcipuè optimis virtutum exemplis. Quatuor illa animalia, quæ apud Prophetam Ezechielis currum illum myſticum trahebant viſionem, id eſt, Globum aureum diſcurrentem; indeflexo tramite ſequebantur, itaut cum illa aſcendente, aſcenderent; cum deſcendente, deſcenderent. Reges auro veſtiuntur, aurea illis chlamys, aureum ſceptrum, aurea corona, aurea domus; quare per globum aureum optimè figurantur. Cùm autem per egregia virtutum facinora ſursùm feruntur, & ad cœleſtem beatitudinem anhelant, ſubditi eorum exempla ad illum feruntur; cùm verò ad vitia prolabuntur, in eadem crimina ſubditi præcipites ruunt, regnaque intereunt. Regum ergò illibata innocentia, ſalus eſt Reipuplicæ, & columen regnorum.

CAPUT IX.

Subditorum optimi mores Regna conſervant.

TAnta, adeòque væſana fuit Iſraëlitarum in nefanda crimina, præ cæteris ad Idolorum cultum proclivitas, ut Sanctiſſimorum Regum putà Ioſiæ, Ioſaphat, & aliorum religioſo in unum Deum cultu ab Idololatria non potuerint revocari: Quare Deus perfidam illam gentem Nabuchodonoſoris Imperio ſubjecit, Regnumque Iudaïcum deletum eſt. Nedùm enim ad Regnorum præſidium Regum innocentia, & ſanctitas, ſed & ſubditorum probitas deſideratur: in vanum Aurigæ deſudat induſtria, cùm equi indomiti currum, huc & illuc impellunt. Rex, ut diximus, Auriga eſt; Equi indomiti, populi ſunt, ad omnia crimina proclives, & frœni impatientes. Ut ergò currus recto tramite feratur, id eſt, ut regnum floreat, & cuncta illi proſperantur Principis ne-

Digitized by Google

dum ionoceotia, ſed & ſubditorum probitas deſideratur. Verùm quia equis indomitis calcaria admovenda ſunt, & flagella, Rex pius, quos ſuâ clementiâ, innocentiâ, & eximiis virtutum exemplis, à pravitate ad probitatem flectere nequit, calcaria, & flagella admoveat, & improbos, ac contumaces dignis caſtiget ſuppliciis. Patibula, inquit Zeno Veronenſis, quædam ſuot veluti vaſa aquâ benedictâ plena; ſicut enim aqua benedicta in limioe Eccleſiarum appooitur, quâ dæmones fugentur, tonitrua, fulgura, fulmina compeſcantur, & delicta diluantur, ſic in locis urbium publicis erigi debent patibula; quibus improborum populotum contumacia conteratur, & publica foveatur tranquillitas. Improbi enim terrore potius, quàm amore, vindictâ quàm clemeotiâ ad ſanam meotem tedeunt.

CAPVT X.

Rex concordiam inter ſubditos foveat; hæc Regna conſervat.

HArmoniam, id eſt concordiam, Gentiles olim tanquam aliquod Numeo erroneâ ſuperſtitione coluerunt, rati aliquid in illa eſſe divinum; hâcque mundum regi, cœlorum motus ordinari, omneſque civitates, Regna, & Imperia conſervari. Inde fabuloſa illa Poëtarum commenta. Fingunt enim Apollinem cytharâ ſuâ cœlos regere, Amphionem, & Otpheum Thebas, aliaſque Græciæ civitates ædificaſſe, rationi tamen hæ fabulæ nitebantur: Concordiâ enim, tùm civium ad invicem, tùm Principis cum ſubditis, tùm ſubditorum cum Principibus concordiâ civitates, Reſpublicæ, Regna, & Imperia conſervantur. Omnis ſocietas, quæ ſociorum concordiâ caret, oon eſt ſocieras, ſed mera cooſuſio, & ſicut lapidum acervus, qui nullo coemento cooſtringitur, facilè diſſipatur; ſic & civium collectio ſtatim deſtruetur, niſi concordiæ, mutuique amoris vioculo conſtringatur.

Societates omnes humanæ, tàm domeſticæ, quàm civiles, ut ſuprà demonſtravimus, primæ, antiquiſſimæ, & æternæ trium perſonarum ſocietatis, quædam ſunt emanationes & ad illius exemplar à Deo efformatæ. Æternæ autem, & increatæ illius trium perſonarum ſocietatis ſumma eſt concordia, ſeu harmonia; Spiritu enim Sancto, tanquam amoris vinculo perſonæ divinæ, ad invicem fœderantur: Quare in æternum ſtabit fœlix illa ſocietas, perfectæ, & imperturbabilis harmooiæ beneficio.

Placuit æternæ illi & divinæ trium perſonarum, Patris, Filii, & Spir. S. ſocietati alias in tempore, creaturarũ ſcilicet ſocietates io hoc mundo conſtituere, quas omnes harmoniæ, ſeu concordiæ beneficio conſervat. Et quidem primò cœlos, & ſtellas creavit, & inter illas harmooiam, ceu concordiam poſuit; licèt enim contrariis moveantur curſibus, ſemper tamen inter ſe concordant. Vnde Iob: *qui facit concordiam in ſublimibus*, id eſt in cœlis. Et ad Iob Deus. *Concentum cœlorum tacere quis faciet?* Inde cœlorum illa harmonia à Pythagora adeò decaotata. Cùm ergò harmoniâ, & concordiâ tùm divina trium perſonarum ſocietas, tùm cœlorum, tùm elementorum collectio perſeveret, humanæ profectò ſocietates; tàm domeſticæ, quàm civiles, Reſpublicæ, Regna, & Imperia eâdem harmoniâ, ſeu concordiâ ſtabunt. Æquiſſimum cenſet Ariſtoteles, lib. 6. politic. tàm Principes quàm ſubditos pro ſalute Reipublicæ muſicam edoceri, huc opinor reſpiciens, quòd Muſicâ ex vocum grata harmonia, tàm Principes quàm ſubditi ad animorum corcordiam ſervandam incitentur, quæ regnorum præſidium eſt, & conſervatio.

CAPVT XI.

Caveant ſummoperè Reges, ſi & diu velint regnare, Regnumque ad poſteros transferre; ne extraneos in ſuum regnum advenientes, nec privatos aulicos nimiùm extollant, nec ducibus ſuorum exercituum, nimiam conferant auctoritatem: hæc Regna deſtruunt, contraria conſervant.

REgoa, & Imperia tribus viis, ut plurimùm, deſtruuntur. Primò, quando extranei, à Regibus in ſuo regno nimiùm evehuntur, qui ingenii calliditate ſupremam in regno auctoritatem uſurpant. Secunda via ruinæ Imperii, quando Reges privatos aulicos, ſupra modum evehuot, ut ſupremi dicantur regni Miniſtri. Tertiâ, quando ſuorum exercituum Præfectibus, ſeu ducibus nimiam auctoritatem concedunt. Horum omnium innumera occurrunt in omuibus Regnis exempla, & quidem quoad primum. Aſſuerus Rex Aſſyriorum Aman quemdam extraneum, Cappadocem, in ſuo regno admiſit, adeòque eum extulit, ut ſolus ipſe imperare videretur; quidquid enim Amao extraneus decreverat, Aſſuerus ociu torpens, & delitiis affluens confirmabat, Sceptrumque abſque dubio totius Orientis Aman uſurpaſſet, niſi Regina Eſther ex Iudaica geote progeoita, Vafri illius Amao fallaciam detexiſſet. Quoad ſecundum varia occurrunt in Regno Galliæ exempla, omoibus notiſſima, nec hic referenda. Quoad tertiùm innumera adhuc in Romano Imperio occurrunt exempla, ſicut & io Turcarum regno. Mos olim apud Romanos receptus erat; ut ſuffragio militum Imperatores crearentor, quibus ſummi belli duces, & exercituum Præfecti imperabant. Quare cùm Imperator Prætorianæ ſuæ coſtodiæ Ducem aliquem præfecerat, iſte cui fortè Imperator non placebat, vel inordinatâ imperandi libidine percitus, milites Prætorianos adverſus Imperatorem commovebat, & ab his ejus juſſu necabatur, & poſtmodum ab eiſdem militibus Imperator proclamabatur. Hâc via quamplures Romani Imperatores ſupremam poteſtatem, & vitam perdidere. Pro omnibus Mauritius Imperator adducatur, qui Phocam Prætorianæ cohorti præfecit; hic impotenti regnandi appetitu commotus, ingratiſſimus ſceleſtiſſimuſque benefactorem ſuum, piiſſimumque Patrem militibus occidendum tradidit, qui ſtupratâ prius ejus in conſpectu uxore, violatiſque filiabus, & filiis enecatis, oculos Mauritio erucrunt, orbumq; crudeliter interfeceruot; debitas autem pro tot ſceleribus pœnas, Phocas ipſe non evaſit, qui à militibus ob infamia ejus adulteria, & homicidia, interfectus eſt.

Eâdem adhuc viâ apud Turcas Imperatores ſupremam auctoritatem, & vitam perduot, ut quotidiana demonſtrant exempla, quando enim Præfectus cohortis Prætorianæ, ſeu Ianiſſariorum Dux, cum ſummo Mahometanæ ſuperſtitionis Pontifice, qui Mophti appellatur, iu unum ad deponendum Imperatorem conveoiunt, tunc juſſu Præfecti milites, ſeu Ianiſſarii adverſus Imperatorem inſorgunt, eumque vel in turre incarcerant, vel ad ipſa matrum ſuarum genua jacentem horrendo modo ſtrangulant, ut Imperatori apud Turcas imperatori, quando in Candia ego degebam, contigit.

Reges ergò, ut diu regnent, ſuumque Regnum ad poſteros transferant, hæc tria ſummoperè caveant, & quidem primò extraneos, id eſt, ex aliis regnis advenas, in ſuo regno non attollant, nec illis nimiam in regno auctoritatem concedant, Secundò,

nullum ex aulicis privatis adeò evehant, ut quaſi ſecundi à Rege, Regnique ſupremi Miniſtri habeantur. Tertiò, ſummis exercituum Regiorum Præfectis ſumma non tribuatur autoritas.

His tribus viis Ludovicus decimus quartus, Magnus, Auguſtus, à Deo Datus ad Regni Liliati gloriam amplificandam fœliciter regnat, & regnabit in ſuis poſteris. Nam extraneos, & advenas, quibus gubernandi auctoritatem concedat, in ſuo regno non recipit. Nullus eſt in ſuo Regno Palatii Regii Præfectus; nullus ab illo adeò carè diligitur; ut regnum gubernet; nullus exercituum Regiorum regimini ſumma cum auctoritate militibus imperat. Conteſtabilis dignitas ab eo ſuppreſſa eſt, Miniſtros habet, ſed ſub ſummo ſemper ejus magiſterio, quos pro libero ſuæ voluntatis Regiæ beneplacito deponit, & alios creat, & in ſuo Supremo & Regio Conſilio, Senatorum & Conſiliorum ſuffragia, & ſententias audit, quas, ſi libuerit, ſequitur, ſi libuerit, reſpuit.

Nec mirum, Regem enim Gallia nunc habet ſapientiſſimum, æquiſſimum, ſtrenuiſſimum; Sapientiſſimum, & Prudentiſſimum in Conſilio æquiſſimum in Legibus condendis, ſtrenuiſſimum & generoſiſſimum in præliis, qui nullo labore fatigatur, nullo hoſtium impetu terretur, qui duorum menſium ſpatio totam ferè Bataviam ſuperavit; uno menſe liberam Burgundiam ſuæ ditioni ſubdidit, & quindecim dierum ſpatio, hyberno etiam tempore, præcipuas, & retro ſæculis invictas Belgii Vrbes admirandâ ſuâ celeritate, prudentiâ, & fortitudine expugnavit; ut potiori longè jure illud poſſit uſurpare, quod olim Iulius Cæſar de ſeipſo protulit; *Veni, vidi, vici.* Vix enim Cameracum, vix Gandium, vix S. Omarum vidit, quin ſtatim inexpugnabiles urbes vicerit,

Perge ergò Rex magne. Auguſte, à Deo Date, perge, quò cœpiſti pede? viis omnibus illis, quas à tua inauguratione ambulaſti, procede. *Propter manſuetudinem, Regiamque tuam clementiam, & æquitatem, deducet te mirabiliter dextera tua. Sagitta tua acuta, populi ſub te cadent*; *acuta*, inquam, *ſagitta* in corda inimicorū Regis noſtri. *Exaudiat te Dominus protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te*, Regiamque veſtram familiam, Reginam, Delphinum, ejuſque caſtam uxorem, eiſque prolem Regiam inclytam donet, ut & in illis Davidicum illud impleatur Vaticinium, *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper univerſam terram*: Et illud; *Benedicat tibi Dominus ex Sion, ut videas bona omnibus diebus vitæ tuæ, ut videas filios filiorum tuorum, & pacem in Regno tuo.*

CAPVT XII.

Reges à ſuis Regnis quatuor nefandiſſima crimina, videlicet Blaſphemiam contra Deum, nefandos cum pueris Concubitus, Sortilegia, & veneni Propinationem procul eliminent, ut ſua Regna diu conſervent, & ad Poſteros transferant.

Blaſphemia, ſive corde concepta, ſive ore prolata, nefandiſſimum ſcelus eſt, crimenque divinæ Læſæ Majeſtatis. Per illam enim, ut docet D. Thomas, vel Deo denegantur, quæ illi propria ſunt, ut æternitas, immenſitas, infinita ſapientia, infinita potentia, infinita bonitas, veritas, juſtitiâ, ſanctitas, & alia attributa; vel illi attribuuntur quæ ſummæ ejus Majeſtati repugnant: Hæc blaſphemia Hæreticalis per Atheiſmum in corde concipitur, ore verò profertur, quandò unus Deus negatur, pluresque Dii coluntur. Deus enim non eſt, ſi unus non eſt, pluriumque Deorum adſtructio, totius Divinitatis eſt deſtructio, ut verè dixit Tertullianus. Alia verò eſt blaſphemia, quandò videlicet nomen unius Dei in vanum ſumitur, & per illud ad confirmandum mendacium juratur; cujus publicæ blaſphemiæ, innumeræ, & horrendæ ſunt ſpecies, & apud Gallos etiam Chriſtianos ſæpiſſimè uſitatæ, quas horret animus concipere, trepidatque calamus exſcribere.

Horrendum hoc ſcelus tempore etiam S. Ludovici noni Regis in Gallia vigebat, ad quod delendum pius ille, & religioſiſſimus Princeps decretum æquiſſimum ſtatuit, ut blaſphemantis lingua ferro ignito adureretur, à qua pœna nec proprios filios, ſi hoc crimen perpetraſſent, quod tamen non accidit, voluit abſolvi.

Gratias tibi immenſas agimus, Ludovice Auguſte à Deo Date, quòd B. Ludovici noni Abavi tui piis inhærens veſtigiis, nefandum hoc crimen à tuo Regno eliminare ſanctis tuis decretis quotidie niteris. Huic immani ſceleri aliud nefandiſſimum, addendum eſt, Legi etiam naturæ maximè contrarium, illiciti ſcilicet Maſculorum cum pueris concubitus. Horruit cœlum, horruit mare, totaque terra ad fœtidiſſimum hujuſce ſceleris odorem, quem Deus non ferens tempore Noë aquarum diluvium miſit in terram, & ſequenti ſæculo Sodomam, Gomorram, aliaſque urbes igne è cœlo immiſſo, in cineres redegit. Fœtorem hunc tartareum, Ludovice Auguſte, à Deo Date, à tuo Regno conaris rejicere, ut Liliati tui Regni flores innatam ſervent fragrantiam.

Aliud nefandiſſimum eſt ſcelus Regnorum ſaluti, & converſationi maximè contrarium, videlicet, horrendum cum dæmonibus commercium, quod Magia vocatur, de quo fusè in tomo 4. Theologi mei Eccleſiaſtæ ſupra egimus. Huic cum dæmonibus commercio, Populi Orientales, ut Perſæ, Medi, Turcæ, ſupra modum addicti ſunt. Has, tu Auguſte, & à Deo Date Ludovice, nefandas, & ſacrilegas artes à tuo Regno repellere quotidie niteris; quare & Regnum tuum quotidie nova gloriæ recipit augmenta; æquiſſimis enim tuæ juſtitiæ decretis, Magi, Sagæ, Malefici ad mortem damnantur, & igne cremantur.

Aliud nefandum ſcelus, Regnis infauſtum occurrit, quod adhuc ex orientalibus plagis originem habet; ab Oriente enim panditur omne malum, videlicet Venenorum propinatio. Venena enim in oriente, vim maximam habent, & adeo noxiâ arte à Pharmacopolis conficiuntur, ut ſolo odore florum veneno hoc infecti homines enecentur. Funeſtiſſima, & Diabolica hæc ars, ab orientalibus adhuc plagis per ſceleratiſſimos homines ad Galliam noſtris temporibus delata eſt, quâ filiæ parentes ſuos; fratres, viros crudeliſſimè interficiunt, ut paternis, & fraternis ditentur bonis. Heu! quot à paucis annis maleficâ hac arte in hoc Regno prœmaturâ morte perierunt, & quotidie pereunt; graſſatur per quam plures domos venenum, ita ut viri, uxores, filios parentes, fratres timeant fratres. Antiquis retrò temporibus apud gentiles nefandiſſimum hoc ſcelus perpetrabatur, ut ex Poëtæ antiqui & gentilis, his verſibus apparet.

Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero fratrum quoque gratia rara eſt
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti, &c.

Digitized by Google

Sed Deo gratiæ immortales reddantur, quia ad Regni Lilium decus & ſubſidium, Magnum, Auguſtum, & ab eo datum Ludovicum Precibus Sanctiſſimæ, & Immaculatæ Deiparæ Virginis, huic Galliarum Regno dedit Imperatorem. Magnus enim hic Ludovicus, Auguſtus, & à Deo Datus, horrendum hoc veneni propinationis ſcelus, æquiſſimis ſuæ juſtitiæ decretis à ſuo Regno procul amandare conatur. Et quidem jure optimo, populum enim ſibi ſubditum paterno diligit affectu, quos quotidie nefandâ veneni propinatione, perire videt. Nec ab hac teterrimâ peſte immunes ſunt, Optimatum, Procerumque Regni familiæ; ô Deus! nec ab ipſa Domus Regia libera: In nefandos illos veneni propinatores, exſurge de cœlo, juſtitia. Exſurgat, & zelus tuus, Magne Auguſte Ludovice. Publici ignes accendantur, in favillas redigantur immanes illi generis humani hoſtes, mitius in nos exteratum gladius ſævit; plures veneno propinato, quàm ferro extinguntur. Niſi nefando huic ſceleri via obſtruatur, urbes omnes Galliæ deſertæ erunt, peribit tota Gallia, ut ſoli regnent veneni Propinatores.

Tria Deus Davidi Regi, ob ejus ſuperbiam flagella, manu Angeli obtulit, gladium ſcilicet, famem, & peſtem, ut pro ſuo voto unum ex tribus illis eligeret; peſtem David elegit; quæ nulli hominum parcit, & in divites, ſicut & in pauperes, in Reges, ſicut & in ſubditos ſævit: ſic enim Ludovicus nonus Rex Galliæ, militari peſte in Paleſtina obiit. Quartum Dæmon in Orbem flagellum torſit, veneni ſcilicet propinationem præ omnibus timendum. Acerbiſſimum hoc flagellum, quòd acriùs in populos, quàm gladius, fames, peſtis ſævit. In prælio enim hoſtis videtur, ſterilitas agrorum omnibus patet, & ab ea prudentiſſimus Ioſeph, ſuâ Ægyptum providentiâ liberavit, peſtis adhuc non ſemper incautos enecat. Sed à veneni propinatione quis effugiet? cibis enim, & potubus, venenum infunditur à propriis ſervis. Imò à filiis, ab uxoribus, à fratribus. O nefandiſſimum ſcelus, quod ex erebo Dæmones detulerunt! Exſurge iterum de cœlo juſtitia criminum vindex, totoque furoris æſtu in venenorum propinatores debacchare! ſub fœliciſſimo Ludovici Magni, Auguſti à Deo Dati regno tartarea hæc peſtis Vrbes ejus invaſit. Proh dolor! totus Terrarum orbis Ludovicum Auguſtum colit, timet, veneratur. Hiſpania, Germania, Italia, Anglia, Batavia, Ludovici Auguſti benevolentiam ambiunt, Galli ejus ſubditi, veneni propinatione Regnum ejus deſtruere conantur. Niſi enim nefando hinc ſceleri, ut dixi, via obſtruatur; deſertæ erunt omnes civitates.

Quatuor ergò nefanda illa ſcelera, videlicet blaſphemia, illicitiq; virorum cum pueris concubitus, Magia, ſeu commercium cum dæmone, venenique propinatio à Regnis procul eliminentur, ut cuncta illis, Deo favente, proſpera eveniant. Iuſtitiæ enim religionis, aliarumque virtutum cultu Regna florent & conſervantur; impietate, injuſtitiâ, incontinentiâ, fraude pereant. Niſi Deus cuſtodierit civitates, & regna, fruſtrà vigilant, qui cuſtodiunt, & illa tegunt. Deus autem iniquitatem odit; Deus blaſphemantes impudicos, & omnes iniquos abominatur. *Non habitabit juxta te malignus*, ait Regius Vates, *neque permanebunt injuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*, Pſalm. 5. Nonne & Principes abominabitur Dominus, qui vitiis ſceleratis favent, eorumque nefanda non puniunt crimina? In Lege præceptum eſt non ſolùm reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati. Quod Rex David attentâ mente conſiderans, *in matutinis*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ*, quorum verborum verus eſt hic ſenſus; in nocte decreta ſtatuebam adverſus impios, blaſphemantes nomen Dei, adverſus idolorum Cultores, Magos, & Veneficos. Ad quid enim Reges à Deo gladium accepere, niſi ut impios, & ſacrilegos ſeverè puniant? Si non vales adverſus ſceleratos, zelo juſtitiæ vindicantis irrumpere, *Noli fieri Iudex*, ait Deus in Eccleſiaſt.

Hoc adhuc nefandiſſimum ſcelus Ludovicus noſter Rex à Deo Datus, & Auguſtus à ſuo regno quotidie procul repellere nititur; quare fœliciter, Deo opitulante regnat, & in ſuis poſteris, uſque ad extrema mundi ſæcula regnabit.

LIBER X.

FALSA, INIQUA, ET SACRILEGA quorundam ſæculi Sapientum, Politia declaratur & impugnatur.

QUÆSTIO UNICA.

PROOEMIUM.

NON nulli ſæculi Sapientes, qui terrena, carnalia, & mundana ſapiunt; non quæ Dei ſunt, & ad veram ſpectant Religionem, ſæculo præcedenti, ex erebo in lucem prodiere, qui falſam, iniquam & ſacrilegam Politicam in Regna introducere conati ſunt, quorum maxima, ſeu aſſertiones ſequenti capite à nobis proponentur, & impugnabuntur.

CAPUT PRIMUM.

Novorum, modernorumque Politicorum falſa, iniqua, & ſacrilega aſſertiones proponuntur, & ſequentibus capitibus impugnantur.

PRæcenditi ſæculo non nulli ex erebo in lucem prodiere, tùm Hæretici, tùm Athei, qui ſæculi ſapientiam, quæ mera eſt apud Deum ſtultitia, ut dicit Apoſtolus, buccis conerepantibus, ut Auguſtini verbia utar, ventilantes, novæ, falſæ, impiæ politicæ quatuor decim dogmata, veræ, & Chriſtianæ Politicæ contraria, tùm Latino, tùm Italico idiomate, in Gallia, Germania, & Italia conſcripta typis mandarunt. Quorum primum hoc eſt, ut bonum temporale ſtatus, ſeu Regni, à Principibus hujus ſæculi religioni, etiam Chriſtianæ, præ cæteris, illi, quam Romana Ecclesia, quæ ſola vera eſt, & Chriſtiana Ecclesia, amplectitur anteponatur; quod ex Tacito, Gentili, & impiiſſimo Politico novi iſti Politici deprompſere; dicente; *Si jus violundum eſt, etiam divinum, regnandi cauſa violandum eſt.*

Secundum eorum dogma; tale eſt, ad regnum diſſidiis liberandum, rempublicam politicè prius ſtabiliendam eſſe, quouſque vacet Politiæ Eccleſiaſticæ, & Religioni componendæ. Tertium perverſum dogma, permitti debere in Regno vel Republica Sectarum in Religioni etiam diſſidentium varietatem, & hâc viâ pacem, quietem, & concordiam fore ſtabilem, quartum eorum dogma, Hæreticos à Principibus Chriſtianis, nedùm in ſuis Statibus, ſeu regnis tolerandos, ſed fovendos, & ſummis honoribus decorandos. Quintum dogma, Principem ſpreto alieno conſilio, ſuæ ſoliquæ prudentiæ debere inniti, ut regnum ſuum ſtabile reddat. Sextum dogma, ut pietatem Princeps, & Religionem, quam etiam non habet, præſe ferat. Septimum, ſi quid in Religione falſum ſit, comprobet, ac firmet, dùm id proſit fovendæ qualicumque Religioni: Octavum ſacrilegum dogma, Princeps Religionem Ethnicam præferat Chriſtianæ. Nonum, Doctores Chriſtianæ Religionis nihili faciat, & de Romana ac Catholica Eccleſia peſſimè ſentiat. Decimum, fortunæ, & caſui, non veræ Religioni regnorum fœlicitatem eſſe tribuendam; vel ſoli Principum ſtrenuitati, eorum armis, non Dei auxilio. Undecimum, Principem, ut regni ſui limites extendat, poſſe vi, vicinorum Principum Status invadere eiſque bellum abſque ulla recepta injuria indicere. Duodecimum; Principi Tyrannum aliquem imitandum eſſe, temnendamque crudelitatis famam, dummodo in officio ſubditos contineat, ſpernat, à quibus malit timeri, quàm amari. Decimum-tertium, leonis, & vulpis ingenium induat. Decimum-quartum, factiones inter ſubditos alat, his viis Regnum ſuum firmabit.

Hæc Sacrilegæ politicæ dogmata nebulones impii, naturæ, juris, religionis Oſores Hæretici & Atheiſmi invectores præcedenti ſæculo in lucem protulere: quare, ut refert Antonius. Poſſevinus è Societate Ieſu, blaſphemantes animam evomuere. Hæc verò impia dogmata ſequentibus capitibus impugnantur.

CAPUT II.

Primum falſa, & impia politica dogma, quod ſcilicet bonum ſtatus temporalis vera præferi debeat Religioni, impugnatur.

AUdite cœli, quæ loquor? Audiat terra verba oris mei. Date magnificentiam Deo noſtro? Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus, & rectus. Deus Rex Regum, Dominus Dominantium, qui à ſubditis ſuis nihil aliud exigit, niſi gloriam, cultum, & honorem. *Non accipiam*, inquit, *de gregibus tuis hircos, ſunt mea omnes feræ ſylvarum, meus eſt orbis terrarum, & pulchritudo agri mecum eſt; Sacrificium laudis honorificabit me*, Pſal. *gloriam meam alteri non dabo. Omnia propter memetipſum feci*, id eſt, propter gloriam meam. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Ut autem pace homines bonæ volunta-

tis in terra fiuantur, Deo gloriam, cultum ſupremum, latriæ tribuant. Gloria Dei, Regis Regum & Domini Dominantium bonum eſt commune omnium creaturarum, finiſque ultimus & ultimatus omnium politiarum.

Reges terræ terrenaque omnia Regna, Deo Regi immortali ejuſque regno nequeunt comparari. Orbis terrarum, ejuſque cuncta Regna & Imperia, coram Deo *quaſi gutta ſunt roris antelucani, & quaſi momentum ſtateræ.* Vt dicit Salomon. *Faciam tranſire*, dicit Deus, *Regem Samariæ ſicut ſpumam aquæ.* Prophet. *Obſtupeſcite ergò cœli, & deſolamini portæ æternales*, Duo mala fecerunt terreni Principes, quos ego ad ſolium evexi, dereliquerunt me Regem Regum, & Dominum Dominantium, à quo eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, per quem Reges omnes regnant; dereliquerunt me, meumque cultum, meam gloriam, meum honorem adeò ſprevere, ut bonum ſui Principatus, ſuamque gloriam veræ, Catholicæ Romanæ meæ Eccleſiæ, ac Religioni anteponere non erubeſcant. *Generatio prava, atque perverſa, haccine reddis Domino tuo*, Regi tuo ſupremo, popule ſtulte; & inſipiens? quid ſtultiùs, quid inſipientius, quàm regni temporalis, & brevi perituri gloriam, Dei cultui & gloriæ anteponere? Si violàndum eſt jus, etiam divinum, regnandi cauſà violandum eſt. O vocem ſacrilegam, impiam, abominandam, cujus auditu cœlum & terra tremunt! O vocem ex inferis horrende inſonantem? Nunquid Deus! O Principes terræ, pater veſter, Rex veſter eſt, Dominus veſter eſt? Nunquid vos Deus è ſtercore, & de poſtfœtantes oves ad regale Solium evexit? *Deum, qui vos creavit, dereliquiſtis, & obliti eſtis Domini Dei veſtri. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt. Ignis ſuccenſus eſt in furore ſuo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima; Potentes potenter cruciabuntur. Vbi ſunt Reges illi*, qui vero Dei cultui, veræque religioni propriam gloriam anteponebant? *Vbi ſunt Principes terræ, Principes gentium*, Exclamat Baruch Propheta? *Qui in avibus cœli ludunt? Qui Dominantur ſuper beſtias? qui aurum, & argentum theſaurizant?* Vbi ſunt Nabuchodonoſor; vbi Pharao? Vbi Diocletianus, & Maximianus, qui veram, Chriſtianam, & Romanam Eccleſiam adeo acriter perſequuti ſunt, ut gloriam ſuam amplificarent? *Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.*

CAPUT III.

Secundum impiæ politicæ Dogma, quod ſcilicet ad Regnum diſſidiis liberandum, prius civili politiæ, quàm veræ Religioni ſtabiliendæ, Principes terreni incumbant, impugnatur.

IMpiiſſimum hoc Dogma præcedenti annexum eſt; nam ſi bonum Regni temporale vero Dei cultui præferendum ſit, ut impii illi politici primo ſuo dogmate ſtatuunt, ſequitur verâ, & neceſſariâ illatione, prius civili politiæ, quàm veræ Religioni ſtabiliendæ, Principes terrenos debere incumbere. Superiori verò capite primum illud ſacrilegum dogma efficaciſſimis argumentis impugnavimus, ex cujus impugnatione ſecundum eorum dogma, funditùs ruit.

Audiant, audiant ſapientes ſæculi, novæque & ſacrilegæ politicæ Magiſtri, audiant Chriſtum Dominum loquentem! *Primùm quærite regnum Dei.* Ipſa eſt Eccleſia Romana, quæ ſola vera eſt Eccleſia, ſolaque verum habet Dei cultum, veramque religionem, quâ terrena regna vigent, florent, ſtant, quâ remotâ ruunt. Verus Dei cultus, veraque Religio finis eſt ultimus, & ultimatus omnium Principatuum, Regnorum, Rerumpublicarum, & Imperiorum. Finis autem per ſe primò debet intendi, cætera verò tanquam media, vel ut fines intermedii ad illum debent ordinari, ut docent omnes Philoſophi. Quàm ergò perverſum & rationi naturali contrarium, ſapientum ſæculi dogma, prius civili politiæ, quàm veræ religioni ſtabilendæ principes terræ debere incumbere. Hoc perverſo dogmate tota deſtruitur Moralis Philoſophia, quæ docet finem prius ſtatuendum, & intendendum, quàm ad electionem mediorum procedatur: ex certa enim, & determinatâ finis intentione, electio mediorum totam habet vim, quâ ſublatâ, nulla unquam erit electio. Verus autem Dei cultus, gloria & religio, ultimus eſt omnium Politiarum finis, ut ſupra fusè demonſtravimus, ex doctrina Doctoris Angelici lib. de Regimine Principis. Ad hunc enim finem Deus Reges in terris conſtituit, ut ſubditos ad verum ſui cultum, veramque promoveant religionem, ut docet Salomon lib. de Sapientia, his verbis: *audite Reges & intelligite, diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines populorum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis; qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes veſtras, quia cùm eſſetis Miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ.* Lex juſtitiæ hoc poſtulat, ut excellentiora minus excellentibus anteponantur. Cultus autem Dei, gloria, veraque religio longè excellentior eſt bono temporali Regnorum, Regumque gloriâ, ergò prius ſtabiliendæ religioni, quàm civili politiæ Reges debent incumbere. Præterea lex juſtitiæ poſtulat, ut finis ultimus prius intendatur, quàm media ad finem eligantur. Cultus autem Dei, ejus gloria & religio, finis eſt ultimus omnium politiarum, ut ſupra demonſtravimus: ergò ſtabiliendæ veræ religioni prius & fortius Principes terreni, quàm politiæ civili debent incumbere. Tertiò, lex juſtitiæ decernit ut Miniſtri prius, magiſque gloriam ſui Domini debeant intendere, & pro ea ſtabilienda potius quàm pro ſuo commodo laborare. At Reges terræ, ut ſupra ex Salomone declaravimus, Miniſtri ſunt Dei, prius ergo veræ religioni, quâ Deus colitur, quàm civili ſocietati ſtabiliendæ debent incumbere. Primùm ergò Regnum Dei quærant; cætera adijcientur illis, fœlicitas ſcilicet temporalis, pax, quies, & Regni tranquillitas.

CAPVT IV.

Perverſum tertium Sapientum ſæculi dogma, quòd Principes terræ in ſuis Statibus, Religionum etiam inter ſe diſcordantium varietatem recipiant, patiantur, & foveant; hâc viâ pacem Regni, & quietem fore ſtabilem, impugnatur.

OPtimè Regius Vates in Pſal. Deum Regem Regum his verbis alloquitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Huc ſapientum hujus ſæculi malitia collimat, ut verum Dei cultum, veramque religionem, quæ in ſola viget Romana Eccleſia, ipſamque Romanam Eccleſiam funditùs

evertant, & ad hoc conſequendum Regibus, & Principibus terræ ſuadent, ut in ſuis Regnis, Religionum etiam inter ſe diſcordantium multitudinem recipiant, patiantur, foveant; hac viâ pacem Regni, quietem & ſubditorum concordiam fore ſtabiles. Non poterat meo judicio, malitia eorum qui Deum odio habent, ſcilicet Hæreticorum, Infidelium, & Atheorum altius aſcendere. Hâc enim viâ non pax regni, quies, & ſubditorum concordia, ut falsò illi promittunt, ſtabilientur, ſed potius ſeditiones, diviſiones, rixæ inducentur, ex quibus & regni ſequitur interitus; juxta illud Chriſti Domini eloquium; *Regnum diviſum in ſe deſolabitur.*

Sed aliud adhuc veteratores illi, & maligni intendunt, videlicet Hæreſes in regna inducere, veramque Dei religionem quæ in ſola viget Romana Eccleſia, ipſamque Romanam Eccleſiam funditùs evertere; Non poterat ergò eorum malitia altius aſcendere, qui ut Dæmonis tyrannidem adſtruant, Regnum Dei ſubdole nituntur deſtruere. Maleſuada hæc falſi politici opinio manifeſtè confuſionem Babylonicam inducit, ut fusè demonſtrat Petrus Loretus S. Theologiæ Licentiatus, Canonicus Tornacenſis in defenſione veritatis adverſus repugnantes Domini *de la Noüe Galli*, Hæretici de rebus politicis aſſertiones. *Quæ enim conventio*, inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. 6. *Chriſti cum Belial? quæ participatio juſtitia cum iniquitate? quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Pacem quidem diligenter Chriſtus nobis commendat, ſed ſuam pacem. *Non enim quomodo mundus dat pacem*, ait, *Ego do Vobis.* Pax mundi inter eos exiſtit, qui iniquitati conſentiunt, ut quiete, & temporalibus bonis fruantur; qualis eſt inter fures, & latrones, quæ pax, conjuratio veriùs eſt appellanda. *Non enim eſt pax impiis*, dicit Dominus Eſaïæ 48. Hanc ſolvere venit Chriſtus, dicens, *Non veni mittere pacem in terra, ſed gladium*, ad extirpandas Hæreſes; ad hanc veram pacem, & concordiam, Deus *Charitatem Dei, & proximi infundit in cordibus noſtris per Spiritum S. Pacem divinam commendat Apoſtolus*, cùm ait, *Pax Dei cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras* ad Philipp. 4. quod fit per ſinceram proximi dilectionem, & in fide Orthodoxa unanimem conſenſum, qui inter eos conſtare non poteſt, qui ſocietati unius Eccleſiæ, Romanæ ſcilicet, quæ ſola vera eſt Eccleſia, non cohærent, ſed fide, & doctrinâ orthodoxâ dividuntur. Pacem Hæretici, & concordiam civium ubique buccinant, quam tamen diſſolvere, ſuis factionibus conantur. Quæ pax, quæ concordia inter tot Sectarum inter ſe diſſidentium varietates, & contrarietates? qui igitur ſpe concordiæ, & pacis gratiâ, promiſcuam volunt eſſe religionem, prævaricatores ſunt, veræ fidei proditores, veræque pacis perturbatores, & intra Eccleſiæ ſepta ſtant, contra Eccleſiam, & ad Catholicæ Religionis interitum, & ad ſtabilendas Hæreſes aſpirant. *Sermo enim Hæreticorum, ut Cancer ſerpit*, ait Apoſtolus 2. ad Tim. 2. & Zizania, ſi negligantur, facilè obruunt ſementem. Una ſcintilla erat Arrius in Eccleſia Alexandrina; at quia ab initio extincta non fuit. Proh dolor! quantum in univerſo orbe conflavit incendium? idem dicendum de Luthero, & Calvino. Quanto enim Eccleſiæ detrimento jam annis pluſquàm centum in Germania, Batavia, Belgio, Gallia, eorum Hæreſes fuere tolleratæ; nam innumeræ Myriades hominum, hac peſte infectæ perierunt. Nempè modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Unde Apoſtolus ſæpè ſæpiùs inſonat; *Hæreticum hominem devita*: ideoque D. Hilarius lib. contra Arrianos, metuens ne pretextu pacis, & quietis, quam Heretici ſubdole proponebant Epiſcopi Catholici, cum Auxentio Arriano, Regio favore freto, aliquam concordiam inirent, monet eos, ut tametſi ſpecioſum eſſet pacis nomen, & pulchra unitatis, & concordiæ opinio, nullam tamen cum eo ſocietatem admitterent; & quidem jure optimo. Nefas enim eſt Catholicis cum excommunicatis concorditer vivere; Hæretici verò ab Eccleſia Romana, quæ ſola vera eſt Chriſti Eccleſia, ſunt excommunicati; nulla ergò cum illis pax, & concordia ineunda.

Scripturæ Sacræ innumeris teſtimoniis adverſantur, qui pacem firmamque concordiam credunt coire poſſe inter fide diſtractos. *Una Fides, unus Deus, una Religio*, clamat Apoſtolus, *Omne Regnum diviſum contra ſe deſolabitur* Math. 12. *Obſecro vos*, ſubdit Apoſtolus, *ut idipſum dicatis omnes, & non ſint inter vos Schiſmata*; quibus verbis apertè docet, proclive admodum eſſe inter eos enaſci diviſionem, qui in eandem fidem non conſpirant. Nam pro aris & focis acriter homines decertant. Cùm ergo Catholici, & Hæretici diverſas, & ſibi adverſantes aras, id eſt, diverſas doctrinas, diverſaſque habeant & contrarias circa fidem & veram Religionem ſententias, certiſſimum eſt, perpetua fore inter illos diſſidia: Falſiſſimum ergò Sapientum ſæculi, & perverſum Dogma religionum, & Sectarum etiam diſcordantium varietate, pacem, quietem regnorum & concordiam foveri. Adde, quòd ut Gentilis etiam Philoſophus, Cicero docuit; nulla vera eſt concordia niſi inter amicos; amicorum autem idem eſſe debet velle, & nolle; idem ſapere, idem ſentire; quænam ergò cum Hæreticis, hoſtibus Eccleſiæ Romanæ, & ejus alumnis, & conſtare poteſt amicitia; quæ pax, quæ concordia? Miſſis verò rationibus ex Scripturis petitis, advertamus dumtaxat, Hæreticorum tàm veterum quàm novorum res geſtas ut dogmatis illius falſitatem, ſubdolamque malitiam detegamus.

Quot fuerint antiquitùs in Imperio Orientis ex varietate Religionum, Sectarumque diſcordantium, imperantibus Conſtantio, & Valente, Arrianorum Hæreſi faventibus, procellæ & perſequutiones adverſus Chriſtianos, qui Chriſti Divinitatem & conſubſtantialitatem cum Patre Æterno profitebantur, Hiſtoriæ monumenta teſtantur. Quot adhuc cladibus per Anabaptiſtas, & præſertim Lutheranos afflicta fuit Germania; quot in Gallia per Calviniſtas, quot in Anglia per Presbyterianos, quot in Batavia ex tot Sectarum contrariarum varietate? Non eſt ergò, quòd Germanis, Batavis, Anglis, Gallis tantam inter tot hæreſes tranquillitatem, ſubdoli, vafri, & iniqui politici polliceantur. Hâc enim dumtaxat de cauſa Sectarum diſcordantium varietatem Principibus, & Rectoribus Rerumpublicarum conſulunt, ut Romanam Eccleſiam, in qua ſola, vera, & Catholica viget Religio, penitùs evertant; quod ex hoc evidenter innoteſcit: omnibus enim Hæreticorum, imò Iudæorum, & Infidelium Sectis hæc intentio, ſolam Romanam Religionem, ejuſque cultores à ſuis finibus eliminare. O Subdoli! ô Vafri! ſi Pax Regnorum, & Rerumpublicarum ex varietate Sectarum conſurgit, cur Romanæ Eccleſiæ, quæ ſola vera eſt, Religionem reſpuitis? De vobis hæc ad litteram à Chriſto prolata ſunt, *Cavete à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos, ſub pellibus ovium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.*

Memiuiſſe nos oportet, *terribiles illas locuſtas*, de quibus Apocal. 9. *Similes equis paratis ad Prælium*, Hæreticorum typum gerentes, habere quidem *facies hominum, & capillos, ſicut capillos mulierum*; (præferunt enim illi multam humanitatem, pacem promittunt) attamen *dentes harum locuſtarum ſunt ſicut dentes leonum*; ſtatim enim depoſito pietatis fuco ubi numero, & viribus convaluerint, tunc lupi, & leones evadũt adverſus Romanæ Eccleſiæ alumnos.

Ad adſtruendam verò ſacrilegam ſuam Politicam, novi, & veteratores iſti Politici falsò nobis objiciunt, Conſtantinum Magnum, & Theodoſium, ſapientiſſimos, & potentiſſimos Imperatores, Paganos, Iudæos, & Arrianos, Hæreticos, ſuæ quoſque Diſciplinæ, etſi erroneæ, & perverſæ conſcientiæ permiſiſſe, quod certè falſiſſimum eſt. Nam ut teſtatur Auguſtinus, epiſt. 48. Conſtantinus pœnam decem librarum auri in Hæreticos ſtatuit, & loca congregationum Donatiſtarum, reſque fiſco vendicavit. Extat & illa Conſtantini apud Niceph. lib. 8. c. 25. conſtitutio adverſus Arrianos: Placitum eſt nobis Arrium, & Arrii ſuffragatores, Porphirianos nominari; ſi quod autem ſcriptum ab Arrio compoſitum inveniatur, ut igni tradatur, volumus.

Quanto autem ſtudio Theodoſius adverſus Hæreticos, Fidem Catholicam defenderit, oſtendit ejus, & Valentiniani, Gratianique conſtitutio, cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari; quam Petrus, Paulus, cæterique Apoſtoli prædicarunt, quamque Pontifex Summus Damaſus ſequitur: alia adhuc extant illius adverſus Porphirium edicta, & adverſus Arrianos, & Macedonianos, & Neſtorianos, quorum ſcripta juſſit igne comburi. Falsò ergò novi iſti politici, & ſubdole contrariarum Sectarum varietatem Principibus conſulunt, quaſi illâ Regnorum pax firmetur. Vnde Zeno Imperator, ut refert Euagrius, lib. 3. Hiſtor. reprehenditur, quòd per dictum, pacificatorium appellatum, id egerit, ut tùm Catholici, tùm Hæretici Eutichiani, unitatem quamdam, & pacem imaginariam amplecterentur, quod in Synodo Calcedonenſi damnatum eſt, & tale Edictum pacificatorium Fœlix Romanus Epiſcopus cum omnibus Occidentis & Orientis Epiſcopis rejecit, quæ enim pax cum impiis.

Accedunt S. Patrum adverſus iniquam hanc, & ſubdolam concordiam ſeu unionem teſtimonia. Cùm enim Baſilius à Valente Imperatore rogaretur, ut propter exiguam dogmatis differentiam, nempè propter unam litteram (Hæretici enim Chriſtum Deo Patri *Omioucion*, id eſt, ſimilem; Catholici verò *Omoucion*, id eſt conſubſtantialem debere dici aſſerebant) non ſineret turbari pacem Eccleſiarum, reſpondit; qui divinis nutriti ſunt eloquiis, nec unam quidem ſyllabam de Dogmatibus divinis corrumpi patiuntur; unica enim ſyllaba Hæreſim facit. Chryſoſtomus tractans illud ad Roman. 12. *quod in vobis eſt, pacem cum omnibus habentes*; nemini, ait, des anſam, ſeu belli, ſeu diſſidii, ſive Iudæo, ſive Græco. Si verò alicubi fidem, veramquo religionem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, ſed generosè pro illius defenſione uſque ad mortem certa; propterea, ut ſcribit Hieronymus, Nicænam fidem impugnatam fuiſſe conclamatum eſt, cùm in Concilio Ariminenſi, Valentis, & Urſatii Arrianorum dolo, pacis conciliandæ prætextu ſublatum fuit nomen *Homouſion*.

Quod adhuc novi iſti, & iniqui Politici nobis objiciunt, Chriſtum & Apoſtolos cum Gentilibus, & Samaritanis, ac peccatoribus eſſe converſatos; ut propterea nefas ſit Principibus Chriſtianis, Hereticos à ſuis regnis ejicere, & à Catholicorum ſocietate ſeparare, Huic objectioni reſpondeat Auguſtinus Epiſt. 48. & 50. non conſiderant Hæretici, aliud fuiſſe tunc tempus & omnia ſuis temporibus agi: tunc nondùm Evangelium ubique terrarum fuerat prædicatum. Tunc nondùm Eccleſia Romana, quæ ſola vera eſt Eccleſia, erecta; Nondùm Reges terræ & Imperatores Chriſtianæ militiæ nomen dederant, nec juramento ſolemni ad expugnandas hæreſes ſeſe obſtrinxerant. Promiſerat Deus piſcatores, promiſerat & venatores Hierem. 16. quare piſcatores? Quare venatores? Piſcator retia mittit in mari, quod incurrerit, trahit. Venator ſilvas cingit, feras excutit, terroribus undique multiplicatis cogit in retia Apoſtoli ominem coëgerunt ad fidem Chriſti amplectendam, quia nondùm illam receperant. Hæretici Fidem Catholicam aliquando profeſſi ſunt, à qua receſſerunt, ſicut & ab Eccleſia Romana, ut patet de Luthero & Calvino. Lutherus enim ſub Regula S. Auguſtini vitæ regulari triplici voto ſe adſtrinxerat. Calvinus Sacerdos fuit, imò & unius Parochiæ Rector, quare tanquam feræ domandi, vel à Principibus terræ, & ſuis regnis eliminandi, ne contagione peſtiferâ alios perderent.

Verùm Proh dolor, ex Preſulum negligentia, conniventibus Principibus ſæculi, utriuſque prava, & hæretica doctrina, ut cancer tum in Germania, tùm in Gallia, mox in Batavia, Scotia, Suecia, & Anglia ſerpſit; itaut major pars Europæ ejus veneno fuerit infecta. Quare Reges Chriſtianiſſimi videntes Galliam tot factionibus oppreſſam, quædam cum Calviniſtis Edicta pacificatoria tulere, quibus illis licentiam dederunt permanendi in ſuo regno, nec non Sectæ Calvinianæ profitendæ libertatem, Sed ut pii omnes Galli optant, & ſperant, Ab Auguſto, Magno & à Deo dato Ludovico decimo quarto, brevi tempore nefanda Calvini hæreſis funditùs delebitur; Ejus enim zelo, & ſapientiâ, collaborantibus religioſiſſimis Præſulibus innumeræ quotidie hæreticorum catervæ, tùm apud Pictavos, tùm in aliis Galliæ Provinciis, ad verum Dei cultum, & Romanæ Eccleſiæ Religionem convertuntur.

CAPUT V.

Quartum perverſum iniquæ Politicæ dogma, quod ſcilicet terreni principes, Hæreticos nedum in ſuis Statibus tolerent, ſed eos foveant, & ſummis attollant honoribus, impugnatur.

ET ſi poteſtatis civilis finis intermedius ſit pax temporalis, & Apoſtolus, ad Timoth. 2. jubeat fieri orationes, ut qui in ſublimitate conſtituti ſunt, quietam, & tranquillam vitam agant; non hoc intendit Apoſtolus, ut ſoli dùmtaxat quieti temporali Principes in ſuis regnis fovendæ incumbant. Addit enim Apoſtolus, & qualem tranquillitatem procurari velit, explicat, dicens, *in omni pietate, & caſtitate*. Licet ergò civilis poteſtatis, & regiminis finis intermedius ſit pax temporalis; attamen Chriſtiani Principis officium eſt, ita Principatum gerere, ut ad Dei gloriam, ſuæque veræ Eccleſiæ, quæ ſola Romana eſt, exaltationem, & defenſionem, & ad pacem æternam fidelibus procurandam, dirigatur, qui finis eſt ultimus & ultimatus, totius

tam

tam civilis, quàm Oeconomici Regiminis, ut ſupra fusè demonſtravimus. Quo pacto verò Principes verum Dei cultum, veramque Chriſti Religionem in ſuis regnis ſtabilient, ſi Hæreticos in illis quiete vivere, permittunt? quâ ratione fideles ad veram, & æternam pacem promovebunt; ſi Hæreticos foveant ſummiſque honoribus attollant? Nonne monſtro, & prodigio ſimile, Chriſtum cum Sathanâ, agnos, cum lupis; fideles, cum perfidis; juſtos cum furibus; ſanos, cum mortiferâ lue correptis conjungi? an non eſt proditio Catholicorum, cum iis qui Eccleſiæ caſtra quotidie oppugnant, & expugnare meditantur, cum Apoſtatis, & veræ fidei deſertoribus conſpiratio? Nonne Ioſaphat à Propheta ſeverè meruit increpari, quòd cum Ochoſia, & Achab Idolatris fœdus, & amicitiam inierit? Non eſt hoc à Domino Conſilium, quòd Machiavellus, & alii perverſi Politici Principibus Chriſtianis inſpirant, ut videlicet Hæreticos in ſuis regnis patiantur, foveant, ſummiſque attollant honoribus. Conſilium iſtud eſt à tenebrarum Principe, qui per Iulianum Apoſtatam, opportunum ſuæ impietatis organum, religionum omnium libertatem ſancivit, ad certiſſimam fidei Catholicæ perniciem, & everſionem. Nulla ergò ratio patitur, ut à poteſtate gladii, quam gerunt Pincipes præ aliis ſceleratis hominibus Heretici eximantur, qui tantò cæteris magis ſunt criminoſi, quòd occultiùs, & graviùs inſidiantur, non modo terrenis bonis, ſed etiam cœleſtibus, & æternis? Adde, quòd ut docet Apoſtolus, & ipſa confirmat experientia, Hæretici, ut plurimùm, inobedientes ſunt, Regiamque ſpernunt dominationem, cujus odio Batavi adverſus Regem Hiſpaniæ rebellarunt, & Angli adverſus Reges ſuos quotidie rebellant; quare ut Hæreſum incrementis efficaciùs occurratur, & earum impetus validioribus repagulis coerceatur, illud etiam ſtudioſè agendum eſt, ut errorum Doctores, & auditores eſſe non ſinantur; eſt enim incredibilis in iſtis aurium pruritus, & in illis linguæ Petulantia, quo nomine in Apocalypſi refert S. Ioannes ſe vidiſſe ex ore beſtiæ tres Spiritus immundos exire in modum ranarum, Hæreticos ſignificans, quòd è paludibus ſuis limoſis, inconditis & importunis clamoribus, fidelibus obſtrepant, nec veram, ſed vanam, & mendacem ſapientiam obtrudere non ceſſent.

Vtinam in Germania Luthero, & Calvino in Gallia licentia prædicandi, ſuoſque errores publicè docendi denegata initio fuiſſet; Vtriuſque hæreſis nunc penitùs eſſet extincta, quæ ex conceſſa licentia totam ferè Europam ſuo infecit veneno: difficillimum hodie hanc luem extinguere, ſed nihil tibi, invictiſſime Princeps, Auguſte, à Deo Date Ludovice decime quarte, nihil tibi difficile, qui tot indomitas nationes tuo ſubdidiſti Imperio. Quàm plures exercituum tuorum Duces, & Præfectos Calvinis erroribus infectos ad veram Eccleſiæ Romanæ Religionem veramque & Catholicam fidem reduxiſti, faxit Deus, ut ſub tuo inclyto Imperio; Hæretica lues, in tuo regno penitùs extinguatur; hoc à Deo continuis precibus enixè depoſcimus, hoc optamus, hoc ſperamus.

CAPVT VI.

Quintum Perverſa Politica dogma, Principem videlicet, ſpreto alieno conſilio, ſoli ſua prudentia debere inniti, impugnatur.

Q Vàm falſum, quàm perverſum, quàm impium hoc Machiavelis Dogma, quàm denique ſacrilegum hoc conſilium, quod Principibus ſæculi, Atheus ille inſpirat, Legi naturali, juri divino, juri humano, rectæque Politiæ maximè adverſum. Et quidem Legi naturali. Hæc enim ut ſupra fusè demonſtravimus in politicis dictat hominibus, ut nihil ſine conſilio ſtatuant, nec agant. Imprudentis enim, & ſtulti eſt aliquid niſi præviâ deliberatione, & conſilio ſtatuere, & peragere. Hoc Humana etiam, & naturalis prudentia præcipit; cujus præcipuus actus, poſt intentionem finis, eſt conſilium, & deliberatio circa electionem mediorum ad finem: quàm verò Legi adverſetur divinæ hoc conſilium, & hoc dogma, ex innumeris Sacræ Scripturæ teſtimoniis innoteſcit, ubi Deus ore Salomonis in Proverbiis, & filii Sirach in Eccleſiaſtico homines monet, ne propriæ nimis fidant prudentiæ. Sed & juri humano contrarium eſt, Leges enim omnes civiles decernunt, ut nulla abſque prævio ſapientum conſilio, decreta, nulla judicia fiant, nullæque proferantur Sententiæ; Vnde ſupra fusè demonſtravimus, Regibus Senatorum, & Sapientum conſilia, ad perfectam Regni adminiſtrationem eſſe neceſſaria; quod & rectæ Politicæ ratio poſtulat. Abſque enim prudentia, & ſine conſilio humana ſocietas nequit gubernari. Quare Salomon à Deo Rex conſtitus, ab eo ſapientiam poſtulat, ad rectam Regni gubernationem. *Deus*, inquit, *Patrum meorum qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientiâ tuâ conſtituiſti hominem, ut dominetur creaturæ, quæ à te facta eſt, ut diſponat orbem terrarum in æquitate, & juſtitia, in directione cordis judicium judicet, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem, ut mecum ſit & mecum laboret, & ſciam quid acceptum ſit apud te.* Sapient. 9. Cujus optimam Salomon rationem ſubjungit; *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Per ſapientiam*, id eſt, per prudentiam, *ſanati ſunt omnes, Domine, qui tibi placuerunt.* Conſilium verò præcipuus eſt actus prudentiæ; qui ergò Regnorum præſunt gubernationi, ſpeciali egent prudentiâ, nihilque ſine ſapientum conſilio debent decernere; & ſicut unuſquiſque hominum monaſticâ eget prudentiâ, quâ proprios actus in finem, per convenientia media dirigat, ſic & Princeps, civili indiget ac politicâ ſapientiâ, ut innumeram ſubditorum, ad gloriam cœleſtem, quæ finis eſt ultimus totius Politiæ; multitudinem conducat, quod ſine prævio conſilio fieri nequit.

Nec dixeris Reges, ſubditos omnes ſuos præcellere ſapientiâ, & ſpiritu principali à Deo ornati; Nec conſequenter aliorum egere conſilio, ſed ſoli ſuæ debere inniti prudentiæ; nimiam enim hoc ſapit de ſeipſo æſtimationem; Deus verò ſuperbos humiliat; qui dixit, *perdam ſapientiam ſapientum; ita pater*, ait Chriſtus, *ſic placitum eſt ante te, abſcondiſti hæc ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Nimium ſapit, qui à nemine conſilium petit. Vtinam verò Reges à Deo ſaltem conſilium quærerent, pravaque adulatorum reſpuerent conſilia; Nec perverſorum politicorum, & Hæreticorum falſæ prudentiæ adhærerent; quod tibi, ô Ludovice Magne, Auguſte à Deo Date non poteſt improperari, qui adulatores ſummo odio proſequeris, nec faves Hæreticis; nec prava perverſæ Politiæ conſilia ſequeris, nec tuæ nimiùm fidis prudentiæ, nihilque, niſi de prudentum, & ſapientum conſilio decernis. Quotidie enim conſilio diſcretorum ades, & prærea quorum, judiciis, cùm æqua ſunt, voce & calamo adhæres,

CAPUT VII.

Sextum falſa, & perverſa politica Dogma, quòd ſcilicet Princeps, pietatem ac religionem, quam non habet, præ ſe ferat, evertitur.

QUæ Apoſtolus Paulus 2. ad Timoth. 3. Spiritu S. afflante prædixit, noſtris peracta ſunt temporibus, *in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; erunt enim homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, proditores, protervi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

Hæc Apoſtoli verba ad litteram de Hæreticis præcipuè intelligenda ſunt. Hi enim ſeipſos ſupramodum amant; cupidi ſunt, elati, ſuperbi, blaſphemi, proditores protervi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, ut Calvini, & Lutheri exemplis apertè innoteſcit, & eorum qui nefandos utriuſque Hæreſiarchæ errores amplexati ſunt. Nonne voluptatis ſummoperè amator Lutherus, qui ejuratâ, quam ſolemniter voverat monaſticâ Religione ſub Regula S. Auguſtini, Monialem virginem è clauſtro rapuit, corrupit, ſibique in uxorem duxit? Nonne voluptatis, & quidem obſcæniſſimæ amator Calvinus, qui præpoſterâ & nefandâ libidine ardens, pueris abutabatur, cujus ſceleris convictus, flagellatus & in humeris candente ferro exuſtus, ab Eccleſia Romana fugiens, Genevam petiit, ubi ſuæ Hæreſeos fundamenta jecit? Nonne Lutherani omnes, & Calviniſtæ voluptatum ſupra modum fuere amatores, qui Eccleſiæ jejunia, tùm ſacræ Quadrageſimæ, tùm Quatuor Temporum, & abſtinentiam carnis abrogarunt, ſicut & Sacerdotum, ac Regularium Celibatum.

Speciem tamen pietatis habebant; Nam rejectâ veſtium pompâ, & vulgari panno induti, habitu, vultuque modeſto ad Eccleſiam reformandam à Deo ſe miſſos, jactabant, virtutem pietatis abnegantes; cujus ſpecie, nefanda ſua crimina tegebant, de quibus Chriſti verba ad litteram adhuc intelligenda ſunt, cùm dicit, *attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ſub veſte ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, Nonne Lutherus, & Calvinus lupi fuere rapaces. Quot ille oves Dominici gregis, id eſt, Fideles Catholicos Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola vera eſt Chriſti Eccleſia, in Germania, quot iſte in Gallia, Flandria, Batavia rapuere, & dilaniavere, quos à vera & Catholica Religione ejectos, ad inferos, ſecum traxere, æterno igne cruciandos. Rapaciſſimi autem hi lupi, pelle ovinâ induti erant; ſpeciem peccatis præ ſe ferentes, virtutem autem illius abnegantes; nam, ut dixi, Eccleſiæ reformationem ubique terrarum prædicabant; Unde & eorum nefanda Secta, hoc nomine Reformatæ gloriatur.

Perverſi autem novæ Politiæ auctores, qui vel Hæretici in corde, vel Athei, Hæreticorum ad expugnandam veram, & orthodoxam fidem, & ad deſtruendam Romanam Eccleſiam conſiliis adhærent, Principibus, & Regibus terrenis, nefarium hoc conſilium dant, videlicet, ut religionem, quam non habent, præ ſe ferant: ſed quàm ſubdolum, quàm vafrum hoc conſilium? Certè, quia pietas, quæ Dei cultus eſt, & religio à natura omnium mentibus inſita eſt, ideo illam ſuadent. Gentiles enim Reges, & Imperatores, hanc ſimulabant, ut à ſubditis colerentur; Lege enim naturali innoteſcit Regna omnia terrena à Deo omnium Rege, & ſupremo Domino gubernari. Quare Reges omnes antiqui; tùm Romani, tùm Barbari, etſi Gentiles, cœleſte quoddam Numen colebant, à quo, ſe regi jactitabant, ſic Numa Pompilius, ab Ægeria Nympha, ſic & alii Græciæ Legiſlatores, ut ſupra fusè declaravimus: nunc Minervam, nunc Apollinem, aut Iovem conſulebant. Ipſe denique impiiſſimus Mahometes ab Archangelo Gabriele, Alchorani ſui præcepta, & Dogmata, divinâ revelatione ſe accepiſſe, gloriabatur: Quod Machiavellus impius, Atheus, Romanæque Eccleſiæ infenſiſſimus, attendens; ut Hæreticorum nefariis auſibus faveret, Romanamque Eccleſiam funditùs everteret, Principibus Chriſtianis conſulit, ut religionem, quam non habent, præ ſe ferant. Verùm, *auxilium ex inimicis noſtris.* Nam ſi Princeps Chriſtianus religionem, fidemque Romanæ Eccleſiæ, exterius ſaltem profiteatur, nec illam apertè impugnet, ab illa eorum ſubditi non recedent; & ipſe ſolus potenter à Deo in inferis punietur. Periculum tamen eſt, ne Hæreticorum retibus capiatur; eorumque nefarios errores in ſuo Regno ſerpere patiatur, niſi eos ſtatim à ſuo Regno procul pellat; juxta commune illud proloquium:

Principiis obſta; ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras;

Quare veram, & Catholicam fidem, nedùm exterius, ſed interius, nedùm ſpecie, ſed verè, ſincerè, & in corde profiteatur.

CAPUT VIII.

Septimum impiæ Politicæ Dogma, quòd videlicet Rex, ſi quid in religione falſum eſt, approbet ac firmet; dum modò id proſit fovendæ qualicumque Religioni, refellitur.

O Nefandum! ô perverſum! ô impiiſſimum Dogma! nec ab alio, niſi ab Atheo prolatum: Rex, ſi quid eſt in religione falſum, approbet; quidquid ergò in illa verum erit, improbabit? Nulla ergò, in ejus regno vera erit religio; nullus verus Dei cultus. Verùm, quando Rex Chriſtianus, regni ſuſcepit gubernaculum, jure jurando ſolemni ſe obſtrinxit, quòd religionem Chriſtianam, Catholicam, qualis eſt in Romana Eccleſia, religiosè ſervaret, eamque in ſuo Regno nedùm firmaret, ſed & amplificaret. Perjurus ergò erit Princeps, ſi quid in religione falſum eſt, approbet & firmet, dummodò id proſit fovendæ qualicumque religioni. Tunc enim, veram, & Catholicam Religionem, quæ in ſola viget Romanâ Eccleſiâ, deſtruere intendit; ut falſas, tùm Paganorum, tùm Hæreticorum Sectas in ſuo regno ſtabiliat. Falletur adhuc ejus prudentia politica, præter enim Catholicam & Orthodoxam Religionem, nulla poteſt religio ejus regnum ſtabilire.

Aſtuti verò, callidi, & vafri ſæculi ſapientes nefandum hoc Principibus Chriſtianis, ore ſerpentis afflant, ut rejecto à ſuis Statibus vero Dei cultu, falſorum Deorum, id eſt, Dæmonum cultum, vel nefandos Hæreticorum errores, ſuis in regnis recipiant, foveant, & ſtabiliant,

Hâc ſubdolâ arte Machiavellus Italiæ Principes ad idolorum cultum impellere conatus eſt, ſed ſacræ Inquiſitionis tremendum Tribunal conatus ejus evertit. Hâc vafrâ arte Lutherus quamplures Germaniæ Principes à Fide Catholica, & ab obedientia erga ſummos Romanæ Eccleſiæ Pon-

tifices revocavit. Hoc nefando conſilio Calvinus, Franciſcum primum, Carolum nonum, Henricum tertium Reges Galliæ Chriſtianiſſimos, & religioſiſſimos à vero Dei cultu revocare, & ad nefandam Calviniſtarum Hæreſim fovendam, impellere conatus eſt; immota tamen horum Principum fides Orthodoxa permanſit; nec unquam ex Chriſtianiſſimo Regno Galliæ exulabit, ſed uſque ad extrema orbis tempora illibata perſeverabit. Calvini autem nefanda Hæreſis in Gallia ſub piiſſimis illis Regibus aliquo tempore viguit, potentiſſimorum Principum præſidio ſuffulta; verùm nunc ſub Auguſti Magni, à Deo Dati Ludovici Chriſtianiſſimi Imperio, languet, quotidie minuitur, & ut ſperamus, Deo favente, & zelo, ac prudentiâ religioſiſſimi Principis brevi penitùs interibit.

Perge, perge ergò! Auguſtiſſime, Princeps & quod adeò fœliciter incohaſti, Regiâ tuâ prudentiâ, magnanimitate, zeloque erga Catholicam Religionem opus perfice! nihil timeas, cœptis tuis aderit Chriſtus, te omnia terræ regna venerantur, & colunt? te Batavia, te Germania, te Anglia ſuſpiciunt! facillimo negotio languentem in Gallia Calvinianam Hæreſim, & ultima edentem ſuſpiria penitùs extingues.

CAPUT IX.

Octavum impia Politica Dogma, Princeps Religionem Ethnicam Chriſtianæ præferat, refellitur.

NOn à Luthero, nec à Calvino, nec ab alio quocumque Heretico, ſed ab Atheo, vel à Pagano, & Idololatrâ hoc dogma prolatum eſt, nullus enim unquam fuit Hereticus, qui Ethnicorum ſuperſtitionem non impugnaverit, omneſque ſe Chriſtianam profiteri religionem gloriantur; quamvis reipſa illam non profiteantur, quæ in ſola viget Eccleſia Romana, à qua omnes Hæretici recedunt. Quare Machiavelli audaciam ſatis mirari nequeo, qui à Parentibus Chriſtianis progenitus, inter Chriſtianos enutritus, in Italiæ florentiſſimâ, & Chriſtianâ urbe degens, ſub Principibus Chriſtianis, Idolorum cultu jamdiù ab omnibus penè orbis regionibus eliminato ad Idololatriam amplectendam Chriſtianos, nedùm voce, ſed & ſcripto hortatur.

Idololatria, ait Tertullianus, lib. de Idololatria, principale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſa judicii. Nam & ſuam, ſpeciem tenet, unumquoque delictum, etſi ſuo quodque nomine, & judicio deſtinetur, in Idololatriæ tamen nomine expungitur. Omitte titulos, opera recognoſce. Idolatra, homicida eſt. Quæris quem occiderit; non extraneum, nec inimicum ſed ſeipſum? quibus inſidiis? erroris ſui? quo telo? Offensâ Dei. Quot plagis? quot idololatriis. Qui negat Idolatram periiſſe, is negabit Idolatram, homicidium feciſſe, proinde adulterium, & ſtuprum in eodem recognoſcas. Nam qui falſis Deis ſervit, ſine dubio adulter eſt veritatis, quia omne falſum, adulterium eſt. Sic & in ſtupro mergitur. Quis enim immundis ſpiritibus operatur, non conſpurcatus, & conſtupratus incedit? idem proſequitur Tertullianus de aliis criminibus poſt talia crimina tam exoſa, quia illam non exſecrabitur? in illa concupiſcentia ſæculi; in illa laſciviæ, & ebrietates; in illa injuſtitia, in illa vanitas. Ita fit, ut omnia crimina, in idolatria deprehendantur, cujus tam locuples ſubſtantia criminis, ut tot vitia, quot ramos porrigat. Idololatria, nedùm legi divinæ, ſed & humanæ ac rationi naturali adverſatur. Quantum legi divinæ ſit contraria patet ex primo Decalogi præcepto, ubi dicitur, *Unum cole Deum; non facies tibi ſculptile, ut adores illud.* Nihil in ſacris paginis veteris teſtamenti frequentius, quàm idololatriæ increpatio, & cenſura. Adverſus illam Prophetæ omnes conclamãt. Quantùm adhuc legi humanæ, ſeu rationi naturali adverſetur, ex hoc præ cæteris innoteſcit, quod ut fuſè tomo 1. Theologi mei Eccleſiaſtæ, declaravimus, lumine naturali, & per ſe notiſſimum eſt, unum eſſe Deum, nec plures dari poſſe Deos: Nam ut optimè monet Tertullianus: Deus non eſt, ſi unus non eſt, pluriumque Deorum adſtructio, totius divinitatis eſt deſtructio. Regnum plures Reges non capit, omniſque dominatio conſortis eſt impatiens: quo pacto, totius mundi regimen plures pateretur Deos & Rectores? non poſſunt dari plura ſumma bona, nec plures primæ cauſæ, nec plures ultimi fines; ergò nec plures Dii, Deus enim eſt prima omnium cauſa, ultimus omnium finis, ſummumque omnium bonum. Quo pacto ergò, & quâ ratione, Princeps Chriſtianus Ethnicorum, & Idololatrarum impiiſſimas Sectas Chriſtianæ præferre audebit Chriſtianæ, quam Deo vovit, & quę ſola vera eſt religio?

Hoc tamen impius ille, & perverſæ Politicæ Doctor Principi conſulit Chriſtiano. O nefandû, non Chriſtiani ſed idololatrę, aut potius Athei ore prolatum conſilium! Veigenitus Dei Filius è cœlo in terram deſcendit, ut Idolorum vaniſſimum cultum è toto terrarum orbe eliminaret. Ubique ferè terrarum idololatria Apoſtolorum prædicatione extincta eſt; unus ab omnibus terrę incolis Deus adoratur, & extinctam hanc luem impius ille ſuſcitare conatur.

CAPUT X.

Nonum impia Politica Dogma Princeps Doctores Chriſtianos nihil faciat, & de Romana Eccleſia peſſimè ſentiat, impugnatur.

NEfandum hoc impius politicus Dogma, & perverſum Regibus conſilium afflat, ut Lutheri, & Calvini faveat erroribus qui Doctores, Eccleſiæ Romanę maximè deſpiciunt, & in ipſam Romanam Eccleſiam toto malignitatis ſuę furore inſurgunt. Horrendum certè auditu, quot contumeliis, & opprobriis S. Patrum, & Doctorum Eccleſiæ Romanæ, Hieronymi, Ambroſii & Auguſtini, aliorumque famam Calvinus, & Lutherus obſcurare conentur, ſtimulante Dęmone, ſpiritu erroris, patre mendacii, & orthodoxæ Doctrinę hoſte, nec non Eccleſię Romanę infenſiſſimo, quam ut funditùs evertat, Doctores ejus acerrimos defenſores, prius ope Hęreticorum nititur expugnare. Tolle Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, & Dei Eccleſiam diſſipabo, exclamat Bucerus, Lutheri diſcipulus. In hoc dęmon Philippi Regis Macedonum dolum æmulatur, qui poſt varia adverſus Athenienſes pręlia, pacem illis hâc conditione ſpopondit, quòd eloquentiſſimum

Oratorem, Demoſthenem, Reipublicæ Athenienſis ſtrenuiſſimum defenſorem ad illum mitterent. Sed Demoſthenes lepidâ fabellâ, dolum Philippi Athenienſibus detexit; lupus, inquit, aliquando pacem ovibus promiſit, dummodò canes gregis cuſtodes abirent; quibus ejectis, lupus oves devoravit. Oratores, canes ſunt Reipublicæ defenſores; Hos à vobis! O viri Athenienſes Philippus requirit,ut tanquam immanis fera totam veſtram Rempublicam vaſtet. Non diſpar, nec minus doloſus adverſus Eccleſiam Romanam Dæmonis animus, quam ut funditùs evertat, ejus Doctores ope Hæreticorum inſequitur.

Eccleſia Romana Ovile eſt Chriſti Domini, cujus cuſtodiæ Doctores, tanquam canes vigilantiſsimos præfecit, qui tot latratibus, quot egregiis ſcriptis lupos,hoc eſt,Hæreticos laceſſunt & fugant. Eccleſia Romana lectulus eſt Salomonis, quem ſexaginta inquā Patres & Doctores fulciunt. Eccleſia Romana Turris eſt Davidica ſupra verticem mōtis poſita, cujus propugnacula ſunt ejus Doctores. Non ergò mirum, ſi ad eam expugnandam, Calvinus & Lutherus vigilantiſſimos hos canes, ovium Chriſti vivilis Cuſtodes, fortiſſimos hoc lectuli Salomonis ſatellites; excelſa hæc Turris Davidicæ propugnacula,& ſcuta ignita evertere & extinguère nitantur.Ovile enim canibus vigilantibus deſtitutum, luporum inſultibus patet. Rex militum noctù vigilantium cuſtodiâ carens, ab hoſtibus interficitur; ut exemplo Regis Balthaſaris demonſtratur: Arx, everſis propugnaculis facilè expugnatur.

Verùm Doctrina veridica & Orthodoxa S. Patrum & Eccleſiæ Doctorum, illibata & intacta ſemper in Eccleſia vigebit; erronea verò Lutheri & Calvini, cæterorumque Hæreticorum ſemper confutabitur, & jam in ſacro & Oecumenico Tridentino Concilio damnata eſt. Vigilantiſſimi illi canes, Dominici Gregis Cuſtodes, ſemper adverſus lupos adlatrabunt, luposque ab ovili Chriſti fugabunt. Fortiſsimi illi lectuli, Salomonis ſatellites, ſemper vigilabunt, & nocturnorum hoſtium inſidias detegent & præoccupabunt. Excelſa illa Turris Davidicæ propugnacula in æternum ſtabunt. Stabit, ſtabit immuta, & inexpugnabilis Chriſti Romana Eccleſia, nec portæ inferi adverſus eum prævalebunt! Dominus enim cuſtodit civitatem Dei. Calvinus deſperatus & quatuordecim morbis lethalibus correptus, ad Inferos deſcendit cum ſuis Sectariis, Beza & aliis, in æternum flammis acerrimis cruciandus. Lutherus cum Moniali, quam è Clauſtro rapuerat & corrupecat, repentinâ & improviſâ morte, poſt cœnam oppiparam, poſt commeſſationem & ebrietatem correptus, cum Zuinglio, Oecolompadio, aliiſque ſuis diſcipulis, jam diù ad inferos damnatus, fremit & ardet & in æternum ardebit. Sanctus verò Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Hieronimus, Angelicus Doctor, Divus Thomas Aquinas, Seraphicus Doctor S. Bonaventura, aliique Eccleſiæ Doctores in cœlis regnant, Laureâ Doctoratûs ornati, juxta Danielis vaticinium, qui erudiant multos ad Doctrinam; quaſi ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.

Hęc, ò Reges Chriſtiani, attendite; peſtiferiſque impiorum Politicorum ſibilis, ſerpentiniſque ſuggeſtionibus aures obturate? Non intret anima veſtra in conſilis eorum? Non veſtram, nec Regnorum veſtrorum ſalutem amant, ſed æternam perniciem, qui nefanda hæc vobis obſuſurrant conſilia, Hæreticorum impulſu. Sciunt enim erroneam eorum Doctrinam, Sanctorum Patrum & Eccleſię Doctorum luculentiſſimis ſcriptis ex pugnandam eſſe.

Quare religioſiſſimi Principes Romanæ Eccleſiæ, Sanctorumque ejus Patrum Doctrinam veridicam & Orthodoxam in Regnis veſtris illibatam deffendite; Impiam verò, & erroneam Hæreticorum Doctrinam ejuſque Doctores à Regnis veſtris prorſùs repellite. Pereat Lutheri & Calvini memoria, eorumque infame nomen in æterna ſit oblivione. Auguſtini, Ambroſii, Gregorii Magni, Hieronimi, Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis, in Eccleſiarum Cathedris & in omnibus Regiarum veſtratum Univerſitatum ſuggeſtis, reſonent teſtimonia & authoritates?

Ubique Orthodoxa Eccleſię Romanę Theologia doceatur: ſic ſtabit Eccleſia, ſic Regna veſtra florebunt.

CAPUT XI.

Decimum impia Politica Dogma, videlicet fortunæ & caſui aut ſoli Principum ſtrenuitati, eorumque armis, non vera Religioni aut Dei auxilio Regnorum fœlicitatem eſſe tribuendam, reffellitur.

QUatuor adhuc nefanda Dogmata, ſub hoc Machiavellis impio Dogmate, comprehenduntur; Et quidem primum, ſtellarum influxibus; ſecundum, fato; tertium, fortunæ & caſui; quartum, Principum ſtrenuitati & virtuti bellicę; non divinæ Providentię, nec ſpeciali Dei auxilio, veræque Religionis cultui Regnorum fœlicitatem eſſe tribuendam; quorum quatuor impiorum Dogmatum falſitas, ſequentibus ſectionibus demonſtratur.

SECTIO PRIMA.

Stellarum influxibus fœlicitas Regnorum, non eſt adſcribenda.

MAgna fateor ſiderum vis, eorumque influxium virtus admiranda in hæc mundi ſublunaris corpora; in hoc tamen dumtaxat, per ſe primò, influunt; non verò in humanas & rationales animas, ſed tantùm per accidens. Regna verò ex hominum civili ſocietate coaleſcunt, legibus æquiſſimis firmantur: Principum ſapientiâ reguntur, ut ſupra fusè demonſtravimus. *Vir autem ſapiens dominatur aſtris.*

Chriſto Rege Regum naſcente in Bethleem Iudæ; Stella, non abſque miraculo in Oriente apparuit, Regeſque Arabię & Tharſis uſque ad Chriſti infantis præſepe adduxit, cui pretioſa munera obtulerunt; Aurum, tanquam ſummo Regi; Thus, tanquam Deo & ſummo Sacerdoti, Myrham, in ejus ſepulturam: numquam tamen Magorum, etſi in Aſtrologia peritiſſimorum, hæc fuit ſententia *Regna à ſtellis, ſed potius à Deo, qui ſtellas in firmamento poſuit, gubernari*: ut eleganter declarat Chryſologus, Serm. t. in Epiphania. Quaſi verò Regna, quæ ex hominum ſocietate coaleſcunt, à ſtellis totius vitę, ſenſus & rationis expertibus regentur, quæ nec à ſeipſis reguntur, ſed Angelorum impulſu moventur; Regna à Sapientibus debent

debent regi, non ab ioſipieotibus : Stellis nullus ineſt ſapientiæ ſenſus : Pudeat ergò, pudeat viros ! qui ſapientes inter homines videri deſiderant Putidum hoc & ineptum Principibus Chriſtianis, ſapientiâ præditis, conſilium aflare, eorum Regna ſcilicet, à ſtellis vitæ, ſensûs, tationis & ſapientiæ, expettibus gubetnari.

SECTIO II.

Regnorum fœlicitas Fato non eſt adſcribenda, niſi per fatum, Dei Providentiam intelligas.

NEc minùs ridendum, eaſibilandum & explodenduoi, quod impii iſti Politici ſubjiciunt; Regnotum ſcilicet fœlicitatem fato eſſe adſcribendam, quod fusè impugnat Auguſtinus, lib. de Civit. Dei, niſi per fatum, Dei intelligas Providentiam : Nam, ut optimè Seneca, lib. de Providentia, Deus etſi unus variis nominibus appellatur. Quot enim Dei munera & erga homines officia, tot ſunt ejus nomina, quæ omnia ex hominum nata ſunt meritis. Si Deum vocas Iovem, non erraveris ; Iupiter enim à juvando. Deus autem ſummus eſt, omnium adjutor. Si Statorem diaeris, non errabis ; Dei enim nutu, & ope omoia ſtant ? Si fatum vocaveris, non errabis ; fatum enim à fando ? Deus autem omnia, Verbo produxit & regit. O Philoſophum ! ô Senecam Stoïcum Chriſtianum ! Quid aliud Chriſtianus doceret Philoſophus ? Verùm, ut optimè, monet Auguſtinus, per fatum Gentiles Philoſophi fatalem quandam neceſſitatem, ſive ex ſydèrum ioſluau, ſive ea cauſarum ſecundarum inexplicabili & indiſſolubili nexu intelligebant, creatæ libertatis petempiricem. Ideò apud Chriſtianos nomen fati malè audit & rejicitur.

SECTIO III.

Nec fortunæ nec caſui tribuenda Regnorum Fœlicitas.

LOngè adhuc magis eaſtbilandum, quod impii Politici ſubjiciunt, fortunæ, & caſui Regnorum fœlicitatem eſſe adſcribendam. Fortuna enim ex ipſorum etiam Gentilium Philoſophorum mente, merum eſt figmentum, nomen vacuum & inane, titulusque ſine te. Undè Plinius Romanorum ſtultitiam acerrimè carpit, quòd innumeras ſibi fortunas effingereut, eiſque tot aras, tot ſacella, tot delubra conſecrarent ; ut alia eſſet calva, alia capillata, *&c.* Non aliam Chtiſtiani fortunam agnoſunt, niſi Dei Providentiam. Hâc Regna ſtare & fœliciter florere, certiſſimum eſt.

Quid autem ſtultiùs, quid inſipientiùs, quàm Regnorum fœlicitatem caſui tribui. Caſus, ut docet Divus Thomas cum Philoſopho, in paucis evenit ; Regna autem ubique terrarum florent ; caſui ergo minimè tribuenda eſt eorum fœlicitas. Regnum eximium eſt Dei donum, quo Davidis Deus innocentiam præmiavit : non ergò caſui ttibuenda eſt Regnorum fœlicitas, ſed Dei Providentiæ.

SECTIO IV.

Soli Principum ſtrenuitati & virtuti bellicæ, non eſt adſcribenda Regnorum ſœlicitas.

MVltùm fateor Regnotum fœlicitati inſeruit Principum Heroïca ſtrenuitas & eaimia virtus bellica : Hâc enim hoſtium inſurgentium impetus refringunt, audaciam coërcent & uſurpatas urbes & Provincias tecuperant, ut in Regoo florentiſſimo Galliæ, maximè ſub Ludovici Auguſti, à Deo Dati, nunc imperantis regimine apparet, qui heroïcâ ſuâ virtute & eaimiâ arte bellicâ, Regni Liliati fines uſque ad Rhenum eatendit, totamque ferè Bataviam & Belgium, duorum aut trium annorum ſpatio ſuæ ſubdidit ditioni. Verùm enim verò tot victorias de ſuis hoſtibus, non ſolâ virtute ſuâ bellicâ, ſed Dei Sabbaoth, id eſt, eaercituum præſidio fretus retulit, hæc Regii Vatis verba in mente & corde habens : Hi in curribus & in equis, *nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.* Pſal. 19.

SECTIO V.

Divinæ Providentiæ veræque Religionis cultui, tribuenda Regnorum fœlicitas.

EX his omnibus apertè conſtat, Regnorum fœlicitatem divinæ Providentiæ, veræ Religioni cultui, Deique ſingulari præſidio ttibuendam eſſe. *Per me*, inquit Deus, *Reges regnant, & Iudices juſta decernunt. Qui ſuſcitat de ſtercore pauperem, & collocat eum cum Principibus terræ, ut Solium Regium teneant,* Sic Davidem ſic Saülem de Poſtfœtantibus, id eſt, de Paſtoribus Reges Populi ſui conſtituit. E contrà verò ſuperbos è Regio Solio ad carceres in hac vità, & poſt mortem, ad Inferos dejicit. Quòd Nabuchodonoſor, Aleaander, Cytus, quòd Gentiles Romani Imperatores infœliciter eaperti ſunt,

Quia verò in Regno Galliæ, vera & Catholica Religio Eccleſiæ Romanæ ſemper viguit & uſque ad eatrema mundi tempora vigebit, ideò fœlicitas ejus perpetua fuit & erit.

CAPUT XII.

Undecimum impiæ Politicæ Dogma, ſcilicet Regibus licere, ut Regnorum ſuorum limites extendant, vicinorum Principum Status, vi armorum, invadant: eiſque, nullâ receptâ injuriâ, bellum indicent impugnatur.

POlitia Chriſtiana maximè differt à Politia Ethnicorum. Ethnici Reges ſive Imperatores, inordinatâ tegnandi libidine, nullâ ſervatâ juſtitiâ, ſed Præpotenti vi armorum, Imperii ſui fines extendebant. bello nequaquam indicto, contra jus omnium Gentium regna Pugnâ invadebant ; ut præ cæteris exemplis Nabuchodonoſoris & Alexandri Magni Regis demouſtratur. De illo enim in libro Iudith cap. 1, refertur, quòd Holophernem Principem militiæ ſuæ vocavit, & diait ei ? *Egredere adverſum omne Regnum Occidentis? Non parcet oculus tuus alli Pago, omnemque urbem munitam ſubjuga:*

Chriſto; *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere*; & ait illis; *Ite & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia & ſanitates perficio hodiè & cras.* Optimè Chriſtus Herodem noverat; qui, ut refert S. Lucas c. 23. *Erat cupiens multo tempore videre Ieſum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre*; quo viſo, ſprevit illum & illuſit, eumque veſte albâ indutum remiſit ad Pilatum, ut crucifigeretur: Vulpes ergò erat Herodes, ſimul & leo, Vulpes, quia callidiſſimus, Leo, quia crudeliſſimus: ſæviſſimam enim adverſus Eccleſiam naſcentem perſecutionem commovit, Petrumque in carcerem miſit: Petro autem non abſque miraculo è carcere per Angelum liberato, Herodes videns ſe deluſum, è Iudæa Cæſaream petiit, *ubi Angelus Domini eum percuſſit, eò quòd honorem Deo non dediſſet, & conſumptus à vermibus, expiravit.* En quàm horrendus Herodis, qui vulpis nefariam calliditatem crudelitati leonis junxit interitus, quàm acerba mors, cujus corpus ante obitum vermes corrodebant, cujus poſt mortem æterni ignis flamma exurit.

Nunc Politicæ impiæ præcones Regibus Chriſtianis conſulant, vulpis & leonis ingenium induere, ut fæliciter regnent. O perfidi Conſules! O nefandi Politici: Et hæc eſt erga Principes veſtra pietas, quos callidis veſtris conſiliis decipitis, & in ruinam impellitis. Nihil turpius Principi, quàm vulpis calliditatem æmulari. Vulpes fœtidæ ſunt feræ, omnibus exoſæ, & ad vinearum demolitionem natæ, juxta illud cantic. *capite, capite nobis Vulpeculas, quæ demoliuntur vineas noſtras.* Vulpina calliditas leoninæ crudelitati juncta, Regna demolitur, Regeſque in apertam impellit perniciem, ut Herodis exemplo demonſtratur. Calliditas vulpina, non niſi dolos meditatur, non niſi fraudes cogitat, non niſi laqueos & foveas pedibus ſimplicium ſtruit, in quibus ipſa capitur. Fallere, decipere, mentiri, non nobilium & ingenuorum, ſed ſervorum & latronum vitium eſt, quod à Regibus maximè debet eſſe alienum, ut docet Philoſophus. Quare Romani, cùm inclytæ virtutis eſſent, nullam umquam civitatem dolo, ſed aperto Marte, expugnarunt. Reges Dei ſunt viva ſimulachra, qui fidelis eſt, & verax in omnibus verbis ſuis, qui neminem decipit, neminem dolo capit, neminem fallit, & ut dicit Apoſtolus, *ſeipſum negaret, ſi à veritate recederet.* Deum ergò veraciſſimum & fideliſſimum Principes Chriſtiani, non Herodem vulpem fœtidiſſimam imitentur.

Interdùm tamen calliditas, in ſacris Paginis pro prudentia ſumitur, & hoc ſenſu, Reges poſſunt, imò & debent eſſe callidi; quia ut ſuprà demonſtravimus, eximiâ debent eſſe ac Regiâ prudentiâ præditi. Nec Chriſtus hanc damnat calliditatem, dicens; *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut Columbæ.* Prudentia, non vulpis, ſed ſerpentis Regi neceſſaria, ne à vulpibus capiatur & fallatur: Columbæ autem, ſimplicitas, non leonina feritas ejus prudentiæ jungenda eſt, ne videlicet ullum decipiat, nec ut leo in ſubditos ſæviat: Sic ſic fœliciter, & in terris & in cœlo in æternum regnabit.

CAPUT XV.

Decimum quartum impiæ Politicæ Dogma rejicitur, Rex ſcilicet, factiones inter ſubditos foveat, hâc viâ Regnum ſuum firmabit.

TRiplici legi impium hoc Machiavelli Dogma adverſatur, Legi ſcilicet naturali, Legi civili, Legi Chriſti, ſeu gratiæ. Legi naturali, quia lex naturæ, ſeu divina ratio & providentia, in omni ſtatu rerum, ſive cœleſti, ſive elementari, ſive terreno, concordiam etiam inter diſcordantes fovet. Admirandam quamdam muſicam, ſive harmoniam Pythagoras in cœleſti mundo agnovit, quod abſque dubio ex ſacris paginis didicit. Deus enim Iob. alloquens, ei dixit, *quis faciet dormire concentum cœli?* Id eſt, Quis admirandam illam cœlorum harmoniam impediet. Licet enim cœli cœlorumque ſydera motibus contrariis volvantur, concordiam tamen ad invicem ſervant, illam, inquam, de qua idem Iob: *Qui facit concordiam in ſublimibus.* Elementa etiam, licet contrariis vigeant qualitatibus, in mixto tamen, non niſi refractis qualitatibus, & temperatis remanent, pacemque inter ſe ſervant. Terra, aquæ, aqua aëri, aër igni amicè junguntur, quamdamque inter ſe concordiam nutriunt. Legi ergò totius naturæ, impium hoc perverſæ Politicæ adverſatur, videlicet, quòd Rex factiones inter ſubditos foveat, ut Regnum ſuum firmum & ſtabile reddat: Ipſe enim mundus, quem deus regit, non niſi concordiâ, tùm cœlorum, tùm elementorum, tùm mixtorum ſtabilitur.

Quantùm adhuc Legi Civili impium hoc Dogma contrarietur, patet ex fine civilis regiminis: qui, ut ſuprà fusè demonſtravi, eſt vita civium tranquilla; ubi autem vigent inter cives factiones, nulla, ut patet, poteſt eſſe tranquillitas. Reſpublica, ſeu Societas Civilis in ſacris Paginis, mari comparatur, juxta illud, *Aquæ multæ, Populi multi.* Quamdiù verò mare procellis agitatur, nullâ fruitur tranquillitate. Similiter nulla in Regno erit pax, nulla tranquillitas civibus inter ſe diſcordantibus, & ad ſedandas populorum ſeditiones Rex eligitur. A fine ergò civilis ſocietatis aberrat, quandò factiones inter ſubditos fovet.

Legi autem Chriſti ſeu gratiæ, impium hoc perverſæ Politicæ adverſari; nemo, qui novæ legis, ſeu gratiæ documenta didicerit, inficiabitur: ubique enim in Evangeliis Chriſtus ad pacem & concordiam, Fideles hortatur; ad quam & Apoſtoli in Epiſtolis ſuis Canonicis Chriſtianos verbis efficaciſſimis impellunt. *Obſecrò vos, Fratres*, inquit Apoſtolus Paulus ad Corinthios, *per nomen Domini Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schyſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia; ſignificatum enim eſt nobis, quia contentiones ſunt inter vos.* Principes ergò perverſæ Politicæ auctores fallunt; cùm eis Regni ſtabilitatem pollicentur, dummodò factiones inter ſubditos foveant: Regna enim concordiâ firmantur, Regna diviſa concutiuntur, & funditùs ruunt.

Impia ergò nefandæ hujuſce Politicæ Machiavellis Dogmata Principes Chriſtiani toto corde abhorreant, eaque à ſuis Regnis vel Statibus procùl eliminent, ut diù fœliciterque regnent, ſuaque Regna ad Poſteros transferant.

LIBER ULTIMUS.

GLORIA ORDINIS

FF. PRÆDICATORUM.

QUÆSTIO UNICA.

PROOEMIUM.

ORDO diſiplinæ id à me poſtulabat, ut elucidatâ Politiâ Civili de Politia ceu Regimine tùm Eccleſiaſtico, tùm Regulari tractarem; ſed quia de utroque à viginti annis, tomo quarto Theologi mei Eccleſiaſtæ de Hierarchia Cœleſti, & Eccleſiaſticâ abundè egimus, hæc ſufficiant, placuit tamen hìc, hunc librum de Gloria Ordinis FF. Prædicatorum adjicere, de qua nihil ſcripſeram.

ORATIO PANEGYRICA,

ſive Concio de Laudibus Sancti Dominici, Sacri Ordinis FF. Prædicatorum Patriarchæ & Fundatoris.

PROOEMIUM.

ABſit à me, Sanctiſſime Pater Dominice, ut prætermiſsis tuis laudibus, Gloriam Sacri Ordinis FF. Prædicatorum, cujus tu Patriarcha es, & Fundator, ſupra mundanam omnem gloriam extollam. Tu præcipuus illius ſplendor; tu ejus ſummum decus, tu eximia illius gloria, tu vir planè Apoſtolici pectoris, ac ſpiritus, fidei Columna, Evangelii Tuba; orbis Oculus, Chriſti Lucerna, ſecundus Præcurſor & magnus animarum Oeconomus, quem multiplices tantarum virtutum, in cœlo corona decorant: tuas nunc, Sanctiſſime Pater, laudes aggredior, Chriſto favente, & auſpice Deiparâ Virgine, quam totis præcordiis dilexiſti.

EXORDIUM.

Ardebat, quaſi Facula pro zelo pereuntium.

SANCTI Dominici Mater gravida ſibi viſa eſt per quietem, continere in alvo Catulum, qui facem ore præferens, orbem terrarum incenderet; quo ſomnio ſignificabatur fore, ut ſplendore ſanctitatis Dominici, ac Doctrinę ejus Gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur: Cœleſtia hujus ominis veritatem confirmavit eventus. Sanctus enim Dominicus fax fuit lucens, ardens & defluens. Lucens omnium ſcientiarum, præ cæteris Theologię radiis: Splendens, ſplendore omnium virtutum; Coruſcans, gloriâ miraculorum. Fax adhuc fuit ardore charitatis erga Deum, erga Chriſtum & ſanctiſſimam ejus Matrem, erga Eccleſiam Romanam & erga homines accenſa. Fax deniquè fuit defluens pro zelo pereuntium. Defluens imbre lacrymarum; defluens profluvio ſanguinis, defluens prę deſiderio Martirii: ſingula breviter ſequentibus ſectionibus demonſtro.

SECTIO I.

Sanctus Dominicus, Fax lucens radiis omnium ſcientiarum, ſplendore virtutum, gloriâ miraculorum.

PRæſidente Romę in Cathedra S. Petri, Magno Patre Domino Alexandro 3. & Friderico Imperatore hujus nominis primo, Imperii habenas moderante, in Hiſpanię oppido Calaroga, Oxomienſis Diocœſis, anno Dominicę Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, natus eſt S. Dominicus, Prędicatorum Dux & Pater inclytus, qui, appropinquante mundi termino, quaſi novum ſydus in Hiſpanię partibus emicuit. Sed non abſque prędicentibus Prophetis, diviniſque revelationibus natus eſt S. Dominicus: Nam, ut refert Malvenda in Annalibus, B. Maria de Ognies; Mulier bona, nomine apud Piſas, Abbas Joachim, ſed & Sybillę, quarum Oracula, idem Malvenda refert; longè ante ſancti hujus Patriarchę ortum prędixerunt; variis adhuc Veteris Teſtamenti figuris adumbratum; cujus & antiquę picturę ſeu imagines Venetiis

Venetiis in Eccleſia S. Marci olim viſebantur. Præ cæteris verò, & longè certius futuræ S. Dominici ſanctitatis & ſcientiæ præſagium fuit, quòd cuidam Nobili Matronæ, quæ de Fonte Baptiſmi eum levaverat, viſus eſt per ſomnium puer Dominicus, quaſi Stellam habens in fronte, quo totam terram ſuo lumine perluſtraret; quò dabatur intelligi, quòd dandus erat in Lucem Gentium, ut eximius Eccleſiæ Doctor radiis omnium ſcientiarum præfulgens. Nam, juxta Danielis oraculum, *qui docti fuerint, fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtella in perpetuas æternitates.*

Nec eventus præſagii veritatem eluſit. Nam, ut de illo canit Eccleſia, *quaſi ſtella matutina ſic iſte effulſit in Templo Dei*, & quidem primò ſcientiarum omnium ſplendore. Nam expletis quatuordecim annis, quintum decimum agens, à domo exiens Archipresbiteri avunculi, ubi jam ſeptennio manſerat, majoribus litteris, & ſtudiis informandus à parentibus Palentiam mittitur, ubi celeberrima tunc totius Hiſpaniæ, omnium ſcientiarum Academia florebat, ab Alphonſo Rege erecta & fundata, quam poſt modum Nepos ejus Salamancam tranſtulit. In hac prudens adoleſcens, non ſegnitiem ſectatus eſt, ſed in diſcendis litteris accuratè adeò incubuit, ut gratiâ Divinâ illi opitulante, brevi ſpatio Coætaneos ſuperaverit. Itaque, cùm carnis delitias reſpueret, fæminarum colloquia fugeret, corpus jejuniis & vigiliis maceraret, orationique diù incumberet, in ejus purum intellectum, animumque ſordibus liberum liberales diſciplinæ, quæ puris mentibus illabuntur, infundebantur. Mox ad Theologiæ ſtudium totus ſe tranſtulit, cœpitque divinis vehementiùs inhiare eloquiis, ex quorum mellitâ dulcedine avidè hauriebat, quod poſtea abundanter effudit. His ſalutaris ſapientiæ ſtudiis quatuor annis tanto ſtudio incubuit, tantâque diligentiâ, & vigilantiâ, ut noctes ſæpè penè inſomnes duceret, præ manibus ſæpè ſæpiùs collationes Patrum à Caſſiano collectas habens. Inſtar ergò *Facis* radiis omnium ſcientiarum fulſit; ſed & ſplendore omnium virtutum, humilitatis, modeſtiæ, caſtitatis, Virginitatis, & abſtinentiæ. Ludicra enim ſpectacula, fœminarum conſortia fugiebat; jejuniis corpus affligebat; diù à vino abſtinuit, nec niſi ob ſtomachi debilitatem illo utebatur. Virginitatem perpetuam, & illibatam ſervavit, nullâque culpâ lethali animam ſuam unquam fœdavit: tot ejus virtutes, innumeris Deus miraculis illuſtravit; itaut ope Dei innumera in aëre, in aquis, in terra, in igne, adverſus Dæmones, in corporibus obſeſſis, in corporibus infirmis, in mortuis ſigna ediderit; quare, nedùm ſcientiarum radiis, virtutum omnium, ſed & miraculorum ſplendoribus mirum in modum reſulſit; Unde jure optimo Eccleſia de eo canit, *quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis*, quibus verbis hæc ultima convenienter addit, *& quaſi Sol refulſit in Templo Dei.* Sol enim nedùm lucet, ſed & ardet.

SECTIO II.

Sanctus Dominicus, tanquam fax; nedùm ſcientiarum radiis ſplenduit, ſed & igne divinæ Charitatis, erga Deum, erga ejus Eccleſiam & proximos, exarſit.

DE S. Dominico hæc canit Eccleſia; *Venit in ſpiritu Heliæ.* Helias ille Propheta à ſole nomen accepit; ἥλιος enim Græcè, idem eſt ac Sol latino idiomate. Sol vero, ut diximus ſydus eſt præ aliis, ferventiſſimum, cujus ardorem, Eccleſiaſticus eleganter deſcribit his verbis: *Sol in meridiano exurens terram, & in conſpectu ardoris ejus quis ſuſtinebit? fornacem cuſtodiens in operibus ardoris, tripliciter exurens montes radios igneos exſufflat.*

Helyas autem Propheta vir totus igneus erat, igne ſcilicet divinæ charitatis, & Dei gloriæ zelo ſuccenſus. Nec mirum, inquit Nazianzenus, non enim lacte, ut alii infantes, ſed flammis, à Seraphicis ſpiritibus fuit enutritus. Quare ignem vultu, oculis, ore totiſque præcordiis ſpirabat, & ut ſol flammas ubique ſpargebat; cui & ipſe ignis cœleſtis morem gerens, ejus nutu è cœlo ſtatim delapſus, non ſemel quinquagenarios milites adverſus illum ab impio Rege miſſos devoravit; ſed & quingentos falſos Prophetas Baal in cinerem redegit; cùm igitur Helyas Propheta vir eſſet totus igneus, inſtar ignis qui ſursùm ſemper fertur, curru igneò in Paradiſum vivens tranſlatus eſt.

Sanctus Dominicus, ut alter Helyas, vir fuit totus igneus, igne ſcilicet divinæ charitatis; quo in utero etiam ſuæ Matris ardere videbatur; Nam ut ſupra à nobis relatum eſt, inſtar canis facem accenſam ore geſtantis parentis viſcera inflammabat. Omen certiſſimum, quòd in lucem editus, & adultus Divini amoris flammas ubique ſpargeret, totumque terrarum orbem, ardentiſſimis ſuis concionibus ad amorem Dei inflammaret; quod ipſe eventus confirmavit. Ut autem alios ad amorem Dei excitaret, debuit ipſe prius eximiâ erga Deum charitate flagrare. Flagrabat certè; æſtuque adeò vehementi, ut noctes penè inſomnes in oratione aſſiduâ, cœleſtiumque contemplatione tranſigeret, etſi fortè fatiſcentes præ laboribus, & vigiliis artus ſopor opprimeret, ad gradus altaris innixus, paululùm quieſcebat. *Pernox cum Chriſto proprium non poſſidebat lectulum, poſt lachrymarum fluvium vix humi dans corpuſculum*, canit Eccleſia. Erat in illo orationis fervor immenſus. Poſt completorium, in Eccleſia gemitibus, & lachrymis Deum ad Matutinas uſque preces interpellabat. Tantus erat illius erga Deum amor, ut numquam niſi de Deo, vel pro Deo, vel cum Deo loqueretur. Cor illius ad Deum continuò ferebatur, adeòque interdùm vehementi impetu, ut inſtar Helyæ Prophetæ, non curru flammivomo, ſed igneâ charitate in cœlum raperetur: viſus enim eſt ſæpè ſæpiùs in aëra ſublatus orans. Cùm enim coram tribus Cardinalibus miſſam cum ingenti devotione, & lachrymarum imbre celebraret, & corpus Domini viſendum populo oſtenderet, vident ipſum cum Chriſti corpore cubiti altitudine in aëra attolli. Hæc omnia ardentiſſimam ejus in Deum charitatem demonſtrant.

Quàm ardens adhuc ejus in Eccleſiam Chriſti Romanam amor; quàm fervens ad tuendam, & propagandam Chriſtianam Religionem zelus! Perſtitit enim B. Pater Dominicus decem annis in partibus Toloſanis in Prædicationis officio, & Hæreſeos Albigenſium extirpatione, aliis ad propria redeuntibus. Cùmque Fideles quidam Nobiles filias ſuas traderent ipſis Hæreticis erudiendas in perfidia, ut vel ſic victum, quem aliundè habere non poterant, conſequerentur, deliberat Dei ſervus Dominicus ſeipſum venundare, ut pretio ſui illis ſubveniretur, ne eorum perirent animæ, Salvatoris noſtri exemplo: quod utique feciſſet, niſi Deus, qui ad majora eum elegerat, aliter miſeriæ illorum providiſſet! Magna

certè Pietas S. Dominici, & amor animarum. At quânam ratione S. Pater tanto malo obviam ierit, inopiæque illuſtrium Virginum opem tulerit, refert Theodoricus lib. 1. c. 6. erant illis in locis Nobiles aliquot, qui inopiâ adacti filias ſuas tradebant Hæreticis nutriendas, imò verò erroribus peſtiferis corrumpendas. Eorum exitiale opprobrium miſeratus Dei ſervus B. Dominicus, Monaſterium quoddam, in quod reciperentur, inſtituit, in loco, quem Prulianum vocant, ubi Ancillæ Chriſti perpetuò clauſæ, admirandas conſtitutiones & obſervantias, ſtrictumque ſilentium ſectarentur, & laborantes manibus ſuis in conſcientiæ puritate, Creatori ſuo jucundum exhiberent famulatum,

Raræ adhuc, & ardentiſſimæ in proximum charitatis ejus exemplum, refert Vincentius Bellovacenſis, lib. 29. ſpeculi hiſtorial. cap. 91. Fame, inquit, prævalidâ in Hiſpaniis ingruente, ſervus Dei Dominicus manens adhuc Palentiæ ſtudiorum gratiâ, cùm videret egenorum miſerias, & conſolatorem neminem, anaio compatiens affectu, venditis libris quos admodùm ſibi neceſſarios habebat, omnique ſupellectili, pretium acceptum diſperſit, & pauperibus dedit; quo exemplo, multos quoque divites, & magiſtros ad opera miſericordiæ provocavit. Sol ergò S. Dominicus in meridiano divinæ charitatis flammâ ardens, tripliciter exuſſit montes, radios igneos exſufflans, erga Deum, erga ejus Eccleſiam, & erga proximos; ardebat enim quaſi facula pro zelo Dei, pro zelo Chriſtianæ Religionis, & pro zelo pereuntium, ſed adhuc inſtar facis ſuccenſæ continuò defluebat & deficiebat.

SECTIO III.

Sanctus Dominicus, inſtar facis igne ſuccenſæ, teneræ compaſſionis affectu, Martyrii deſiderio, lachrymarum continuo profluvio, & ſanguinis effuſione defluebat.

FAx igne ſuccenſa nedùm lucet & ardet; ſed continuò cerâ liqueſcente defluit, deficit, & tandem extinguitur: quæ omnia in ſancto Dominico contigere. Et quidem primò, quanto erga Chriſtianos à Sarracenis captos, vel erga Infideles compaſſionis affectu tangeretur, referunt Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo hiſtoriali, his verbis, omnes homines S. Dominicus largo excipiebat Charitatis ſinu, & cùm omnes diligeret, ab omnibus amabatur; præ cæteris verò Chriſtianos à Saracenis captivos diligebat, eorumque miſeriis excruciabatur; ut exemplo S. Paulini Epiſcopi Nolani ſeipſum vendere ſæpè ſæpiùs tentaverit, ut eos à captivitate redimeret. Fuit adhuc, addit Theodoricus, lib. 4. c. 11. tantus illius erga animas amor, tantaque commiſeratio, ut non ſolùm Fideles omnes, ſed etiam Infideles, & eos, qui in inferno cruciarentur, amor ille tantus, tantaque commiſeratio complecteretur. Salutem autem animarum, addit F. Fugerius Pennenſis, adeò ardenter optabat, ut hoc illius deſiderium Infideles etiam complecteretur, ad quos aliquandò ſe conferre optavit, ut experiretur, an fortè ſuis illos Prædicationibus ad Fidem Catholicam allicere poſſet, pro qua, & Infidelium ſalute paratus erat, ſi opus fuiſſet, omne mortis genus ſubire. Hoc deſiderium crebris exhortationibus, etiam in ſuis excitabat. Vndè Fr. Paulo Veneto ſocio hæc dicere ſolebat, ubi ordinem noſtrum compoſuerimus ad Cumanos, infideles ibimus, & Prædicationibus noſtris Chriſto acquiremus.

Adeò verò Martyrii cupidiſſimus fuit, ut aliquandò ab Hæreticis in itinere captus, eiſque mortem comminantibus, & quo genere mortis vellet perire quærentibus, *hoc à vobis*, inquit, *enixè poſtulo, non ut uno pugionis ictu cor transfigatis; ſed lentâ morte, abſciſſis primùm manibus, poſt modum pedibus, mox cruribus, caput ultimò truncetis, ut ſic ſentiam me mori, nec unum, ſed plura pro Chriſto ſubeam martyria.*

Ad hæc adde, quod S. Antoninus de eo refert; ex magna charitate tres ſibi diſciplinas quotidie dabet uſque ad ſanguinis effuſionem cum cathena ferrea; unam videlicet pro peccatoribus in ſæculo degentibus, ut ad pœnitentiam converterentur; alteram pro animabus, quæ in Purgatorio cruciabantur, ut à pœnis ſublevarentur. Tertiam, pro ſuis peccatis, quæ tamen valdè modica erant, & levia, totam enim vitam, culpæ læthalis expertem fœliciter duxit. His adhuc adjice quòd unicâ tantùm tunicâ hyeme, & æſtate indutus, aſperrimum ad carnes cilicium, catenamque ferream affixam, toto vitæ ſpatio geſtavit; cujus cilicium unum Segoviæ in Hiſpania; alia Toloſæ uxor Guillelmi Eliæ Martini, ex pilis caprarum, ſetiſque boûm ſuis manibus texere ſolebat, quibus S. Pater utebatur.

Quis adhuc continua ſancti viri lachrymarum profluvia referat? flebat enim uberrimè pro zelo pereuntium, itaut cum Apoſtolo jure optimo potuiſſet exclamare; *quis ſcandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur, & ego non infirmor?* inſtar ergò facis igne accenſæ S. Dominicus divinæ charitatis flammâ ſuccenſus, continuò defluebat, donec tandem ardentiſſimo æternæ, ac cœleſtis beatitudinis deſiderio penitùs deficiens piè in Domino obdormivit, imminente ſuo obitu divinâ revelatione cognito. Oranti enim, & amore divinorum ardentiùs æſtuanti adſtitit pulcherrimus juvenis humanâ ſpecie major, his eum verbis allocutus, *veni, dilecte, & in vera gaudia ingredere.* Moxque quidam frater cœlum vidit reſcindi, indeque duas candidiſſimas, & fulgentes ſcalas ſubmitti; unius cacumen Chriſtus; alterius Virgo Mater tenebat, frequentes quoque Angeli per utramque ſursùm adrepebant, in medio pater S. Dominicus ſedens in ſede pretioſiſſima à Chriſto, & Deipara Virgine canentibus Angelis in cœlum elevabatur. Nec mirum: viro igneo æther, quò ignis tendit, debebatur, & ut alter Helyas curru charitatis flammivomo in cœlum meruit aſcendere.

Pie Pater Dominice,
Tuorum memor operum,
Sta coram ſummo Iudice,
Pro tuo cœtu pauperum.

GLORIA ORDINIS
FF. PRÆDICATORUM.
QVÆSTIO VNICA.

CAPVT PRIMVM.

Sacer Ordo FF Prædicatorum, Ordo eſt Apoſtolicus.

APoſtolus, idem eſt, ac *à Deo miſſus*, Apoſtoli *à Deo miſſi*. Quàm ergò eximia Apoſtolorum dignitas, quæ Divini Verbi, & æterni patris filii gloriam quodam modo æmulantur. Pater enim Æternus infinitâ ſuæ eſſentiæ, ſuorumque attributorum, & comprehenſivâ cognitione, Verbum ſibi coæternum gignendo mittit, & mittendo ad intra gignit; Proceſſiones enim divinæ, æternæ, immanentes ad intra dicuntur miſſiones: quia, ſicut arbor flores mittit, abſque ulla ſuæ ſubſtantiæ læſione, quibus non corrumpitur, ſed potius ornatur; ſic Pater Æternus Filium ſibi conſubſtantialem gignit, Verbumque ſibi coæternum tanquam florem mittit pulcherrimum, & Virgo permanet.

Alia verò ejuſdem Divini Verbi eſt miſſio, ſcilicet ad extra, quâ Æternus Pater illud in medio temporum pro ſalute humani generis in hunc mundum miſit; niſi enim Dei Filius à Patre ad terras fuiſſet miſſus, *Homo*, inquit Auguſtinus, *à peccato numquam fuiſſet dimiſſus.* Chriſtus ergò verus fuit Apoſtolus, primus & Apoſtolus, Princepſque omnium Apoſtolorum, qui anno ætatis ſuæ trigeſimo, poſt acceptum à Ioanne Baptiſma, & completum quadrageſimale jejunium, ut injunctum ſibi à Patre Æterno præceptum, ſuæque miſſionis temporalis officium impleret, duodecim ad ſe vocavit in Iudæa, & Galilæa, quos ad prædicandum ubique terrarum Evangelium miſit; quare & ipſi meritò Apoſtoli, id eſt, à Deo miſſi dicti ſunt.

Hi duodecim illi ſunt lapides, non ad ſuſtentandum veteris legis tabernaculum, Arcamque Fœderis, quos Ioſue ex aquis Iordanis extraxit, ſed ad jacienda, & conſtruenda Eccleſiæ, cujus antiquum illud tabernaculum, arcaque fœderis umbram præferebant, fundamenta. Hi ſunt duodecim illi lapides pretioſi. *Iaſpi*, *Sapphirus*, *Calcedonius*, *Smaragdus*, *Sardonix*, *Sardius*, *Chryſolitus*, *Berillus*, *Topaſius*, *Chryſopaſus*, *Hyacintus*, *Amethyſtus*, qui cœleſtis Hieruſalem fundamenta fulciunt, Apoc. c. 21. *Hi duodecim Angeli, qui duodecim civitatis ſanctæ Hieruſalem portas cuſtodiunt.* Apocal. 21. Hi duodecim illæ ſtellæ, quæ caput mulieris amictæ ſole, id eſt, Eccleſiæ coronant. Tot præclaris titulis quàm in ſublime aſſurgit gloria Apoſtolorum: nec minus ex ſanctitate rutilat ſplendor illorum.

Apoſtoli enim, ut ex actis Apoſtolorum conſtat, mutuæ, & fraternæ charitatis vinculis adſtricti, ſimul initio vivebant, & in communi, cunctaque inter illos erant communia. Præterea tribus votis Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis emiſſis, vitam regularem religioſiſſimè obſervabant; D. autem Petro, tanquam Chriſti Domini Vicario, Apoſtolorum Principi, totiuſque Eccleſiaſtici Regiminis Monarchæ, & Eccleſiæ Romanæ Primati obediebant.

Duodecim verò illis Apoſtolis, quos Chriſtus Dominus vivens in terris ad ſuæ Eccleſiæ fundamenta jacienda elegerat, quoſque per totum orbem ad prædicandum Evangelium miſerat, martyrio coronatis, cùm Albigenſium Hæreſis in partibus Provinciæ Toloſanæ graſſaretur & innumeros à Fide Chriſti, & Eccleſiæ Romanæ obedientia Fideles averteret; placuit Deo, novos ad tuendam Fidem Orthodoxam, Hæreticoſque expugnandos Apoſtolos mittere, quorum primus fuit S. Dominicus ex Regia Guſmanorum Familiâ oriundus, qui primum Canonicus Regularis in Eccleſia Oxomenſi (hoc enim ordine, qui illâ ætate in Hiſpania florebat, ſanctus Epiſcopus Didacus Eccleſiam ſuam Oxomenſem, veluti eximio quodam ornamento voluit illuſtrare) tot virtutibus Dominicus præfulſit, ut à S. Didaco Epiſcopo, Archidiaconus, ſive Supprior Canonicorum Regularium fuerit inſtitutus. Mox cum S. Didaco, ex Galliæ Superioris partibus legatione perfectâ rediens, Toloſæ manſit, ubi favente Raymundo Comite Toloſano, Albigenſium Hæreſis quotidie vires acquirebat, & ad eam profligandam ſocios ſibi S. Dominicus adjunxit, ex quibus novum Ordinem compoſuit; ſub Regula S. Auguſtini, adinſtar Apoſtolorum in communi viventium, triumque votorum ſolemnium, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis nexibus devinctorum; quibus per omnes orbis terrarum nationes miſſis, & ubique Chriſti Evangelium Prædicantibus, innumeros ab Idolorum cultu, vel ab erroneis aliis Doctrinis ad Chriſti veram Fidem convertit; quare meritò Ordo S. Dominici, Ordo dici debet Apoſtolicus ex triplici capite.

Et quidem primò. ex divina, & ſpeciali miſſione; Apoſtoli enim, ut ſupra adnotavimus, hoc nomen à miſſione Chriſti, ſumpſerunt: S. verò Dominicus ſpeciali miſſione à Chriſto Domino, ejuſque Vicario Summo Romanæ Eccleſiæ Pontifice ad prædicandum Hæreticis Albigenſibus Evangelium, & ad eos ab Hæreſi revocandos in partes Toloſanas miſſus eſt. Secundò, quia ſicut Apoſtoli à Chriſto, non ad duas, aut decem, aut viginti urbes, neque ad unam gentem, ſicut olim Prophetæ, ſed ad omnem terram, & mare, totumque mundum à vitiis revocandum mittebantur. ſic & Ordinis S. Dominici Fratres uſque ad extremas totius orbis partes, à Summis Pontificibus miſſi ſunt, ut Barbaris nationibus lucem Evangelii inferrent, ut de illis, quod de Apoſtolis Regius Vates cecinit, jure optimo dici poſſit, *in omnem terram exivit ſonus eorum.* Americæ enim, ubi nunquam preteritis retrò ſæculis lux Evangelii affulſerat, nunc ubique præfulget, Fratrum Prædicatorum continuis prædicationibus, quibus barbaræ hæ nationes ad Fidem Chriſti converſæ ſunt, itaut ab hac quarta mundi parte prophanus Idolorum cultus ferè ſit eliminatus.

Tertiò, Ordo S. Dominici, ordo eſt Apoſtolicus, quia ſicut Apoſtolorum miſſio à Deo innumeris miraculis fuit confirmata, *Deo*, ut dicit Apoſt. *coo-*

Digitized by Google

perante, & ſequentibus ſignis opitulante: Ubique enim Apoſtoli ionumera patrabant miracula, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum reddebant, mortuoſque ſuſcitabant; ſic & S. Dominicus, ejuſque diſcipuli ubique terrarum innumera ſigna edidere, quibus miſſionem ſuam à Deo confirmabant: quis modò ſacrum FF. Prædicatorum Ordiuem, Apoſtolicum dici debere inficiabitur?

Dices, oon ſoli Ordioi FF. Prædicatorum, eximium hoc nomen eſſe tribuendum, quod omnibus, & ſingulis aliorum Regularium, & Cœnobitarum Ordinibus commune eſt, Franciſcanis, Carmelitis, Auguſtinianis, & Sodalibus Societatis Ieſu: Verùm licet omnes hi Regulares ad prædicandum Chriſti Evangelium, etiam ad exteras nationes à Deo, & à Summis Pontificibus mittantur, eorumque Miſſiones frequentibus ſignis & miraculis confirmentur; hoc tamen ſpeciale præ illis habet ſacer Ordo FF. Prædicatorum, quòd inter illos primi fuere ad hoc munus à Romana Sede miſſi, quibus & ſolis hoc ex officio conceſſum, cæteris verò, quaſi eorum Coadjutoribus, ob penuriam Fratrum; meſſis enim multa erat, operarii verò pauci, ut ſequenti capite fusè demonſtrabimus. Vivunt certè omnes Regulares in communi, ſicut & Apoſtoli; omnia inter illos ſunt communia, ſicut erant inter Apoſtolos: tria ſicut & Apoſtoli vota edunt ſolemnia, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, non tamen ex proprio officio, neo ex prima eorum ioſtitutione, ubique terrarum Chriſti Evangelium, prædicant, ſicut filii S. Dominici: quare Sacer hic Ordo ſpeciali titulo, dici debet Apoſtolicus.

CAPUT II.

Sacer Ordo Sancti Dominici, eſt Ordo Prædicatorum, ſeu Evangeliſantium.

DIvinum aliquid in ſermone ipſi etiam Gentiles agnoverunt, uec unum Numen, ſed plura Numina illi conſecrarunt; Deam enim Romani Suadam, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſa eloquentia, ſeu facundia, arſque eleganter & venuſtè perorandi; Mercurium qui Dux verbi dicitur Græci; Herculem cathenâ aureâ ore alligatâ populos ad ſe trahentem Galli coluere. Divinum ergò aliquid Gentiles in verbo, ſeu ſermone ſuſpicabantur; nec vana eorum ſuſpicio. Chriſtiana enim, & Orthodoxa Religio Deum Patrem confitetur, qui ab æterno loquitur, ſuâque locutione Verbum ſibi coæternum, & conſubſtantiale dicit, & profert; Verbum elegantiſſimum, venuſtum, & floridum; Verbum ignitum, ſpirans amorem; Verbum efficax, quo cœlum & terram creavit: Quare, ad Divini Verbi præconum, ſeu Prædicatorum commendationem audacter hoc proferam, Æternum Patrem, verum Deum primum omnium, & antiquiſſimum eſſe Prædicatorem. Prædicator enim idem eſt, ac Divini Verbi præco; Pater autem Æternus ab ætero ſermocinatur; quia ab æterno loquitur, & Verbum Divinum profert. Nec parùm adhuc ad laudem Divini Verbi præconium confert, quòd Dei filius è cœlo ad terram deſcendit, ut concionaretur; duodecim Diſcipulos ſuâ prædicatione ad ſe vocavit, ut in omnem terram Evangelium prædicarent; juxta illud Regii Vatis; *in omnem terram exivit ſonus eorum. & in fines terræ verba eorum.* Nec umquam ſuæ Eccleſiæ Divini Verbi præcones denegavit; ſed ad Gentiles ad Fidem Chriſtianam adducendos, & ad Hæreſes expugnandas per ſiogula ferè Eccleſiæ ſæcula eloqueotiſſimos, & zelo Chriſtianæ Religionis augendæ ferventiſſimos oratores, ut Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Auguſtinum miſit: duodecimo autem à Chriſti natali ſæculo, graſſante in Gallia Narbonenſi, & io partibus Provinciæ Toloſanæ nefandâ, & impiiſſimâ Albigenſium Hæreſi, omnium ferè antiquarum Hæreſeon ſentinâ, & ſpurciſſima cloaca, S. Dominicum Deus ex Hiſpania Toloſam adduxit, ad hujuſce Hæreſeos extirpationem, quam fœliciter ſuis, ſuorumque filiorum ferveotiſſimis prædicationibus funditùs delevit. Quod attentâ mente conſiderans Innocentius tertius, ut refert Bandellus, Magiſter noſtri ordinis, vir probitate, prudentiâ, & Doctrinâ inſignis, in commentariis conſtitutionum diſtinct. 1. cap. 15. dùm ſcriberet B. Dominico, & Fratribus ſuis, impoſuitque ſcriptori, ſcribere, hoc modo; Magiſtro Dominico, & cum eo prædicantibus, ſtatimque aliquantulùm plus conſiderans: Noli, ioquit, ſic dicere, ſed ſcribe hoc modo, Magiſtro Dominico, & Fratribus Prædicatoribus. Quia & ex tunc ipſe B. Dominicus, & filii ejus cœperunt ſe Frâtres Prædicatores vocare cœperuntque in Curia Romana, & ubique terrarum ſic vocari, juxta illud Eſaiæ c. 61. *Vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit.* Fuit etiam hoc nomen ab Honorio III. in confirmatione Ordinis noſtri approbatum, & poſtea à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis B. Dominici confirmatum, & à Sancto Dominico longè antea ardentiſſimis deſideriis, & orationibus, meritiſque multiplicibus glorioſis obtentum.

Thomas verò Cantipratanus, S. Thomæ coodiſcipulus lib. 1. de apibus c. 10. hæc addit, quòd cum Honorius III. Notario præcepiſſet, ut in inſcriptione Ordinis Fratres Prædicantes poneret, ipſe Notarius poſuit Fratres Prædicatores, qui cùm argueretur conſtanti vultu, reſpondit, Deo certè inſpirante, Prædicantes, inquit, nomen eſt adjectivum, licet à participio ſubſtantivi derivetur, & eſt commune nomen in actû; Prædicatores verò nomen eſt propriè ſubſtaotivum, & eſt nomen verbale ſimùl & perſonale, in quo nomen officii manifeſtiſſimè declaratur: prædicans numquam ſignificat rem ſuam, niſi per modum actus; Prædicator verò ſignificat rem ſuam per modum habitus, Divinitùs ergò hoc factum quòd filii S. Dominici Fratres dicantur Prædicatores.

Iuſtâ ergò ratione, Deoque, ſic ordinante voluere Chriſti Vicarii contra falſam, & impiam Valdenſium Prædicantium Sectam; verum, & legitimum hunc noſtrum Prędicatorum Ordinem, viros illos, qui in Provincia Narbonenſi vicioiſque locis, adverſus Albigenſes concionabantur, fidemque Orthodoxam verbo & ſcripto tuebantur, Prædicatores appellari; juxta Eſaiæ vaticinium, c. 36. *dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, nomem ſempiternum dabo eis, quod non peribit*; nomen ſcilicet, non adjectiuum, ſed ſubſtantivum; nomen non actus, ſed habitus, nomen officii; licet enim alii Regularium Ordinum Religioſi verbum Dei prædicent, hoc tamen non habent ex officio, vel inſtitutione, ſicut Fratres Ordinis S. Dominici: quod prævidens Eſaïas, *quàm, inquit, ſpecioſi pedes Evangelizantium, Evangelizantium pacem.*

CAPUT

CAPUT III.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, eſt Ordo Sanctitatis, ex quo quamplurimi Sanctitate eximia conſpicui prodierunt.

DEus, inquit Seneca, etſi Gentilis, non eget prætextâ, ipſe veſtit omnia, luce ſolem, & ſydera, prata florum corollis; *amictus tamen & ipſe*, ut cauit Regius Vates, pſal. 103. *lumine ſicut veſtimento, & decore ſanctitatis indutus.* Pretioſiſſima hęc veſtis, omnique purpurâ illuſtriot, quâ Deus maximè gloriatur: *eſtote*, inquit, *ſancti, quia ego ſanctus ſum*: Deus, ait Dionyſius, per ſuper excellentem omnium perfectionum perfectionem ſanctus dicitur. Sanctitas enim Dei nihil aliud eſt, quàm ejus immaterialitas, ſumma puritas, & ſimplicitas, quæ, ut docet D. Thomas, radix eſt omnium divinorum attributorum. Quare Duo illa Seraphin ante trhonum Dei ſtantia, Deum contemplando, nihil aliud die, ac nocte clamant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*; Seraphicum autem hoc, canticunt, ſeu Triſagion, Nezianzenus, Seraphicam vocat Theologiam; hoc nomine volens innuere, perfectum eum evadere Theologum, qui Dei ſanctitatem perfectè novetit, dic enim, quòd Deus eſt ſapientiſſimus, omnipotens, optimus, maximus, verus, fidelis, juſtus; dicis, Deum eſſe ſanctum; Dic ſanctum, continuò omnipotentem, ſapientem, bonum affirmas; in hoc ſolo ſanctitatis nomine, cætera omnia inſtaurantur, & comprehenduntur; quia ſanctitas radix eſt omnium attributorum Dei. Hanc Deus Regię Majeſtati pręferre videtur; in fronte enim auream laminâ expreſſam, ſigno ſanctitatis geſtat; in fimbria veſtimenti corouas malotum punicòrum, quò datur intelligi, quantùm caput ſupra pedes aſſurgit, tantùm ſanctitatem Regiæ Majeſtati pręcellere; non ergò Deus prætextâ, vel chlamide aureâ eget, Deus, qui decore ſummæ ſanctitatis indutus eſt.

Sed nec curru eget, ſubdit idem Seneca; ipſe enim vehit omnia: verùm Regius Vates, pſal. 67. currum illi tribuit, quem decem millia ſanctorum lætantium trahant; *currus Dei*, inquit, *decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in ſancto.* Quis ſit ille currus Dei, quem millia ſanctorum lætantium trahunt, non eſt eadem ſactosum Interpretum ſententia; quidam cenſent ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti Romanam, quam currus ille triumphans Ezechielis adumbrabat; quatuor enim animalia illum trahunt; unum ſub ſpecie hominis; alterum, ſub ſpecie leonis; tertiũ ſub ſpecie vituli: quartum, ſub ſpecie Aquilæ, quibus quatuor Evangeliſtæ: ut quatuor Eccleſię Romanę Doctores repreſentantnt, hi currum Dei triumphantem trahunt; quia ubique tertarum Dei gloriam, Chriſtique nomen prædicant. Aliì exiſtimant currum illum, eſſe duodenarium Apoſtolorum cœtum: ipſi enim adhuc Dei Chriſtique gloriam, & Evangelicam Doctrinam annunciant. Unde de Paulo Apoſtolo, Chriſtus, poſt ejus cõverſionem dixit Ananiæ, qui ipſum baptizaverat *Vas iſte eſt electionis, ut portet meum in Gentibus.* De iiſdem Apoſtolis prophetavetat; Habacuc c. 3. *qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadriga tua ſalvatio.* A veritate autem non aberraverim, ſi dixero, per currum hunc quem decem millia ſanctorum trahunt poſſe intelligi, ſacrum Prædicatorum Ordinem: ex illo enim pluſquam decem millia, eximiâ conſpicui ſanctitate utriuſque ſexus prodierunt: & inter illos primus, & præcipuus S. Dominicus, ejuſdem Ordinis Sanctiſſimus Patriarcha, S. Hyacintus Polonus, S. Petrus Martyt, S. Thomas, S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, S. Ambroſius Senenſis, S. Vincentius Ferrerius, S. Gondiſaluuis, S. Ludovicus Bertrandus, S. Pius, Nuper à Sancta Sede Romana, ob eximiam eorum ſanctitatem beatorum Albo adſcripti; quibus & Sanctiſſimæ Virgines B. Agnes de Monte Politiano, Sancta Catharina Senenſis, S. Roſa Pervana, Tres-Sanctæ Margatitæ, Hungariæ, Sabaudiæ, & à Monte-Caſtello adjungendæ ſunt, cùm aliis quamplurimis; hi omnes Sancti currum Dei triumphantem trahunt, quia eximiâ ſuâ ſanctitate omnibus notâ ubique terrarum Dei gloriam manifeſtant; juxta illud Regii Vatis, *mirabilis Deus in ſanctis ſuis*; hi adhuc Deum pretioſo amictu veſtiunt; Deus enim ſervorum ſuorum ſanctitate ornatur; ut docet Propheta his verbis: *fides cinctorium ejus*, quæ verba ſacri Expeſitores ſic interpretantur, *fides*, id eſt, fideles cinctorium Dei: his enim quaſi Zona pręcingitur; his quaſi amictu veſtitur. Nec miram ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem tam eximiâ ſanctitate, totque Sanctorum gloriâ fulgere: ad ſanctitatem enim comparandam, tria præcipuè deſiderantut: primum quidem, ſumma immaterialitas ſeu à carnalibus terrenis & vanis abſtractio; ſecundum, perfecta divino cultui addictio & conſecratio; tertium, firmitas in bono, & conſtantia in cultu omnium vittutum, ut ſupra demonſtravimus lib. de perfectione Status Regularis. Hęc verò tria in ſacro FF. Prędicatorum Ordine religioſiſſimè obſervantur: nedùm per trium votorum ſolemnium Profeſſionem, quæ omnibus Regularibus communis eſt: ſed etiam per ſacrarum conſtitutionum ſanctimoniam, quibus à carnibus abſtinere jubentur, vigiliis aſſiduis, & orationibus incumbere, ſilentium ferè perpetuum tenère, litterarum ſacrarum ſtudio inceſſanter vacare, itaut lectioni ſacrarum Scripturarum oratio ſuccedat, orationi verò ſuccedat lectio, his à terrenis & carnalibus, & à vanis mens humana abſtrahitur, Deo adheret firmiterque conjungitur, quibus ſanctitas integratur; ſacer ergò FF. Prædicatorum Ordo eſt Sanctorum, & eximiæ ſanctitatis.

CAPUT IV.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo eſt Doctrinæ, & Doctorum.

PRopheta Eſaïas olim cecinit, quòd Deus novos in mundo cœlos crearet: *Ecce ego*, ait Dominus, *creo novos cœlos.* Quinam vero ſint hi novi cœli, variæ ſunt ſacrotum, Interpretum, & Eccleſiæ Doctorum ſententiæ; nonnulli exiſtimant per cœlos novos, intelligi debere, Eccleſiam Romanam militantem, & triumphantem, dicit enim Ioannes Evangeliſta Apocal. c. 21. *Ecce vidi cœlum novum, & novam terram: primum enim cœlum, & prima terra abiit.* Moxque ſubjungit. *Ego Ioannes vidi ſanctam civitatem Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, quæ verba nedùm de Eccleſia in cœlis triumphante, ſed etiam de Eccleſia in terris militante, ex ſequentibus intelligi debere patet;

dicitur enim, ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Chriſtus autem in Eccleſia in terris militante realiter habitat nobiſcum in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, nec minùs realiter quàm in cœlo; licet à nobis corpus ejus non videatur oculis corporeis, quare Eccleſia in terris militans dici poteſt *cælum novum.*

Alii per cœlos novos, intelligunt Apoſtolos, de quibus Regius Vates, pſal. 44. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Quæ verba exponens S Gregorius Papa. Scriptum eſt, inquit, *Spiritus Domini ornavit cœlos*, ornamenta cœlorum ſunt virtutes Prædicantium; hinc rurſùs ſcriptum eſt, *verbo Domini cœli firmati ſunt.* Verbum enim Dei, Filius eſt Patris, qui tot cœlos firmavit, quot Apoſtolos in fide ſolidavit.

Placet adhuc per novum hoc cœlum, ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem intelligere, ſicut enim in cœlo Deus ſtellas poſuit, ut dicitur, Geneſ. *fiant luminaria in firmamento cœli*; ſic Deus in ſacro Ordine FF. Prædicatorum, quàmplurimos cõſtituit Doctores, qui à Prophetâ Daniele ſtellæ vocantur, in perpetuas æternitates fulgentes Quare à ſcopo à me intento non aberrabo, ſi ſanctiſſimo Patriarchæ noſtro Dominico id adſcripſerim, quod Deus olim Abrahæ dixit, Geneſ. 30. *ſuſpice in cœlum & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum?* Quot enim in ſacro S. Dominici ordine Doctores eximiâ ſplenduere Doctrinâ, tot veluti ſtellæ fulſere. Numera ergò ſi potes ſacri noſtri Ordinis Doctores, qui vix poſſunt numerari & quidem primò, ipſum S. Dominicum, B. Albertum magnum quem tanta, tamque copioſa Scholaſticorum multitudo audiebat, ut anguſtæ eſſent Scholæ, & in maxima civitatis Pariſienſis plateâ, cogeretur Theologiam docere, vulgò *dictâ Magni Alberti Plateâ, Place Maubere.* Numera ſi potes hujuſce ſtellas, cœli ſtellas recenſe Doctores, D. Thomam, Ambroſium Senenſem, Iacobum, & alios qui eâdem die in lucem editi ſunt, eademque die ſacræ Theologiæ Doctores creati, quo die tres in cœlo nedùm ſtellæ, ſed ſoles apparuerunt, non abſque mortalium magno ſtupore; his enim viſis pueri per vicos, & plateas urbium currentes clamabant, dicentes, *eamus ad ſcholam*, nam Deus nobis abunde de Magiſtris providet.

Nec adhuc mirum, quòd tot Doctoribus ſacer Ordo FF, Prædicatorum fulſerit. Quatuor enim ad Doctrinam comparandam deſideramus; ſtudium ſacrarum litterarum, meditatio, oratio, & abſtinentia ciborum. Studium quidem ſacrarum litterarum, ex quibus Scholaſtici, veluti apes ex floribus veræ, & orthodoxæ Doctrinæ mellis favos colligunt. Meditatio rerum divinarum, juxta illud, *os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Oratio, *Optavi*, inquit ſalomon, *& datus eſt mihi ſpiritus ſapientiæ*; denique abſtinentia & jejunium, quod mentes elevat. Hæc verò quatuor ſcientiæ & Doctrinæ adminicula, in ſacro FF. Prædicatorum Ordine abundè ſuppeditantur, quare non mirum quòd tot Eccleſiæ Doctores pepererit.

CAPUT V.

Sacer Ordo Prædicatorum, Ordo veritatis, Orthodoxæque Doctrinæ.

POſuit Deus in firmamento ſtellas, non erraticas ſed fixas quæ indeflexo tramite eodemque motus tenore moventur; in cœlis verò, ſeu Sphæris, inferioribus ſtellas errantes conſtituit, quæ ab erratico motu *Planetæ* dicuntur. Sacrum Ordinem FF. Prædicatorum ob eximiam Doctrinam, innumerorſque Doctores Cœlum novum à Deo in Eccleſia creatum ſupra efficaciſſimis argumentis demonſtravimus; cœlum autem hoc novum firmamentum eſſe, in quo nullæ ſunt ſtellæ erranticæ, nulli Planetæ; ſed ſtellæ fixæ, ob Doctrinæ veritatem, & inconcuſſam Orthodoxam Doctrinam demonſtravi, ex triplici capite adverſus Petrum à Valle Clausâ, qui hoc nomine hacque larvâ in decem ſuis Diatribus, adverſus Chiriacos, hoc eſt, Dominicanos, Theophili nomen abſcondit, melius dicam ejuravit; neque enim Theophilus dicendus eſt, qui Dei ſervos contumeliis lacerare conatus eſt (parcat illi Deus, cujus ad Tribunal judicandus jampridem adſtitit) adverſus ergò illum jam diù decem Antidiatribus fusè declamavimus; nunc ex triplici, ut dixi, capite, Doctrinæ Thomiſticæ veritatem, Fratrumque Ordinis Prædicatorum Orthodoxam oſtendo; Et quidem primò, ex proprio Dei teſtimonio qui ore Prophetæ Malachiæ c. 2. ad S. Dominici Laudem hæc protulit, *lex veritatis fuit in ore ejus*, & per Eſaïam cap. 59. *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore ſeminis tui, dicit Dominus, à modo & uſque in ſempiternum*: quòd verò Malachias, & Eſaïas hæc de S. Dominico ſacri Ordinis FF. Prædicatorum Fundatore ſpiritu prophetico cecinerint, ſuadetur ex hoc maximè, quòd Eccleſia Romana, quæ à Spiritu Sancto infallibiliter gubernatur, utriuſque Prophetæ verba in feſto ejuſdem S. Dominici, ad ſextam, & nonam publicè cantari ordinaverit. Ex ipſius ergò Eccleſiæ Romanæ quæ falli nequit, mente, S. Dominicus Spiritum Dei habuit, & verba, quæ in ejus ore Deus poſuit, de ore ejus numquam receſſerunt, nec de ore ſeminis illius, ſed in ſempiternum manebunt: ſed Spiritus Dei, Spiritus eſt veritatis: Deus enim nequit mentiri; & omnia ejus verba, veritas ſunt, ut canit Regius Vates; *omnia mandata tua, omnia verba tua veritas*: Ergò ipſius etiam Dei teſtimonio ſacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo eſt veritatis, Ordo ſinceræ, & Orthodoxæ Doctrinæ.

Probatur ſecundò, teſtimonio luculentiſſimo Ioannis 22. ſummi Pontificis, qui cum, ut referunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, erroneam quandam nonnullorum Doctorum opinionem, aſſerentium ſanctorum animas, non niſi poſt univerſalem corporũ reſurrectionem, clarâ Dei viſione frui, tanquam de fide tenendam vellet decernere, & inquiſitorem Fidei Avenionenſem Ordinis noſtri, qui ejus decreto conſtantiſſimè obſtitit, ad officio Inquiſitoris amoviſſet, & in carcerem detrudi juſſiſſet; Precibus totius Ordinis noſtri pro hac cauſa ad Deum fuſis, ſummus Pontifex, veritate divinitùs illi revelatâ, ipſum Inquiſitorem è carcere liberatum, priſtino Inquiſitoris Officio reſtituit; exclamans; *Nunc didici ſacrum Ordinem FF. Prædicatorum, Ordinem eſſe veritatis?* moxque primam & erroneam ſententiam revocans, ſtatuit tanquam de fide tenendum, ſanctorum animas ante corporum reſurrectionem, clarâ & intuitivâ Dei frui viſione, & beatitudine eſſentiali.

Tertiò, probatur pluribus ſummorum Pontificum teſtimoniis, qui Doctrinam D. Thomæ Angelici Doctoris, à qua Fratres omnes ſacri Ordinis S. Dominici, nunquam receſſerunt, nec recedent, adeò extollunt, tantæque veritatis eſſe aſſerunt, ut

Digitized by Google

ipſe Innocentius ſextus, hæc ad ejus laudem protulerit; hujus doctrina præ cæteris, exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum; itaut nunquam, qui eam tenuit, inveniatur à veritatis tramite, deviaſſe, & qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. Vrbanus verò quintus ad Toloſanam Academiam, volumus, & tenore præſentium vobis injungimus, ut B. Thomæ Doctrinam tanquam veridicam & Catholicam, ſectemini, eamque ſtudeatis, totis viribus ampliare. Pius quintus D. Thomæ Doctrinam adeò extollit, ut dixerit per eam Hæreſes omnes fuiſſe confuſas, quod nuper ex Tridentini Concilii decretis liquidè apparuit. Clemens octavus ad Neopolitanos, eos ad tuendam D. Thomæ Doctrinam tanquam veridicam, & Orthodoxam hortatur, quibus Paulus quintus concinit, his verbis; ſplendidiſſimi Catholicæ Fidei Athletæ, B. Thomæ Aquinatis, cujus ſcriptorum clypeo, militans Eccleſia Hæreticorum tela fœliciter eluſit, honorem, & venerationem in dies magis, magiſque augeri, plurimum in domino gaudemus. Nec mirum D. Thomæ Doctrinam, tanquam veridicam à tot ſummis Pontificibus adeò extolli, quæ proprio ipſius Chriſti ore confirmata eſt dicentis; *benè ſcripſiſti de me, Thoma!* quam ergò mercedem accipies.

Quare, jure optimo, ſic communiter ejus effigies depingitur, ut Solem fulgentiſſimum ſupra pectus geſtet. In aliis ſtellis erraticis, ut in Luna, Iove, Mercurio, Aſtrologi quaſdam maculas deprehendunt, ſol omnis maculæ, omniſque nævi penitùs expers eſt; quare grecè dicitur ἥλιος, id eſt, purus. D. Thomas, non ut ſtella in medio nebulæ, non ut Luna plena in diebus ſuis, ſed ut Sol refulſit in templo Dei, quia, juxta ſummorum Pontificum teſtimonia, abſque ullo prorſus errore tot libros, quibus Eccleſia, ut radiis, ſolis illuſtratur, conſcripſit. Vndè Eccleſia in ejus Feſto, & ad ejuſdem laudem hæc canit,

De excelſis fons ſapientiæ,
Sancto Thomæ infudit copiam,
Tanquam flumen claræ ſcientiæ,
Qui ſuſceptam refudit gratiam,
Dum fluentis ſummæ peritiæ,
Rigat totam ſanctam Eccleſiam.
Stylus brevis, grata facundia,
Celſa, clara, firma ſententia,
Quàm excelſus, quem cœli prædicant;
Quàm præclarus, quem ſtellæ indicant;

Quàm veridica, & Orthodoxa illius Doctrina, quàm nedùm ſummi Pontifices Romani, ſed & ipſe Chriſtus, Deus veritatis proprio ore confirmat, dicens: *benè ſcripſiſti de me, Thoma!* quàm laudabilis, *cujus ſolatio Angelorum conſentit attentio, Petrus, Paulus favent obſequio, Dei mater mulcet alloquio, Scholas enim illius Paulus ingreditur; ſacra ſimul fantur myſteria*; Sed & Auguſtinus ſic illum alloquitur; *Thomas mihi par eſt in gloria*, Doctrinæ ſcilicet ſplendore, *virginali præſtans munditiâ.* Hunc modò Petrus à Valle Clauſâ, Olim Theophilus, erroneæ Doctrinæ inſimulet; ejuſque Doctrinam, ab Angelis, ab Apoſtolis, ab Auguſtino, Doctorum Aquila, à tot ſummis Pontificibus, imò, proprio Chriſti ore confirmatam, carpat, impugnet, laceret.

DE LAUDIBUS
DIVI THOMÆ AQUINATIS
Doctoris Angelici.

ORATIO PANEGYRICA:

Cherub flammeum enſem manu geſtans.

Collocavit Deus ante Paradiſum voluptatis Cherubin & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Geneſ. 3.

PROOEMIUM.

P*Lantaverat Dominus Deus Paradiſum Voluptatis in principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat, ut operaretur, & cuſtodiret illum; præcepitque ei dicens, ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris,* Contra tamen Dei præceptum ſerpentis callidiſſimi, id eſt, Dæmonis ſuggeſtione; *Eva ejus uxor videns, quod lignum ſcientiæ boni, & mali bonum eſſet ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*, tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo Adæ, qui ne ſuas conſtritaret delitias, ut dicit Nazianzenus, ſpreto Dei præcepto; ex eo comedit: *Ne* ergò, addit ſacer Geneſeos Textus,

Homo manum ſuam mitteret, & de ligno vitæ ſumeret, & viveret in æternum; emiſit Dominus primos parentes de Paradiſo voluptatis; collocavitque ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Geneſ. 3. Hæc omnia, ur dicit Apoſtolus in figura contigere. Paradiſus ille Voluptatis in ſenſu allegorico, eſt Ecclſiea Romana: In hoc Paradiſo lignum eſt viræ, lignum adhue ſcientiæ boni, & mali; lignum vitæ, quia Chriſtus, qui de ſeipſo dicit, *Ego ſum via, veritas, & vita*, realiter & corporaliter in venerabili Euchariſtiæ Sacramento exiſtit, extra quam Eccleſiam, ſcilicet Romanam, quæ ſola vera eſt Eccleſia, nulla eſt ſalus, nullaque ſpes vitæ æternæ. In illa adhuc eſt lignum ſcientiæ boni, & mali, quia in illa, ſola vera, & orthodoxa Doctrina, & ſcientia diſcirur. Ante Paradiſum hunc Voluptatis collocavit Deus Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, & ſcientiæ. *Cherubin*, idem eſt, ae plenitudo ſcientiæ. Cherubin ergò illud, quod Deus collocavit ante Paradiſum Eccleſiæ Romanæ, Sanctus eſt Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, qui plenitudinem omnium ſcientiarum habuit, ut in prima hujuſce concionis parte demonſtrabimus. Plenitudinem autem omnium ſcientiarum habuit triplici viâ, videlicet ſummæ, & profundiſſimæ humilitatis; integerrimæ virginitatis, & efficaciæ orationis, quod in ſecunda parte declarabitur. Plenitudinem omnium ſcientiarum triplici hac viâ conſequutus, tanquam novum Cherub à Deo collocatus eſt, ut Idolorum Cultores, & Hæreticos ab Eccleſia Romana repelleret & flammeo, ac verſatili eximiæ ſuæ, & orthodoxæ Doctrinæ gladio impugnaret, Fideles autem, & ad Ecclcſiæ Romanæ gremium redeuntes, in cœleſtem Paradiſum conduceret, quæ omnia fœliciter perfecit, ut ex tertia parte hujuſce concionis patebit: ſingula breviter demonſtro.

PRIMA PARS.

Divus Thomas Aquinas, Angelicus Doctor novi Paradiſi Voluptatis, Eccleſiæ ſcilicet Romanæ Cherubin, ob plenitudinem omnium, quam habuit, ſcientiarum.

CHerub, Linguâ Hebraïcâ, idem eſt, ac plenitudo ſcieutiæ. Angelicus Doctor S. Thomas plenitudinem habuit omnium ſcientiarum. Hoc ergò titulo jure optimo, novum Cherub dici debet. Quod autem ſcientiarum omnium plenitudinem habuerit; ex libris quos compoſuit apertè innoteſcit; omnes enim Ariſtotelis Philoſophorum Principis, tùm de Dialectica, tùm de Phyſica, de Metaphyſica, tùm de Cœlo, de Metheoris, de Natura & proprieatibus animalium interpretatus, & quæ ille obſcurè, D. Thomas clariſſimè ſuis comentariis elucidavit. Quare jure optimo, pluſquam Ariſtoteles, eoque ſapientior, dici debet; nam ea omnia, quæ lumine naturali Princeps ille Philoſophorum noverat, D. Thomas lumine à Deo ſupernaturaliter infuſo, apprimè, & perfectiùs cognovit; adde, quòd à nullo præceptore inſtructus, Philoſophiam propriâ & admirandâ ingenii ſagaciâ didicit; Ariſtóteles verò à Platone Philoſophiam didicerat. Præterea Ariſtoteles ea ſolummodò, quæ ad ordinem naturæ ſpectant, & quæ ſolo rationis naturalis lumine innoteſcunt, agnovit, in quibus ſæpè erravit; præ cæteris, circa mundi creationem, quem ab æterno improductum eſſe, aſſerit; & circa Dei immenſitatem, & providentiam, quam ad minima, reſque corruptibiles extendi negat: D. autem Thomas, circa illa minimè erravit, & ea omnia, quæ ad ordinem gratiæ, & ſtatum beatorum ſpectant, lumine ſupernaturali à Deo infuſo, tùm Fidei Theologicæ, tùm ſapientiæ perfectè agnovit; ineffabilis ſacræ Triados Myſterii, divinæque Verbi Increati Incarnationis arcana nobis in prima & tertia parte ſuæ Summæ Theologicæ, cujus tot miracula, quot articuli, ut Summus Romanæ Eccleſiæ Pontifex Ioannes XXII. pronunciavit, mirâ arte, mirâque methodo aperuit; ubi de Angelorum natura, diſtinctione, ordinibus & Hyerarchiis altè pro more diſcurrit, de quibus Ariſtoteles nihil ſcripſit; pluſquàm ergò Ariſtoteles, eoque doctior fuit, Divus Thomas Angelicus Doctor.

Sapiens fuit Rex Salomon, omniumque Scientiarum lumine illuſtratus, qui de ſeipſo dicit, c. 1. ſui Eccleſiaſtæ, *magnus effectus ſum, & praceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerint ante me in Hieruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici.* De quo Eccleſiaſticus, c. 47. *impletus eſt, quaſi flumen ſapientiâ. Replevit in comparationibus ænigmata. in cantilenis, & proverbiis, & interpretationibus ejus admiratæ ſunt terræ.* Pluſquàm tamen Salomon, eoque longè ſapientior D. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, quia Salomon inordinato; ac væſano erga mulieres amore, ſtultiſſimus evaſit; D. autem Thomas ſapientiam à Deo ſibi infuſam, numquam perdidit.

Sapieos adhuc fuit Lucifer ille, primus Angelorum, ad quem Deus Ezech. 28. ſic loquitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradiſi fuiſti. Tu Cherub extendens & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei.* Pluſquam adhuc Cherubin, eoque ſapientior D. Thomas

mas; perdidit enim ille ſapientiam in decòre ſuo,& ſuperbiâ elatus, voluit eſſe ſimilis Deo; ſed à Deo è cœlo in infernum dejectus, nihili factus eſt. Divus autem Thomas ſapientiam ſervavit in humilitate cordis, & è terra in cœlum evectus Luciferi ſedem vacuam implet.

Divus Thomas Aquinas tantâ,adeoque ſtupendâ, præditus fuit ſapientiâ, ut adhuc in terris degens, beatorum ſcientiam quodammodò videatur eſſe conſequutus. Nam cùm in extremis agenti, corpus Chriſti,pro more Eccleſiæ, à Sacerdote porrigeretur, ad hęc verba,*Credis hoc eſſe verum Chriſti corpus?*reſpondit,*non ſolùm,credo,ſed & ſcio*,quaſi medio quodã loco inter tempus, & æternitatem, inter cœlum, & terram, inter viatorum, & comprehenſorum ſtatum conſtitutus. Divus ergò Thomas Aquinas ob admirandam omnium ſcientiarum plenitudinem, Romanæ Eccleſiæ Paradiſi Cherubin dici debet. Triplici autem viâ plenitudinem illam omnium ſcientiarum comparavit, viâ ſcilicet humilitatis, caſtitatis, & orationis; ſingula in ſecunda hujus concionis parte, demonſtro.

II. PARS.

Divus Thomas Aquinas, Eccleſiæ Romanæ Cherubin, viâ humilitatis, viâ integerrimæ virginitatis, & ferventiſſimæ orationis, plenitudinem omnium ſcientiarum comparavit.

O Stupendum, & tremendum Luciferi caſum! Ille, qui ob ſcientiæ plenitudinem, Luciferi ſpecioſum nomen à Deo acceperat, inſipientiæ tenebris obſitus, totus evaſit tenebrifer. Infauſtæ hujuſce mutationis cauſam inquiris, in promptu eſt, eamque Deus, Ezech. 28. innuit dicens, *perdidiſti ſapientiam in decore tuo*, videns enim eximiæ ſuæ ſapientiæ fulgorem; ex illo ſuperbiæ typho intumuit; *ſcientia* enim *inflat*, ut dicit Apoſtolus, *Charitas ædificat*; ſicque ſcientia, quam ad ſalutem à Deo receperat, in ejus ruinam converſa eſt, quia non Dei amore, ſed propriâ, & inordinatâ philautiâ exarſit. Scientiam inflantem charitati ædificanti prætulit, ideoque cecidit. Geminas, ait Bernardus, ſicut & alia Cherubin alas, quibus in cœlum volaret, à Deo in ſua creatione receperat, alam videlicet ſcientiæ, & alam charitatis; à Deo enim fuit creatus in ſtatu gratiæ, & cum amore caſto, ut docet Auguſtinus; unicam verò ſolius nempè ſcientiæ pennam extendit, alteram ſuppreſſit, ſcilicet charitatis; non ergò mirum, quòd è cœlo in infernum ceciderit, totus tenebrifer effectus. Humilibus dat Deus gratiam; ſuperbis reſiſtit. Humilibus ſapientiæ lumen infundit; ſuperbis abſcondit. *Ita Pater*, exclamat Chriſtus, *ſic placitum eſt coram te; abſcondiſti hæc à ſapientibus*, id eſt, ſuperbis, qui de ſua nimiùm ſapientia gloriantur, *& revelaſti* ea parvulis. Quod exemplo Angelici Doctoris,nunc demonſtro. Adeò in illo profunda emicuit humilitas, ut peſtiferæ ſuperbiæ nullum unquam perſenſerit ſtimulum. Adeò humilis fuit, ut oblatum Archiepiſcopatum recuſaverit. Adeò humilis fuit, ut in Conventu noſtro S. Iacobi Pariſienſi Magiſtri in Sacra Theologia Laureâ coronatus, & ex tibiæ tumore claudicans, fratri converſo ad negotia in urbe peragenda comitem ſe præbuerit. Hâc primâ viâ,ſcilicet humilitatis, plenitudinem omnium ſcientiarum comparavit: humilibus enim Deus gratiam, & ſapientiæ lumen infundit; ſicque Cherubin evaſit.

Humilitati illibatam caſtitatem, perpetuamque virginitatem adjunxit, quæ ad ſcientiam comparandam maximè conducit *immaterialitas* enim, id eſt, ſumma animi puritas, *radix eſt intellectualitatis*,ut docet Sapiens. Lumen ſolis corpora Diaphana magis penetrat, magiſque illuſtrat; & in ſpeculo mundo clariùs refulget. Quare,ut refert Hyeronymus, ſibillis, etſi gentilibus, prophetiæ Deus lumen, ob perpetuam earum virginitatem infudit. D. Thomas, ob expulſam fœminam, quæ ad expugnandam ejus virginitatem à Fratribus ſuis introducta fuerat, ab Angelis cingulo caſtitatis fuit præcinctus, quam uſque ad mortem integerrimam ſervavit. Corporis ergò, & cordis illibatâ munditie divinæ ſapientiæ, omniumque ſcientiarum radiis meruit illuſtrari; & in hoc adhuc pluſquàm ſalomon: qui, ut refert ſacer Textus, ſenex ab inordinato mulierum amore non receſſit, quo obcæcatus ſapientiam à Deo infuſam perdidit: D. autem Thomas plenitudinem ſcientiarum ſemper cuſtodivit, quia virginitatem numquam amiſit.

Aliâ viâ ſcientia comparatur, videlicet orationis, ut docet Sapiens in Eccleſiaſt. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Et paulo poſt hæc habet, de viro ſapiente, *cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & replebit illum Dominus ſpiritu intelligentiæ.* Hâc viâ Salomon ſapientiam comparaverat. *Deus* inquit, *patrum meorum, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ mecum ſit, & mecum laboret*, Sap. 9. Hâc D.Thomas pluſquam Salomon, plenitudinem omnium ſcientiarum à Deo obtinuit, numquam enim ſe lectioni, aut ſcriptioni dedit niſi poſt orationem: in difficultatibus locorum ſacrę Scripturæ ad orationem, jejunium adhibebat,quin etiam ſodali ſuo fratri Reginaldo dicere ſolebat, quidquid ſciret non tam ſtudio, aut labore ſuo ſe peperiſſe, quàm divinitùs in oratione traditum accepiſſe. Orationi verò lectionem, ſtudiumque ſacrarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum adjungebat; quod ab Eccleſiaſtico didicerat; *ſapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit; narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutiis parabolarum ſimul introibit: occulta proverbiorum exquiret*, tribus his viis D. Thomas Romanæ Eccleſię Cherubim plenitudinem omnium ſcientiarum comparavit, quas ſuis ſcriptis per totum orbem terrarum effudit, in hoc pluſquam Cherubim fuit, quod Deus ante hoſtium Paradiſi collocaverat; Cherubim enim illud homines à ligno ſcientię arcebat.

III. PARS.

Divus Thomas Paradiſi Eccleſiæ Cherubin, ab ea Hæreticos excludens, aditum Fidelibus ad lignum ſcientiæ aperit.

NE homo mitteret manum ſuam, & de ligno vitę ſumeret, collocavit Deus Cherubin ante Paradiſum Voluptatis, cum gladio flammeo, & verſatili ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Hæc in figura contigere: decreverat enim Deus alium

Paradiſum Voluptatis in terris conſtituere, Eccleſiam ſcilicet Romanam, in qua lignum eſt ſcientiæ; hæc enim, ut dicit Apoſtolus *firmamentum, & columna veritatis*, in qua ſola edificitur vera, & orthodoxa fidei Doctrina hujuſce P. in illa Deus novum Cherubin collocavit, videlicet D. Thomam Doctorem Angelicum, cum gladio flammeo, & verſatili, ſub qua figurâ, ejus ſtatua aurea ſupra majus Eccleſię noſtrę altare proſtat: gladium autem habet verſatilem; quia Divini Verbi, *quod omni gladio ancipiti penetrabilius eſt*, ut dicit Apoſt. cujus fideliſſimus interpres veridicâ, & orthodoxa ſua Doctrina Hæreticorum tela fœliciter eliſit, ut teſtatus eſt Paulus quintus, multęque exortæ Hæreſes diſſipatę ſunt, ut retulit Urbanus quintus; excluſis autem ab hoc Paradiſo Hęreticis, Fidelibus Chriſtianis viam aperuit ad lignum ſcientię boni, & mali, hoc eſt, ad verę & orthodoxę Doctrinę, omniumque ſcientiarum notitiam: nullum enim fuit Scripturarum, & ſcientiarum genus, in quibus non eſſet diligentiſſimè verſatus; adeoque admirabili memoriâ, ut de rebus diverſis, uno & eodem tempore tribus, & quatuor interdùm amanuenſibus dictaret, quare illi tribui debet, quod in Eccleſiaſticolegitur, *amari abundavit ſcientia ejus, quaſi phiſon implevit ſapientiam, & ſicut tygris in diebus novorum, quaſi Euphrates adimplevit ſenſum, & multiplicavit quaſi Iordanis in tempore meſſis, miſit undequaque diſciplinam ſicut lucem, effudit ſapientiæ flumina, & ſicut aquæ ductus exivit de Paradiſo Factus eſt illi trames abundans, & fluvius ejus appropinquavit ad mare. Doctrinam quaſi antelucanum omnibus illuminat, eamque uſque ad longinquum enarrat. Doctrinam adhuc quaſi prophetiam effudit, & ſapientiam quærentibus reliquit, nec deſinit illam effundere in progenies, & uſque in ævum ſanctum: videte, quoniam non ſoli ſibi laboravit, ſed omnibus exquirentibus veritatem*; ſcientiam enim quam à Deo divinitùs receperat, ſine invidia omnibus cõmunicavit, & honeſtatem illius nulli abſcondit, ut illius tempore, Iſaię 53. vaticinium fuerit impletum: *repleta eſt terra ſcientia Domini, & quaſi fluctus maris eam operuerunt.* Et illud Regii Vatis, quod in D. Thomæ feſto ab Eccleſia quotidie apud nos canitur, *rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructibus ejus ſatiabitur terra*; replevit enim Angelicus Doctor univerſum orbem ſcientiâ Domini: quot ejus libri, quot commentaria, tot maris inundantis divinę ſapientię, veluti fluctus, quibus totam Eccleſiam rigat; de ſuperioribus verò hęc flumina deſcendunt, quia D. Thomę ſcientia de cœlo erat, & à Deo ſupernaturaliter infuſa.

Beatus ergò vir, qui in ſapientia, ſeu ſcientia Angelici Doctoris morabitur, qui eam excogitat corde ſuo, & in abſconditis ejus intelligens, vadit poſt illam, quaſi inveſtigator, & in viis illius conſiſtit, qui reſpicit per feneſtras illius, & in januis, id eſt, in ſcholis ejus audit, qui requieſcit juxta domum illius, & in parietibus illius figit palum, caſulam ſuam ſtatuit ad manus illius, requieſcent in ejus caſula bona per ævum. Doctrina enim D. Thomę, pręcæteris, ut teſtatur, Innocentius ſummus Pontifex, exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, itaut numquam, qui eam tenuerit, inveniatur à veritatis tramite deviaſſe, & qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. Vrbanus autem quintus hęc ad Toloſanam ſcribit Academiam, volumus, & tenore præſentium vobis injungimus, ut B. Thomę Doctrinam, tanquam veridicam, & Catholicam ſectemini. eamque totis viribus ſtudeatis ampliare, cujus vi, & veritate, ut definivit Pius quintus, multæ Hæreſes exortę, confuſę, convictæ, & diſſipatæ ſunt.

Jure ergò optimo Romana Eccleſia D. Thomam Aquinatem, Angelicum Doctorem, tanquam novum Cherubin agnoſcit, colit, & veneratur, ad ſui Paradiſi oſtium à Deo collocatum, pro ejus defenſione, D. enim Thomas Hęreticos in Eccleſiam Romanam inſurgentes expugnat; Fdelibus autem, & veritatis viam quęrentibus, ad orthodoxę Doctrinę notitiam aperit. Hic enim *ſpeciali gratiâ, luſtrate mentis oculo celſa novit myſteria. Ipſe tanquam imbres miſit eloquia ſapientiæ ſuæ & palàm fecit doctrinam ejus*, quam tota collaudat Eccleſia, ſoluſque Theophilus Raynaldus damnat. Hęc enim de Thoma canit Eccleſia.

Typum geſſit Luciferi,
Splendens in cœtu nubium,
Pluſquam Doctores cæteri,
Purgans Dogma Gentilium,
Profunda ſcrutans fluminum,
In Lucem pandit abdita,
Diùm ſupra ſenſus hominum,
Obſcura facit cognita.

CAPUT VI.

Sacer Ordo Prædicatorum, Ordo ardentiſſimæ, erga Deum, & proximum charitatis.

ADhuc cum Petro à Valle Clauſa manus conſerendæ, qui non *Theophilus*, quod nomen amorem Dei ſpirat, ſed *μισανθρωπος*, id eſt, hominum oſor, & hoſtis, potiùs appellandus eſt: ad ſui autem dedecus, Theophili nomine ſub nominis Petri à Valle Clauſa larva obrexit, viſcera enim pietatis erga ſacrum Ordinem FF. Prædicatorum adeò clauſit, ut illum quaſi juxta Riphæos colles, vel in frigidiſſimo montis Caucaſi vertice conditum, totius charitatis erga Deum, & proximũ expertem, ſoloque invidiæ æſtu ardentem in ſuis Diatribus legentibus objiciat, quâ verò fraude, quibus mendaciis, & calumniis nunc detegam: Initio hujuſce libri de gloria ſacri Ordinis FF. Prædicatorum, in Oratione Panegyrica de Laudibus S. Dominici, ſanctiſſimum hunc Patriarcham, tanquam facem divinæ charitatis flammâ accenſam propoſui, juxta mentem Eccleſiæ, quæ de illo hanc canit Antiphonam; *ardebat quaſi facula, pre zelo pereuntium*; quàm ardenti verò erga proximum, hominumque ſalute amore flagraverit; ibidem fusè demonſtravimus; veriſimillimum autem, imò & certiſſimum eſt, S. Dominicum in filios ſuos, charitatis ardentiſſimæ flammas transfudiſſe, à patre nõn degeneres.

Quod & ipſe Deus proprio ſuo ore apud Iſaïam Prophetam confirmat, ipſum loquentem iterùm audiamus, *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo; non recedent de ore tuo, nec de ore ſeminis tui*, dicit Dominus, *amodo & uſque in ſempiternum.* Spiritus autem Dei, nedùm eſt ſpiritus veritatis, ſed ſpiritus etiam ardentiſſimi amoris: Deus enim charitas eſt, ut dicit Apoſtolus Spiritus Dei, eſt Spiritus Sanctus de quo canit Eccleſia:

Digitized by Google

Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altiſſimi,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpritalis unctio.

Prætereà verbum Dei, verbum eſt ignitum, ſpirans amorem; nonnè cor noſtrum ardebat, inquiunt duo illi Diſcipuli, quandò Chriſtus nobis in via loqueretur? Deus autem ſpiritum ſuum S. Dominico infudit, verbaque ſua in ejus ore poſuit, qui ſpiritus, ſcilicet amoris, quæ verba divinâ charitate inflammata à ſemine ejus, id eſt, ab ejus ſacro Ordine numquam recedent: quâ ergò fronte Petrus ille à Valle Clauſa, à ſacro illo FF. Prædicatorum Ordine divinam charitatem auferre præſumit, contra ſolemnem illam Dei promiſſionem ab Eccleſia Romana confirmatam? Legat *Miſantropos* ille, legat Annales ſacri Ordinis FF. Prædicatorum à viris fide digniſſimis conſcriptas, in his advertet quanto zelo, quantâve charitate FF. Prædicatores ſalutem animarum ſitierint, qui nunquam ad refectionem corporum procedebant, quin prius Chriſti Evangelium prædicaſſent, & conciones ferventiſſimas, ad populum, pro converſione peccatorum habuiſſent. Cibus enim eorum electus, ſalus erat animarum. In his adhuc Annalibus diſcet innumeros Ordinis noſtri Fratres, ardentiſſimâ charitate impellente extremas mundi partes adjiſſe, utriuſque Indiæ, tam Orientalis, quàm Occidentalis vaſtiſſimas Regiones penetraſſe, ut Idolorum Cultores ad Chriſti Fidem adducerent. Nùm divino amore, & ardentiſſimâ flagrabant erga proximum charitate, qui pro ſalute animarum ſanguinem fuderunt, & Martyrio coronati ſunt. Sacer enim Ordo FF. Prædicatorum, Ordo Martyrum eſt, ex quo pluſquàm duo millia Martyrii palmam conſequuti ſunt.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo eſt Martyrum.

HOrum primus, & anteſignanus S. Petrus de Verona, qui dùm Inquiſitoris munus in ſua patria exerceret, à Manichæis interfectus Fidem Catholicam proprio cruora in terra effuſo ſignavit, dùm enim ſanguis ex ejus corpore flueret, digito in terra cruentata hæc Symboli verba! *Credo in unum Deum, Creatorem cœli & terræ*, Scribebat.

CAPUT VII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo eſt ardentiſſimæ Charitatis erga ſanctiſſimam Deiparam Virginem, cujus ſpeciali cultui ſemper fuit addictiſſimus & devotiſſimus.

DEus in cœlo ſignum Leonis, ante ſignum Virginis, ſignum Stateræ, ſeu Libræ poſuit. Signum Leonis ferventiſſimum eſt, itaut menſe Auguſti, terrena omnia ſuo ardore comburat: ſequitur menſe Septembri ſignum Virginis; quo ejus ardores compeſcuntur. Signum Virginis ſequitur ſignum Libræ, hæc myſterio minimè carent: Petrus à Valle Clauſa, olim Theophilus Raynaldus, inſtar Leonis ferociſſimi adverſus Sacrum Ordinem S. Dominici, furit, æſtuat, debachatur, eumque cultui beatiſſimæ Virginis, Genitricis Dei Mariæ adverſarium eſſe contendit; propter rationes, quas nunc ex præcepto Eccleſiæ Romanæ ſub ſilentio premo. Exſurge de cœlo Iuſtitia. Tu ſcis ſanctiſſima Virgo Chriſti Mater tu ſcis? Quantùm tuo cultui ſacer noſter ordo ſit devotiſſimus? Exſurge ergò ſanctiſſima Virgo, & ab ore crudeliſſimi hujuſce Leonis Ordinem noſtrum libera! Iudica cauſam noſtram, & à viro iniquo Libera nos Domina; Tu juſtiſſima es, in Libra ergo, quæ ſignum tuum in cœlo ſubſequitur, Iudica nos? accedat Leo ille crudeliſſimus, accedat; Eccleſias noſtras inviſat; ſed ab illis, quantùm poteſt aufugit; videbit, inprimis menſis Dominicis, videbit, in omnibus Feſtis ſanctiſſimæ Virginis, videbit, in omnibus Feſtis, quindecim ſacratiſſimi Roſarii Miſteriis, conſecratis quot Chriſtianorum turbæ ad Eccleſias noſtras, ubique terrarum, conveniunt? Videbit, & audiet, quâ devotione, quo fervore beatiſſimæ Virginis Roſarium recitent? Videbit, quâ devotione lethaniæ Sanctę Virginis, in Clauſtris à Fidelium turbis recitentur? noctibus ad *Salve Regina*, quod publicè recitatur, fratres noſtris adſint? Taceo nocturnas Deiparæ Virginis Laudes, ſingulis enim noctibus Beatiſſimæ Virginis, Officium in dormitoriis noſtris ante ſolemnes maturinas recitatur! Rugiat ergò ferociſſimus ille Leo adverſus Ordinem noſtrum; ſanctiſſima Virgo cauſam noſtram judicabit, & ab inimico noſtro infenſiſſimo nos liberabit; Stateram enim habet juxta ſe poſitam; quo pacto, ſanctiſſima Virgo ſibi adverſarios agnoſcet, quæ in ipſo primo filios nos recepit. Tuoe enim Filii beatiſſimæ Virginis vocabamur; agnoſcet nos, non tanquàm adverſarios, ſed ut filios dilectiſſimos, materniſque ſuis amplexibus fovebit, quibus innumera contulit beneficia, maternæque ſuæ pietatis, & argumenta declaravit, ut ſequenti capitulo demonſtrabimus.

CAPUT VIII.

Inſignia, & ſpecialia ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, erga ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem maternæ pietatis argumenta.

ERgò ne Petre à Valde Clauſa, ergò ne Theophile, ſeu potiùs Myſantrope, erga ſacrum Ordinem FF. Prędicatorum, tanto furore debachaberis: tam inquam, ut dicas, ſacer noſter Ordo erga ſanctiſſimam Virginem ingratus eſt, indevotus, impius. Veni accede (ſed nec accedere, nec venire potes, jamdudùm enim ex hoc mundo ſublatus es, & ante Chriſtum Deiparę Virginis filium, judicandus aſtitiſti) accedant ergò ſodales tui, Eccleſias noſtras inviſere dignentur, diebus primis Dominicis ſingulorum menſium, & in Feſtis omnibus ſolemnibus Deiparę Virginis Marię, oculis propriis videbunt, quanto populorum, & Magnatum concurſu innumerę turbę, Proceſſionibus, & Litaniis quas ad honorem ejuſdem ſanctiſsimę Virginis decantamus, adſint; veſpertino adhuc tempore, & videbunt, quâ devotione, quoque cordis affectu, *Salve Regina*, ante ejus altare, & litanias ſingulis noctibus, decantemus: mitto, quod ipſi nec videre, nec audire poſſunt, ſingulis diebus, & noctibus, nedùm ſanctiſsimę Virginis Roſarium, ſed & Officium, vel in choro, vel in dormitorio à Fratribus noſtris recitari; dicat ergò Miſantropos ille, & Ordinis FF. Prędicatorum Hoſtis, Fratres noſtros cultui ſanctiſsimę Virginis ſummoperè eſſe adverſarios: contrarium optimè noſti ſanctiſsima Virgo, adeò enim tuo cul-

Digitized by Google

tui ſacer noſter Ordo fuit addictus, ut in ipſo ipſius exordio, ut diai filii S. Dominici Pattis noſtri; filii tui, filiique B. Virginis dicerentur. Sęviat ergò crudelis ille leo adverſus noſtros, tu ſanctiſsima Virgo, cujus ſignum in cœlo ſignum leonis ſubſequitur? Tu, inquam, furorem ejus compeſce: ergò ne panthera crudelior, quę in ſine Virginis, ut dicunt, cicutatur. Ejus ergò clementiſsima Virgo furorem cœrce: librum habes, quę ſignum tuum ſubſequitur, & hęc ſignum eſt æquitaris, & juſtitię: ea æquo, & juſtititia judica cauſam noſtram, judica nos de gente non ſancta, & libera nos ab homine injuſto.

Si adeò, ut nobis imponitur tuo cultui ſanctiſſima Virgo infenſi ſumus, cur tot beneficiis, totque gratiis ſacrum noſtrum Ordinem afficis, & honoras? Tu ſacrum Roſatium S, Dominico Patri noſtro propriis manibus, dediſti? Tu B. Reginaldum ad mortem ægrotantem ſacro Scapulari, proprio Ordinis noſtri habitu induiſti? Tu ſub veſte tua, quaſi ſub turiſsimo aſylo filios S. Dominici abſcondis, ut filij tui.

Tremendi judicis iram effugiant? Tu ſingulis noctibus dormitoria Fratrum noſtrorum luſtras, ſingulorumque Fratrum cellas aquâ benedictâ aſpergis? Tu S. Dominico Patti noſtro, S. Petro Martyri, S. Thomę Aquinati, S. Vincentio Ferrerio, S. Alberto magno, comitantibus S. Catharinâ Marryre, & S. Cæcilia viſendam te caibes. Tu S. Catharinæ Senenſi, S. Agneti à Monte Politiano, S. Roſę, omnibuſque ſacri Ordinis noſtri ſanctis conſpicuam non ſemel te præbuiſti? Legant adverſarii noſtri Annales Ordinis FF. Prędicatorum à viris fide digniſſimis conſcripros, & hæc, aliaque innumera ſanctiſſimæ Virginis, ſingularis Ordinis noſtri Patronæ, piiſſimæque matris beneficia agnoſcent.

Nùm tuo cultui D. Thomas Aquinas ſanctiſſima Virgo adeò adverſatur, ut illi Theophilus falsò improperat, qui ea urero matris ſuæ naſcens, dùm à nutrice lavaretur, ab illa inventus eſt chartulam præ manibus habere, cœlitùs illi datam, in qua Salutatio legebatur Angelica, quàm prius à Gerula avulſam, mox redditam ore deglutivit, ut hinc agnoſcas Theophilus, quàm D. Thomæ gratus fuerit Deiparæ Virginis cultus, quem adhuc puellulus, in ſuis habuit præcordiis.

CAPUT IX.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum fragantiſsimus odore Roſarum ſuaviſsimo.

DEus à ſe conditum primum hominem, in Paradiſum Voluptatis, hoc eſt, in hortum conſitum variis arboribus frugiferis, floribuſque odoriferis, roſis videlicet, & liliis vernantem transtulit, ut habetur, Geneſ. Hæc omnia, ut dicit Apoſtolus Paulus, in figura contigere, quare per hujuſmodi Paradiſum voluptatis, S. Patres, & ſacræ Scripturæ Interpretes Eccleſiam Romanam in terris agentem intelligunt, in qua, tot arbores frugiferæ, quot ſancti, totque roſæ ſuaviter olentes, quot Doctores, quot Mattyres, quot Virgines à Chriſto fuerunt plantatæ. Roſa enim inter odoriferos flores primatum tenet. Roſa lætitiæ ſignum; Roſa, ſymbolum amoris; Roſa ſilentii Hieroglphicum Roſæ varius uſus in medicinis: Roſas adhuc loqui, id eſt eleganter loqui, vetus eſt proverbium: Eccleſiæ autem Doctores roſas ad populum, & in ſcriptis loquebantur, quia floridus fuit eorum ſermo, florida ſcripta, ut patet, ea ſcriptis S. Ambroſii, S. Cypriani, S. Auguſtini, qui tamen non niſi poſt diuturnum ſilentium loquebantur, & libros ſcribebant: *Os enim juſti prius in ſilentio meditatur ſapientiam; poſt modum lingua ejus loquitur judicium:* Roſæ fuere innumeri Eccleſiæ Martyres, qui pro Chriſti nomine, ejuſque ferventiſſimo amore ſanguinem proprium ſuderunt. Roſæ adhuc fuere tot ſacræ Virgines; quæ, ut quidam de primis illis roſis in Paradiſo Voluptatis à Deo plantatis ſcribunt, ſpinis, id eſt, carnalium voluptatum illecebris caruere. Eccleſia ergò Chriſti Paradiſus eſt Voluptatis, à Deo variis arboribus frugiferis conſitus, variiſque roſis ornatus, in quo Deus novum Adamum, novamque Evam Chriſtum ſcilicer, ejuſque ſanctiſſimam Matrem Virginem Mariam poſuit; ſed & Apoſtolos, Doctores, Martyres, & innumeras Virgines, de quibus D. Paulus, *Chriſti bonus ordor ſumus.*

In hoc verò Paradiſo Voluptatis alium Deus hortum Eden, ſeu viridarium roſis adhuc vernantem, & floridum plantavit, ſacrum, videlicet, FF. Prædicatorum Ordinem. Nonnè floridus ſacer hic Ordo, & roſarum ſuaviſſimo ſuffitu flagrans, cui ſanctiſſima Virgo Roſarium pro ſummo munere conceſsit, ut infrâ declarabitur.

Roſarium nihil aliud eſt, quàm centum quinquaginta Salutationum Angeli ad Mariam, adjunctis quindecim Orationibus Dominicis, in quindecim decades diſtributis, roſea penitùs, florida, & odorifera congeries, in qua quidecim humanę Redemptionis Myſteria fideles contemplantur, gaudioſa, ſeu lęta, in quinque primis decadibus; cruenta, & doloroſa Chriſti tormenta, in quinque aliis decadibus; glorioſa demùm, Chriſti Reſurrectionis, in cœlum Aſcenſionis, &c. In ultimis quinque decadibus quot verò Salutationes Angelicæ, ſeu Ave Maria cantantur, tot roſę ex ore Fidelium decantantium proferuntur, quibus Chriſti, & Marię ſanctiſsimę caput coronant, ut ea ſancti viri ſpeciali, ac divinâ revelatione compertum eſt, qui audiens Fratres Roſarium recitaotes, ea ore illorum roſas orientes videbat, ea quibus Chriſto, & ejus ſanctiſsimę Matris coronas texebant.

Roſas nunc loquor, quia Roſarii ſanctiſsimi laudes profero. Quo verò tempore, & à quibus fuerit inſtitutum, ſcriptorum fide digniſsimorum ſententias proferam: Leo decimus in Diplomate dato Romę Ponificatus ſui anno 8. hęc refert: olim prout in hiſtoriis legitur à S. Dominico quædam confraternitas utriuſque ſexus Fidelium de Roſario ejuſdem B. Virginis Mariæ, nuncupata ad honorem Angelicæ Salutationis inſtituta, in diverſis mundi partibus prædicata fuit. Pius verò quintus io Diplomate dato Romæ Pontificatus ſui anno 4. iſta ponit. Spiritu S. ut piè creditur afflatus B. Dominicus, Ordinis FF. Prædicatorum Auctor, occaſione, quod Albigenſium Hæreſis per partes Galliarum, & Italiæ horrendè graſſaretur, & mentem illum reſpiciens glorioſæ Virginis Mariæ, quem illi Hæretici maximè impetebant, perpetuam ejus Virginitatem impugnantes, modum facilem, & omnibus pervium, ac admodum pium orandi, & precandi Deum, Roſarium ſcilicet, ſeu Pſalterium ejuſdem B. Virginis Mariæ nuncupatum, quò eamdem beatiſſimam Virginem Salutatione Angelicâ centies & quinquaſies, ad numerum Davidici Pſalteri repetitâ, & Oratione Dominicâ ad

quamlibet

quamlibet decimam, cum certis meditationibus totam Domini noſtri Jeſu Chriſti vitam demonſtrantibus, venerantur, excogitavit, & excogitatum per ſanctæ Romanæ Eccleſiæ partes propagavit; quod & Gregorius 13. confirmat in Bulla datâ anno 1. ſui Pontificatus, & Sixtus 5. in Bulla datâ Romæ, anno ſalutis 1588. communis tamen eſt Scriptorum ſententia B. Dominicum, non tam eſſe ptimum Roſarii Auctorem, ſed à beatiſſima Virgine illud didiciſſe, cujus poſtea fuit Prædicator & promulgator. Cûm vir ſanctus, ut refert Guillelmus Nangiacus, audiret Albigenſes Hæreticos per ſummam impudentiam, Dei Matrem, voce impuriſſimâ, meretricem appellare, ejuſque Virginitatem illibatam impugnare; ſanctus vir, cui nihil poſt Deum magis cordi erat, quàm Deiparæ Virginis honorem tueri, illam ſœpè ſæpiùs continuis precibus interpellebat, ut nefandam illam Hæreſim penitùs deleret, utpotè quæ ab Eccleſia Hæreſeon interemptrix appelletur. Annuit ejus precibus ſanctiſſima Virgo, eique apparens illum docuit, ut Roſarium prædicaret, ſub formula ſuprà à nobis expoſitâ, & ejus virtute Albigenſium nefandam Hæreſim monuit eſſe profligandam, quod eventus confirmavit. Adſuit beatiſſima Virgo exorienti novo Roſarii inſtituto, ejuſdemque naſcentis primordia clariſſimis miraculis illuſtravit, de quibus ſequentibus capitulis.

Jure ergò optimo, confraternitas Fidelium ſanctiſſimam Virginem invocantium, tot Salutationibus Angelicis, & Orationibus Dominicis repetitis, Roſarii vocatur confraternitas; ſicut enim Roſa primatum inter flores obtinet, ſic & hæc confraternitas, cæteris confraternitatibus præcellit, à ſummis Pontificibus confirmata, & innumeris Privilegiis ac Indulgentiis honorata, & ſicut Roſa florum eſt Regina; ſic inter omnes preces Oratio Dominica, & Salutatio Angelica palmam habent. Roſarium meritò plantatio Roſarum in Hiericho appellatur; Roſæ enim Hiericho centum quinquaginta ſolia explicant; Roſarium verò ſanctiſſimę Virginis, ex centum quinquaginta Salutationibus Angelicis tot veluti roſis contexitur. Ordo ergò FF. Prædicatorum, Ordo eſt floridus, ſuaviſſimo Roſarum odore fragantiſſimus, ut de illo optimè dici poſſit, *quaſi Libanus odorem ſuavitatis habet*. Illum enim circumdant flores Roſarum. *Florete ergò flores, & date odorem, & frondete in gratiam, & benedicite Dominum, ejuſque Matrem ſanctiſsimam collaudate.*

CAPUT X.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo ſuavi Liliorum odore fragantiſsimus; Ordo enim eſt Puritatis, & Caſtitatis, Ordoque Virginum.

INgenioſè ille Roſam, folia explicantem ſuaviſſimumque odorem ſpargentem, depinxit, ſuemque ſpurciſſimam fœtidas nares attollentem, ut ſuavem roſæ ſuffitum excipiat, *cui Roſa*, ſuo modo loquitur, & dicit: *non tibi ſpiro.* Non tibi Petre à Valle Clauſa, non tibi Theophile Reginalde ſpirat ſacer Ordo FF. Prædicatorum, tot roſarum, totque liliorum ſuaviſsimo odore fragantiſsimus; cui in tuis Diatribus adverſus Chiriacos, id eſt, Dominicanos, ignominioſum hoc nomen imponis, quòd ſit Ordo impuritatis; ſed quâ fronte, quâ impudentiâ? ſacri certè Ordinis noſtri inſignia nunquam videras; Hæc enim ſunt *Roſa, & lilium.*

Lilium, ſymbolum eſt caſtitatis ob tria. Primò, ratione illibati candoris: ſecundò, ratione ſuaviſsimi odoris: tertiò, quia ſpinis delectatur, inter quas pulchriùs floret, & ſuaviùs ſpirat. Caſtitas verò tota candida eſt; caſtitas ſuaviſsimè olet, caſtitas inter carnis mortificationes, jejunia, abſtinentias, vigilias, veſtium aſperitates fœliciter cuſtoditur, floret, & ſuaviùs ſpirat. *Aſſumpſi mihi*, inquit Dominus, per Prophetam Zachariam, c. 11. *aſſumpſi mihi duas Virgas, unam vocavi decorem, ſeu candorem; & alteram vocavi funiculum*; Virgas vocat baculos, ſeu peda paſtoralia, quibus paſtores in paſcendo, ducendo, & reducendo grege, utuntur; addit, enim Deus, *& pavi gregem.* Per virgam decoram, ſplendidam, & candidam, gloſſa ordinaria intelligit ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem; per funiculum, Ordinem S. Franciſci, cujus filii ſune ad renes cinguntur; undè communiter cordigeri, appellantur: his duobus baculis, ſeu virgis paſtoralibus, hoc eſt, his ſacris duobus Ordinibus Princeps ille paſtorum, & magnus animarum noſtrorum Epiſcopus Chriſtus Eccleſiam ſuam uberrimè paſcit. Quòd verò utrumque ordinem S. videlicet Dominici, & S. Franciſci, ſœpè ſœpiùs in divinis viſionibus jungantur, hoc mutuum, & quaſi fraternum utriuſque Ordinis amorem apertè declarat: maxima enim ſemper fuit, & adhuc eſt, & ſemper erit inter FF. Prædicatores, & Franciſcanos amicitia, itaut in noſtris conſtitutionibus illud ſit ordinatum, ùt F. Franciſcani, ſicut Fratres noſtri in domibus noſtris peregrinantes, & hoſpites recipiantur.

Ordo verò noſter per virgam candidam fuit figuratus, quia Ordo eſt liliatus; id eſt, Ordo maximæ puritatis, illibatæ caſtitatis, Ordo denique Virginum. Virgines enim fuere omnes ejus ſancti. Virgo fuit S. Dominicus, Virgo S. Thomas, Virgo S. Petrus Martyr, Virgines alii ferè omnes ſancti, utriuſque ſenſus Ordinis noſtri. *Hic eſt mons ille, ſupra quem*, B. Ioannes in ſua Apocalypſi *Agnum ſtantem vidit, & cum eo centum millia cantantium canticum novum, & nemo poterat dicere canticum illud, niſi centum illa millia quadraginta quatuor, quia cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumque ierit.* Chriſtum Agnum immaculatum Chriſtum Virginem, Virginiſque Filium ſancti Ordinis noſtri, utriuſque ſexus, ſemper ſequuti ſunt, Virginitatiſque lilium florentiſsimum, in montem excelſum, id eſt, in cœlum detulere, ibique in æternum cum Chriſto regnabunt. Supra verò omnes ſtat D. Dominicus, qui moriturus Fratribus adſtantibus, dixit, *in hanc uſque diem illibata mihi Virginitas ſingulari Dei munere conſtitit, quam ſi vos etiam perfectè colueritis, & vita munditia, & odore clara fama mirum in modum in populis promovemini*; Caſtitas enim inſtar lilii ſuaviſsimum odorem ubique ſpargit; ut meritò Paulus, qui Virginitatem illibatam ſemper cuſtodivit, dicat, *Chriſti bonus odor ſumus.* Ordo ergò FF. Prædicatorum, Ordo eſt, nedùm Roſarum, ſed & Liliorum ſuavi odore fragantiſsimus, Ordo Puritatis, Ordo Caſtitatis, Ordo Virginum.

DE LAVDIBVS

SANCTÆ AGNETIS, A MONTE POLITIANO,

Oratio Panegyrica.

MONS LILIIS CORONATVS.

VIDI, ait S. Joannes Evangeliſta Apocal. *Vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem, & cum eo quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus ſcriptum in frontibus, & cantabant Canticum, & nemo poterat dicere Canticum illud, niſi quadraginta illa quatuor millia, & hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt, & hi ſequuntur Agnum quocumque erit.* Excelſus ille mons in ſenſu litterali & Angelico, cœleſtis eſt Sion, ſeu Hieruſalem beata: in illa Chriſtus, Agnus, qui tulit, & tollit peccata mundi, regnat, & in æternum regnabit. Mons ille cœleſtis Sion, fœliciſſima eſt Virginum manſio, quia *in cælo non nubent, neque nubentur, ſed erunt omnes ſicut Angeli Dei*, ut dicit Chriſtus Dominus. In ſenſu verò allegorico mons ille, Eccleſia eſt Romana, in qua adhuc divinus ille Agnus corporaliter in venerabili Euchariſtiæ Sacramento reſidet, Virginum, id eſt, Angelorum choris ſtipatus, ſed & utriuſque ſexus virginibus, qui purificatis mentibus & corporibus, ad ſacram Synaxim accedunt, laudeſque divinas, die ac nocte, concinunt; ejuſdem verò Agni immaculati carne paſti, & ſanguine imbuti caſtitatem,& Virginitatem illibatam ſervant, juxta Prophetæ oraculum dicentis, *quid bonum, aut quid pulchrum, niſi frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines?* In ſenſu verò tropologico, mons ille, Montem Politianum figurat, in Italia ſitum; montem quidem liliis coronatum, quia in illo ab exordio ferè ſacri Ordinis noſtri, celeberrimum eſt ſacrarum Virginum Ordinis noſtri cœnobium, à B. Agnete Virgine fundatum, cui & ipſa vix annos 14. prætergreſſa, ſummi Pontificis auctoritate præfuit.

Ex triplici verò capite celeberrimum illud ſacrarum Virginum cœnobium, mons dici debet; Primò, propter ſacri hujuſce inſtituti ſublimitatem, & à terræ contagiis elevationem; Secundò, propter cœleſtium luminum frequentem irradiationem; Tertiò, propter divinorum Chariſmatum influxum, & pinguedinem. Hæc tria in prima hujuſce concionis demonſtrabimus. Sacer iſte mons, mons eſt floridus, & liliis coronatus; quia innumerâ Virginum catervâ ſtipatus, quarum prima, & velut Regina, fuit S. Agnes, ut in 2. parte declarabitur. In hoc adhuc ſacro, & liliato monte cœleſtis Agnus, Chriſtus ſcilicet libenter reſidet, juxta Prophetæ Regis Vaticinium, *mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare*, hoc in tertia hujuſce concionis parte ſuadebitur.

SECTIO PRIMA.

Celeberrimum Sacrarum Monalium, & Virginum Cœnobium, ſupra Montem Politianum à Sancta Agnete erectum, Mons eſt triplici titulo.

MOntes ſupra terræ valles, ac planities elevantur, & hoc Dei præcepto, & ſingulari ejus providentiâ, ut docet Regius Vates, pſal. 103. his verbis: *aſcendunt montes, & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis; terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram.* Montes autem à Deo elevati ſunt, ut primos Solis Ori entis radios excipiant, ut à terræ fœcibus, ac luto ſecreti, puriorem aërem hauriant; & imbrium fluentis irrigati, campos ſubjectos aquis torrentium defluentium impinguent; quod Regius Vates

ſequentibus verbis declarat, dicens; *inter medium montium pertranſibunt aquæ, rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum ſuorum ſatiabitur terra, ligna campi ſaturabuntur, & Cedri Libani quas plantavit; ſuper ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.*

Triplici hoc titulo Clauſtra Monialium, jure optimo, in ſenſu allegorico, & morali, montes dici poſſunt; titulo ſcilicet eximiæ ſanctitatis, quæ nihil aliud eſt, quàm elevatio à rebus omnibus terrenis, undè græcè ſanctus Agios, ſanctitas verò *ἄγειος*, id eſt, ſine terra. Clauſtra enim Monialium, loca ſunt ſancta, & veluti ſanctitatis domicilia, ratione præ cæteris, perpetuæ Virginitatis, quâ Virgines ſupra carnis contagia elevantur, eximiâ munditie fulgent, Deique famulatui conſecrantur; quæ tria, ut ſuprà declaravimus, ad ſanctitatem deſiderantur. Ratione ergò eximiæ ſanctitatis, ſeu ſupra terrena omnia ſtupendæ elevationis, Clauſtra Monialium montes dici poſſunt. Clauſtra adhuc Monialium primos ſolis Orientis radios excipiunt, quia divinas recipiunt illuſtrationes. Chriſtus enim Sol juſtitiæ, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, caſtas animas præ cæteris diligit, eiſque ſuæ ſapientiæ lumen liberiùs infundit, quare hoc ſecundo titulo, Clauſtra Monialium montes dici debent. Inter medium autem horum montum pertranſeunt aquæ, & de ſuperioribus ſuis Deus ſacros hos montes rigat, quia divinorum Chariſmatum fluentis Clauſtra Monialium inebriantur. Saturantur hîc ligna campi, & Cedri Libani; quas plantavit Dominus; in illis volucres cœli habitant, & de medio petrarum dant voces; quia die ac nocte ſacræ illę Virgines Dei laudes concinunt.

Quot ergò Clauſtra Monialium, tot montes; præ illis verò eminet Montis Politiani Cœnobium; nedùm, quia in monte excelſo erectum, ſed ratione eximiæ ſanctitatis, puriſſimæ virginitatis, altiſſimæ rerum divinarum contemplationis, & ſpecialis cœleſtium Chariſmatum irrigationis; cujus regimini B. Agnes, ob eximiam vitæ ſanctimoniam ſingularem corporis munditiem, aſſiduam divinorum contemplationem, nondùm annos 14. adepta Summi Pontificis juſſu præfecta eſt. Quando verò factum hoc Cœnobium ingreſſa eſt, tunc mons monti ſuperjectus eſt; mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum fuit Deo habitare. Quàm lucidus hic mons, cujus nativitatem accenſæ divinitùs faces illuſtrarunt! Quàm ſublimis, quàm ſupra terram elevatus, à terra enim, cùm B. Agnes oraret, cubito tollebatur; cujus lectulus nuda humus, cervical, ſaxum fuit; quàm pinguis adhuc hic mons, quàm irriguus cujus inter orandum pallium roris guttis, crucis effigiem referentibus reſpergebatur: quàm deniquè floridus hic mons; locus enim in quo B. Agnes orando genua flexiſſet, ſubitò Pulcherrimis floribus exornabatur. Quàm adhuc ab omni corruptione liber hic mons: corpus enim B. Agnetis incorruptum poſt mortem in Sepulchro remanſit, quod cùm B. Catharina Senenſis vellet deoſculari, alterum pedem uſque ad ejus os extulit, mannaque, inſtar nivis toto illo loco pluere cœpit.

SECTIO II.

Sanctæ Agnetis Politianæ Cœnobium mons eſt floridus, & liliis coronatus; quia innumerâ Virginum catervâ ſtipatus, quarum veluti Regina, fuit S. Agnes.

LIlium, Symbolum eſt Virginitatis triplici titulo, videlicet eximii candoris, ſuaviſſimi odoris, & admirandæ fœcunditatis. Eximii quidem candoris; Lilia enim candore flores omnes ſuperant; Virginitas virtutes omnes morales nitore tranſcendit. Lilia inter flores fragrantiſſima ſunt; Virginitatis odor ſuaviſſimus, quo Angeli in cœlo recreantur: mira adhuc lilii fœcunditas, itaut ex una illius radice innumera ſpontè lilia naſcantur: quò ſpectans Regius Vates, *juſtus*, inquit, *germinabit ſicut lilium*; admiranda quoque Virginitatis fœcunditas, quæ Dei filium in utero Virginis concepit, ut canit Eccleſia, *Virginis proles, opifexque matris; Virgo quem geſſit, peperitque Virgo.*

Lilia tamen quæ in terris naſcuntur, valles màgis amant, quàm montes; quia juxta aquarum & fontium fluenta, delectantur, citiùs florent, ſuaviùs fragrant. Undè ſponſus, *ego flos campi*, inquit, & *lilium convallium.* Lilia verò cœleſtia, id eſt, ſacræ Virgines montes diligunt, propter tria. Primò, quia virginitas, virtus eſt divina, virtus Angelica, virtus tota cœleſtis. Virtus divina; prima enim Virgo, Trias eſt divinarum perſonarum, ut dicit Nazianzenus; Pater enim filium ſine matre, & abſque ulla puritatis ſuæ injuria ab æterno concipit, & generat; Filius nullum filium generat, filius cum patre Spiritum S. unico amoris afflatu ſpirat, qui non eſt filius, nec ejus proceſſio vera eſt generatio, ut docet Fides Catholica. Virginitas, virtus adhuc eſt Angelica, quia omnes Angeli Virgines ſunt, nec cum mulieribus coinquinantur. Erravit enim, & quidem turpiſſimè Tertullianus, qui exiſtimavit Angelos inordinato mulierum amore periiſſe, his verbis Genes 3. deluſus, ubi dicitur, *Videntes filii Dei, filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores, ex quarum congreſſu, nati ſunt Gygantes ſuper terram; iſti ſunt potentes à ſæculo, virique famoſi.* Circa hoc valdè hallucinatus eſt Tertullianus; per filios enim Dei, non Angeli, ſed filii Seth, per filias autem hominum, intelligi debent filiæ Cain, cujus generatio à Deo maledicta eſt; generatio verò Seth benedicta, quia ex illa filius Dei, veruſque Meſsias in carne humana ex ſanctiſsima Virginę Mariâ naſciturus erat. Virginitas ergò, virtus eſt Angelica, ſed & cœleſtis, in cœlo enim, ut dixit Chriſtus, *non nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Virginitas ergò virtus eſt Divina, Angelica, cœleſtis. E cœlo, inquit Nazianzenus, accerſivit, quod imitaremur in terris.

Non ergò mirum, ſi lilia cœleſtia, id eſt, Virgines, non valles, ſed montes ſummopetè diligant, cum è cœlo Virginitas ad nos fuerit accerſita. Adde quòd Virgines ſequuntur agnum quocumque ierit: agnus autem ille cœleſtis, Chriſtus ſcilicet montes amat; in illis ſibi complacet, & delectatur. Ego inquit Ioannes Evangeliſta, *vidi, & ecce Angelus ſtabat ſupra montem.* Præ cæteris verò terræ montibus cœleſtis ille Agnus montem dilexit Politianum, floribus vernantem, liliiſque odoriferis vallatum

Chriſtus enim, Eccleſiæ Sponſus lilia præ cæteris floribus amat, ut ex cap. 6. Cantic. colligitur his verbis; *deſcendit dilectus meus in hortum ſuum, ut lilia colligat, paſcitur enim inter lilia.* Deſcendit Chriſtus, verus agnus Dei, deſcendit in hortum ſuum, ut lilia colligeret, quando voluit in Monte Politiano, ſacrarum Virginis Ordinis noſtri Cœnobium ædificari. Hujuſmodi Cœnobium hortus reveta fuit liliis vallatus. Quot Virgines, tot Lilia, inter quas ſuaviſſimè paſcebatur. Illis verò B. Agnes Virginitate eximiâ præfulgens præfuit, tot Virginum parens, Regina, & Prioriſſa: Nunc quanto amore Chriſtus ſacrum illum mõtem liliis vallatum proſequutus fuerit, videamus.

SECTIO III.

Chriſtus in monte Politiano Liliato, B. Agnetis Virginitate ſociarumque illectus, libenter commoratur.

CHriſtus, verus Dei Patris, & Mariæ Virginis ſanctiſſimæ Filius, cum in terris degeret, montes ſummoperè diligebat, & in illis libentiſſimè morabatur. Cùm enim ob patratum miraculum multiplicationis Panum Iudæi Regem ſuum vellent eum eligere, fugit in montem. Quando adhuc voluit transfigurari, montem Thabor elegit, ubi gloriæ ſuæ quoſdam Apoſtolis radios manifeſtavit. In monte, eximium de octo beatitudinibus ſermonem coram Apoſtolis habuit: in monte Oliveti ſingulis ferè noctibus in oratione pernoctabat: in eodem monte ad bibendum Paſſionis ſuæ acerbiſſimum calicem ſe parans, triſtis factus eſt, ſudorem ſanguineum emiſit, terque Deum Patrem oravit. E ſummo ejuſdem montis vertice in Cœlum poſt Reſurrectionem ſuam evolavit. Adeò montes diligit, ut in cœlo regnans, & ad Patris dexteram ſedens, velit ſupra montem apparere. *Vidi*, ait B. Ioannes vidi, *ecce Agnus ſtans ſupra montem, parvus ille Agnus, & immaculatus qui tollit peccata mundi, montes, & liliorum areolas amat;* amabit ergò Montem Politianum, tot liliis, quòt Virginibus conſitum: adeò in hoc monte ſibi complacuit, ut ab illo nunquam recederet B. Agnetis Virginis flagrantiſſimo odore illectus. Quotidiè enim illam inviſebat; cui modò terram ſuo ſanguine in Paſsione fuſo cruentatam afferebat; modò fruſtum pelvis in quo à Virgine Matre fuerat ablutus, à ſacra Deipara Ieſum forma lactentis orans excepit, cumque aliquamdiù complexa, parvulam crucem tenui filo nexam ab ejuſdem collo detraxit. Sed & ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus particulis ſuarum veſtium, eandem pro magno munere donarunt. Sæpè ſæpiùs eidem Angelus Euchariſtiam ſuâ manu porrexit.

Mons ergò Politianus, mons fuit pinguis, mons coagulatus in quo beneplacitum fuit Chriſto habitare, in quo Deipara Virgo libenter commorabatur; in quo Angeli, & Apoſtoli delectabantur, ob eximiam ejus caſtitatem, & illibatam Virginitatem.

Quis modò noſtrum non velit in hoc ſacro monte commorari. Verùm ſacer ille mons liliis circumdatus, ſolos recipit Virginitatis cultores, & caſtitatis amatores.

Sanctæ Agneti à Monte Politiano, S. Diana Bononienſis Virgo inclyta ſacri Ordinis noſtri jungenda eſt, prima S. Dominici patris noſtri filia, & ab illo ſacro Ordinis noſtri habitu induta, quæ Cœnobium Virginum Ordinis noſtri in civitate Bononienſi S. Agneti de Monte Politiano ædificavit, obiitque innumeris miraculis illuſtris.

CAPVT VNDECIMVM.

ORDO FF. PRÆDICATORUM, fulcrum, & ſuſtentaculum Eccleſiæ Romanæ.

ORATIO PANEGYRICA:

Ad Laudem S. Dominici, ejuſdem Ordinis, Patriarchæ.

In Vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum. Eccleſ. 50.

PROOEMIUM.

SAnctus Dominicus, poſt profligatam Albigenſium Hæreticorum nefariam Doctrinam, ivit Romam ad Concilium Lateranenſe, cum Epiſcopo Toloſano Fulcone, causâ procurandæ Confirmationis ſui Ordinis, qui diceretur, & eſſet Ordo FF. Prædicatorum. At Innocentius III. Summus Pontifex viſus eſt aliquantulùm ad ejus poſtulationem primitùs ſe difficilem exhibere; verùm Summus Pontifex Deo ſibi revelante, vidit in ſomniis, quòd Lateranenſis Eccleſia, quæ propria

pria eſt Remani Pontificis, ſeu Epiſcopi Sedes, quaſi ſuis compagibus reſoluta, gravem ſubitò ruynam minaretur, quòd cùm tremens, & ſtupens & mœrens aſpiceret, ex adverſo vidit S. Dominicum occurrentem, qui humeris ſuppoſitis, totam illam fabricam caſuram ſuſtentabat; cujus viſionem & novitatem admirans, & ſignificationem prudenter intelligens, ſine ulla dilatione viri Dei, commendavit propoſitum, & petitionem hilariter acceptavit, ejuſque ordinem confirmavit. Hactenùs Vincentius Bellovacenſis, & Theodoricus, & alii Annalium ſacri Ordinis FF. Prædicatorum Scriptores fide digniſſimi.

De Simone Oniæ filio hæc ſcribit Jeſus filius Sirach in ſuo Eccleſiaſtico, cap. 50. Simon Sacerdos magnus in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum. *Cedat, cedat S. Dominico, Simon ille! qui domum Dei in diebus ſuis, id eſt, Tabernaculum antiquæ Legis ſuffulſit, quod figura tantùm erat Eccleſiæ Romanæ; S. verò Dominicus Romanam ſuffulſit Eccleſiam, veram Dei domum, verumque Templum; ſuffulſit autem efficaciſſimâ ſuâ, ſuorumque ardentiſſimâ prædicatione; ſuffulſit ſacro & tremendo inquiſitionis Tribunali, quo nefandam Albigenſium, Beguinorum, & Becardorum Hæreſim damnavit, & extirpavit; ſuffulſit ardentiſſimis ſuis orationibus præ cæteris virtute ſacratiſſimi Roſarii, quâ omnes Chriſti hoſtes, Hæreticos, Mahumetanos, & impios Chriſtianos expugnavit: ſingula breviter ad S. Dominici, & ſacri ejus Ordinis laudem demonſtro.*

SECTIO PRIMA.

Sanctus Dominicus ferventiſſimâ ſuâ, ſuorumque filiorum prædicatione Eccleſiæ Romanæ Domum, & Templum ſuffulſit. Verbo Deus omnia condidit; *Dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Pſal. *In principio erat Verbum, & omnia per ipſum creata ſunt.* Joan. 1. *Verbo Dei cæli firmati ſunt*, Pſal. Verbo adhuc Deus ſuo, novum cœlum condidit, ipſam ſcilicet Romanam Eccleſiam. Caro enim factum, & 30. annorum ſpatio in terris deliteſcens, piſcatores ad ſe vocavit, quos & Apoſtolos ſuos inſtituit, ut in omnem terram proficiſcerentur, & ex Gentilibus, rejectis Iudæis perfidis fideles efficerent, & ex illis Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam, Romanam conſtituerent; juxta illud pſal. *Cœli enarrant gloriam Dei, & in fines orbis terrarum verba eorum.* fide autem tepeſcente, noviſſimis temporibus, novos, ad ſe vocavit Apoſtolos, Fratres ſcilicet Prædicatores, ſub S. Dominici regimine, cujus Ordo; ut ſuprà demonſtravimus, verè eſt Apoſtolicus: ardentiſſimâ ſuâ ſuorumque prædicatione S. Dominicus Eccleſiam Dei ſuffulſit; innumeros enim Infideles, Hæreticos, & Scyſmaticos ad fidem Chriſti convertit, impioſque & facinoroſos Chriſtianos ad pœnitentiam, & frugem meliorem reduxit. Verbo ergò, ſuo, id eſt, ſuâ ſuorumque prædicatione S. Dominicus Chriſti Eccleſiam ſuffulſit.

SECTIO II.

Sanctus Dominicus tremendo ſupremæ Inquiſitionis Tribunali Romanam ſuffulſit Eccleſiam, Hæreticorum omnium nefanda conventicula extirpando.

Sponſa à ſponſo in Canticis, enixiſſimè poſtulat, ut vulpeculas capiat, quæ demoliuntur vineas ejus curæ ſuppoſitas. *Cuſtodem*, inquit, *fecerunt me in vineis; vineam meam non cuſtodivi.* Cantic. 1. Nec mirùm; *Vulpeculæ* enim *demoliuntur vineas meas.* Vinea ſponſæ, & ſponſi, Eccleſia eſt Romana, quæ ſola vera eſt Eccleſia, Hæretici, vulpeculæ ſunt: capiendæ ſunt hę vulpeculæ; quæ ſi non capiantur, manifeſta imminet vineæ Dei Sabbahoth, id eſt, Chriſti Eccleſiæ ruyna, Hùc enim omnes tendunt hæreſes; præcipuè Albigenſium, Valdenſium, Lutheranorum, & Calviniſtarum, ut Romanam Eccleſiam demoliantur. Nec incongruè vulpes appellantur. Vulpes enim fœtidiſſimæ ſunt, & peſſimè olent; vulpes callidiſſimæ ſunt; vulpes crudeliſſimæ ſunt. Hæreſes Albigenſium, Beguinorum, Valdenſium, Lutheranorum, & Calviniſtarum, fœtidiſſimæ fuerunt, quæ non niſi fœdiſſimas carnis voluptates ſapiebant. Callidiſſimæ, quia ſub ſpecie pietatis nefanda crimina tegebant; crudeliſſimæ, quia Eccleſiæ Romanæ Templa, Altaria, ſacras imagines evertebant, ſacras Virgines corrumpebant. Sacerdotes mactabant, Sanctorum Reliquias incendebant. Capiendæ ergò erant fœtidæ hæ callidæ, & crudeliſſimæ vulpeculæ, quæ Chriſti vineam, id eſt, Romanam Eccleſiam demoliebantur, & quia verbo prædicationis Evangelicæ, blandiſque admonitionibus, & increpationibus capi non poterant; viſum eſt, & quidem ſapienter ſummis Pontificibus, tremendam ſupremæ Inquiſitionis Tribunal inſtituere, in quo Hæretici contumaces ad ignem damnarentur: Primus autem tremendi hujuſce Tribunalis ſupremus Iudex, tanquam ſummi Pontificis Vicarius S. Dominicus eſt inſtitutus, ut ſequentibus capitulis demonſtrabimus, Tremendi ergò hujuſce Tribunalis ſeveritate S. Dominicus Eccleſiam Romanam ſuffulſit; Regna enim, ut ſuprà fusè in Politicis demonſtravimus; nedùm ſanctorum Legum Latione, ſed & hoſtium impugnatione conſervantur.

SECTIO III.

Sanctus Dominicus ferventiſſimis ſuis Orationibus, præ cæteris, ſanctiſſimi Roſarii, Chriſti Eccleſiam ſuffulſit, & adhuc ſuſtinet, & in æternum ſuffulciet.

MAgna, & admirabilis vis Orationis, quâ etiam, ut dicit Tertullianus, vim quodammodò Deo facimus: Deum, inquit, orationibus ambimus, & quaſi manu factâ vim illi inferimus; & hæc vis Deo grata: oratione, quid antiquæ legis Patres non obtinuere; oratione, Moyſes Mare Rubrum diviſit; Oratione, Ioſue Iordanis fluctus retrò grado curſu ad ſuum fontem revocavit. Oratione innumeros populos & efferatas nationes ſuo ſubdidit imperio. Oratione, Chriſtiani Iulianum Imperatorem Apoſtatam ſagittâ cœlo emiſsâ necarunt. Oratione, Helyas cœlum clauſit ſex menſium intervallo, ſexque aliorum menſium ſpatio cœli portas aperuit, imbremque copioſiſsimum traxit. Oratione, D. Petrus primum omnium Hæreſiarchum, Simonem Magum, vi magicâ, & dæmonum virtute in aëre elevatum, in terram dejecit. Oratione, D. Dominicus, aëri, aquis, igni, terræ imperavit, ægrotos ſanavit, mortuos ſuſcitavit, dæmones à corporibus fugavit. Nùm & Hæreticos expugnavit, ut illos ergò ex Albigenſium, & Toloſatum, & Hiſpaniarum finibus procùl eliminaret, ſacratiſsimum Deiparæ Virginis Roſarium in illis partibus prædicavit: ante verò Comitis Montis-Fortis exercitum procedens Crucem dexterâ, ſiniſtrâ Roſarium geſtans, centum millia Hæreticorum prope Muretum, arcem finibus Toloſatum conterminam penitùs exterminavit; & quod miraculo minimè caret Comes Montis-Fortis ſexcentos dumtaxat in ſuo exercitu milites habebat.

O admirandam Sacratiſſimi Roſarii virtutem! Ut cum ſponſa jure optimo poſſimus exclamare, *fulcite, fulcite me floribus.* Quid flore levius? Quid roſâ imbecillius? quæ Symbolum eſt humanæ fragilitatis: ſed alia, & prorsùs divina Roſarum, ſacratiſſimi Roſarii virtus. Hâc D. Dominicus Albigenſium, Beguinorum & Begardorum Hæreticorum acies vicit, Hâc innumeras Turcarum, in ſinu Corinthiaco, quem Lepanta vocant, copias, trecentas Triremes, & quamplurimas naves Dominicâ Octobris, eùm ſolemnes ſacratiſſimi Roſarii ubique Terrarum fierent ab Eccleſia Romana Proceſſiones, virtute ejuſdem ſactatiſſimi Roſarii in mare demerſit; quam victoriam Pius V. tunc in Sede Petri ſedens ſpiritu prophetico prævidit, feſtumque eâdem Dominicâ, ſub titulo ſanctiſſimæ Virginis victricis, ubique terrarum celebrari juſſit.

Sed Mellifluum Doctorem audio, hæc Ezechiæ verba meditantem, *Et pax amaritudo mea amariſſima.* Pax Eccleſiæ, inquit, amara in nece Martyrum; amarior in conflictu Hæreticorum: amariſſima in moribus Chriſtianorum. Pax à Paganis, pax ab Hæreticis, ſed nondùm pax à filiis: *Inimici noſtri, domeſtici noſtri.* Verùm adhuc de illis quotidie Romana Eccleſia triumphat, virtute ſacratiſſimi Roſarii: Quot enim impii, & ſceleratiſſimi precibus ſanctiſſimæ Virginis ad pœnitentiam, melioriſque vitæ tramitem convertuntur? omnibus enim & ſingulis diebus Dominicis, ſolemnes habentur conciones, Deiparæ Virginis laudes in Letaniis decantantur, ſinguliſque primis menſium Dominis Proceſſiones fiunt in noſtrorum Conventuum clauſtris; quarum efficaciâ, peccatores à Deo veniam petunt. His adde innumeras à ſummis Pontificibus Fratribus & Sororibus ſacratiſſimi Roſarii conceſſas Indulgentias.

Hæc verò omnia ad hominum ſalutem ſubſidia efficaciſſima S. Dominicus, ſacri Roſarii Inſtitutione, & Prædicatione ſubminiſtravit.

Ad ejus ergò laudem altâ voce profeteamus, *hic in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis Templum Dei,* Romanam ſcilicet Eccleſiam roboravit.

Romanis ſemper Pontificibus devotiſſimus, eorumque obſequio addictiſſimus: quare ab illis ſummis honoribus elatus, quod capite ſequenti demonſtro.

CAPUT XII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, ab Eccleſia Romana ſummis Pontificibus, ob ſingularem erga illos reverentiam, obedientiam, & Fidei orthodoxæ zelum, ſummis honoribus elatus, & quidem primùm, ſupremo Officio ſacræ Inquiſitionis, & Capellani & à confeſſionibus ſummorum Pontificum & Magiſtri Sacri Palatii.

RAtio æquitatis id poſtulat, ut qui Principibus, & Regibus fideliſſimi ſunt, & partem Regis oneris ſummo zelo ſuſtinent, ab illis condigna ſuæ fidelitatis, ſuique obſequii præmia recipiant, & ad ſummos honores, & præcipua Regni officia evehantur; quod ſub Auguſti, à Deo Dati Ludovici decimiquarti regno fieri quotidie videmus.

Sacer ordo FF. Prædicatorum Summis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, devotiſſimus ſemper fuit, eorum obedientiæ addictiſſimus, S. Dominici Patriarchæ noſtri exemplo, qui ſummos Romanæ Eccleſiæ Pontifices ſingulari reverentiâ coluit; nec ſine præmio, ſummis enim honoribus ab illis fuit elatus, & quidem primùm, Officio ſacræ Inquiſitionis ſecundò, Officio Magiſtri ſacri Palatii, quibus tertium adjicio, nempè Capellani, & à Confeſſionibus, quod præ aliis, S. Raymundus à Penna-Forti à ſummo Pontifice accepit de ſingulis ſigillatim pauca.

De Officio ſacræ Inquiſitionis.

EO tempore quo Sanctus Dominicus in Gallia adverſus Albigenſes Hæreticos prædicavit, duo præclara, divinaque prorsùs inventa Eccleſiæ Chriſtianæ apprimè ſalutaria, cœleſti procul dubiò inſtinctu ad profligandas nefandas, tùm Albigentium, tùm Beguinorum, ſeu pauperum Lugdunenſium, quæ tunc horrendè graſſabantur hæreſes, excogitavit, & quidem primò, ſanctum beatiſſimæ Virginis Mariæ Roſarium, de quo fusè ſuprà; ſecundò, ſacrum Inquiſitionis Officium, de quo nunc agendum.

De ſacro hoc Inquiſitionis Officio adverſus hæreticam pravitatem, quid illud propriè ſit, quæque ſint partes Apoſtolici, & Ordinarii Inquiſitoris, nempè Iudicis ſingularis delegati Apoſtolicâ auctoritate ad inquirendum de Hæreticis in Fidei cauſis, innumeri ex profeſſo multa ſcripſere. Cæterum de prima Inquiſitionis origine, & quis primus

Inquiſitor delegatus fuerit, ejuſque ſancti Officii progreſſu in variis Regionibus, & quæ ſint partes, & munia ordinarii Inquiſitoris, rejectis aliarum ſententiis, hoc tanquam certiſſimum ſtatuimus, S. Dominicum, primum eâ formâ, ac modo, quo nunc viget, & adminiſtratur, obiiſſe munus delegati, & ordinarii Inquiſitoris adverſus hæreticam pravitatem in Provincia Narbonenſi, primumque fuiſſe in Eccleſia Inquiſitorem. Id Bernardus Guido Inquiſitor Toloſanus, Franciſcus Penna, & ferè omnes, qui de hac materia ſcripſere, teſtantur. Omnem autem dubitationem de hac re abſtulerunt verba Sixti V. Summi Pontificis, qui in diplomate inſtitutionis Feſti S. Petri Martyris Ordinis FF. Prædicatorum, anno Domini 1586. hæc ait: Is præclarus Ordinis Prædicatorum alumnus, imitatione ſancti Dominici Patris ſui accenſus, ut ille perpetuis concionibus, & diſputationum congreſſibus, Officium Inquiſitionis, quod S. Dominico prædeceſſores noſtri Innocentius III. & Honorius III. commiſerant contra Hæreticos, mirabiliter exercuit. Hæc Summus Pontifex Sextus V. cujus auctoritati nihil poteſt opponi. Quòd verò ante ſui Ordinis confirmationem S. Dominicus Officium Inquiſitoris ex Summi Pontificis delegatione obierit, circa hoc conveniunt omnes Scriptores, quod perſpicuè conſtare videtur ex formulis reconciliandi Hæreticos in partibus Toloſanis, quibus S. Dominicus eſt uſus, quæ in domo noſtra, ſub titulo Inquiſitionis adhuc in arcis extant: Hæc verò Domus juxta portam ſuburbii S. Michaëlis domus dicitur Inquiſitionis, quia in illa S. Dominicus Inquiſitoris primum munus exercuit: Quòd adhuc ex hæretici in D. Dominicum ardentiſſimo odio apertè innoteſcit, qui cùm multis argumentis libertatem Religionis permittendam ſuadere conatus eſſet, nec hæreticos morte plectendos, iſta ſubjecit; S. Dominicus auctor unius ex quatuor Mendicantium Ordinibus, primus incendia, & uſtulationes inter Chriſtianos Religionis cauſa invexit; ideòque multi ejus filii, & imitatores adhuc Inquiſitionem, tanquàm peculiarem ſibi vendicant, multiſque in locis severè exercent. Tradunt autem matrem S. Dominici, eum enixuram, ſomniaſſe ingentem canem ſe parere, qui ardentem facem ore geſtaret; quæ fax deſignavit fortaſſè, rogos, quibus in cinerem officio Inquiſitionis, redacta eſt infinita hominum multitudo: hæc ille Hæreticus. Laus Deo, qui auxilium nobis dat ex inimicis noſtris, & Inquiſitionis Officium primùm S. Dominico ejuſquem Ordini, ab Apoſtolica auctoritate fuiſſe commiſſum, fatentur ipſi etiam Hæretici, natamque Religionem Prædicatorum extinguendis in orbe Hæreticis, ferroque & igne contumacibus, & impœnitentibus exſcindendis: ſed non eſt verum S. Dominicum primum incendia, & uſtulationes inter Chriſtianos Religionis causâ invexiſſe. Nam quod attinet ad Hæreticos capitali pœnâ mulctandos; certum eſt, in hujuſmodi peſtes ultimum ſuppliciū inflixiſſe Valentinianum, & Marcianum Imperatores, ut conſtat ex Codice Theodoſiano, cap. de Hæreticis. Conſtans adhuc ſententia eſt, omnium Eccleſiæ Doctorum Hæreticos capitali ſententiâ eſſe plectendos: de ſupplicio adhuc ignis Hæreticis irrogati ſolito, non pauca ſuppetunt exempla ante S. Dominici ortum. Nam ſub Tiberio 2. Imperatore, qui Iuſtino ſucceſsit, quamplures idolis ſacrificantes, ipſius præcepto igne cremati ſunt, ut referunt Evagrius, & Nicephorus; Baſilius quidam Magus Romæ à Chriſtiano populo exuſtus fuit, ut refert Gregorius magnus, lib. 1. Dialog. c. 4. Robertus Galliæ Rex, anno Domini 1017. tresdecim Hæreticos Manichæos igni juſsit comburi. Arnaldus de Brixia Hæreticus Romæ combuſtus eſt; & de Ferdinando Rege Caſtellæ referunt Annales Hiſpaniæ, adeò Hæreticis fuiſſe infenſum, ut in ſuppliciis excogitandis totus incumberet, & quaſi victimarius ignem arſuris, manu ligna ſubminiſtraret. Nec abnuimus S. Dominicum primum fuiſſe, qui Inquiſitoris auctoritate Hæreticos igne punierit, cùm enim Comes Simon Montis-Fortis, diverſa loca in Provincia Narbonenſi armis occuparet, multi Hæretici obſtinati, ſuaſu S. Dominici munus Inquiſitoris obeuntis igne combuſti ſunt. Canis ergò ille ore facem accenſam geſtans à Matre S. Dominici viſus, zelum ejus ardentiſſimum pro Fide tuendâ, ejuſque Inquiſitoris Officium portendebat.

Hoc tamen Officium ante Ordinis ſui confirmationem, ex commiſſione Legatorum ſummi Pontificis exercebat, ut apertè conſtat ex variis ejus litteris; & quidem primò ex: hac universi Chriſti Fidelibus, ad quos præſentes litteræ pervenerint, Frater Dominicus Oxomenſis Canonicus, Prædicator minimus, ſalutem in Chriſto. Auctoritate Domini Abbatis Ciſtercienſis Apoſtolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis injunxit Officium, reconciliamus præſentium Latorem Pontium Rogerium ab Hæreticorum ſectâ, mandantes in virtute præſtiti juramenti, ut tribus diebus Dominicus à Sacerdote nudus ducatur uſque ad Eccleſiam verberandus, &c. Aliæ ejuſdem S. Dominici litteriæ extant, ex quibus conſtat, eum ante Ordinis ſui confirmationem ex commiſsione Legatorum à latere munus Inquiſitoris obiiſſe, quod poſt Ordinis ſui confirmationem à Summis Pontificibus immediatè accepit: hoc verò Officium primus excogitavit occaſione hæreſeos Albigenſium, & Valdenſium, ſive Beguinorum, & Begardorum, qui pauperes Lugduneſes dicebantur. Ad has enim nefandas Hæreſes ex Hiſpanis Toloſam venit. Quare primæ domus Inquiſitionis primæque Inquiſitorum fuere Toloſæ, & apud urbem Carcaſſonenſem, quæ adhuc extant.

CAPUT XIII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, à prima ejus inſtitutione, præclariſsimam Magiſtri ſacri Palatii dignitatem, uſque ad hæc tempora, ſemper poſſedit.

Cum D. Dominicus quotidiè cerneret, occupatis cum Summo Pontifice Honorio tertio Cardinalibus, eorum Clericos, & Miniſtros in Aula Palatina, in vanis deambulationibus, ac nugis tempus terere, indoluit, ac Honorium Pontificem conveniens, turpe eſſe, dixit, illos omnem honeſtatem profeſſos indecora committere, ſacroſque illos parietes indigniſsimis ſcurrilitatibus contaminare; ſibique videri utile fore ſi tantiſper, dùm Cardinales cum eo in negotiis Eccleſiæ occuparentur, quiſpiam doctor utile aliquid publicè interpretaretur. Placuit Honorio hoc conſilium, & S. Dominico, qui tale conſilium illi dederat, id negotium, & officium commiſit. Is verò quotidie Pauli Apoſtoli Epiſtolas, cum innumero auditorum conſeſſu, unanimâ dicendi copiâ interpre-

cari cœpit; adeoque res ſummo Pontifici, totique Eccleſiæ placuit, ut deinceps inſtitutum ſit, ut ex ordine FF. Prædicatorum ad hoc munus aliquis eligeretur, magiſterque ſacri Palatii vocaretur; quod officium uſque ad hæc tempora ſemper in Ordine noſtro permanſit, & ut ſpero, Deo favente, permanebit, adeoque præclara hæ dignitas, ut quamplurimi ex officio magiſtrorum ſacri Palatii, ad Cardinalitiam purpuram ſint evecti.

Ad hoc Officium ſpectat, ut coram ſummo Pontifice conciones habeant, ut in Palatio Theologiam publicè doceant; quare Summorum Pontificum Theologi communiter appellantur: nulluſque coram ſummis Pontificibus conciones habere audet, niſi prius à Magiſtro ſacri Palatii in ſcriptis fuerint lectæ, & approbatæ, quarum exſcripta Magiſter ſacri Palatii, ad pedes ſummi Pontificis ſedens pre manibus, & oculi habet. Præteteà nemo librum aliquem in lucem edere, & typis mandare poteſt, niſi à Magiſtro ſacri Palatii fuerit approbatus, nulluſque liber à Bibliopolis vendi, nec in urbem recipi, niſi ex ejuſdem Magiſtri ſacri Palatii licentiâ; cujus muneris eſt, libros omnes, officinaſque librorum inviſere. Tanta verò fuit Magiſtrorum ſacri Palatii dignitas, ut ex illis nonnulli ad eminentiſsimorum S. Romanę Eccleſiæ Cardinalium cœtum fuerint evecti, & nuper ab Innocentio decimo-tertio; nunc totius Eccleſiæ Romanæ ſanctiſsimo capite, & Primatum primate; Reverendiſsimus P. Raymundus Capizutius ſcientiâ & virtute præclariſsimus, ex Magiſtro ſacri Palatii creatus eſt eminentiſsimus Cardinalis, die 7. Aprilis 1682.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

DE OFFICIO CAPELLANI, & à Confeſsionibus Summi Pontificis.

ORATIO PANEGIRICA:

Seu Concio de laudibus S. Raymundi, Gregorii Summi Pontificis, Regiſque Arrogonum Capellani, & à Confeſſionibus, inſigniſque Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri.

NOVUS NOE.

Noë invenit gratiam coram Domino; vir enim erat juſtus, & perfectus. Geneſ. 6.

PROOEMIUM.

Mundus ob criminum inundationem, diluvio aquarum periit, qui ſolo lachrimarum diluvio poteſt ſalvari.

CUM cœpiſſent homines multiplicati ſuper terram, & filias procreaſſent, crevit, & hominum malitia hominum, itaut cuncta cogitatio eorum cordis intenta eſſet ad malum, omniſque caro corrupta erat, & repleta iniquitate; quare pœnituit Deum hominem feciſſe, & præcavens in futurum, tactuſque dolore cordis intrinſecus, dixit, delebo hominem, quem creavi à facie terræ ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cœli; pœnitet enim me feciſſe eos. Noë verò invenit gratiam coram Domino; vir enim erat juſtus, atque perfectus in generationibus ſuis; quare præcepit illi ut centum annorum ſpatio pœnitentiam prædicaret, quâ ſcelerati illi homines reſipicentes, iram Dei placarent. Illis verò *nequaquam pænitentibus, ſed in graviora crimina ruentibus*, adduxit Deus aquas diluvij ſuper univerſam terram, & interfecit omnem carnem in qua ſpiritus vitæ erat. Noë autem præcepit, ut Arcam, quam centum annorum ſpatio fabricaverat, cum filiis ſuis ingrederetur, qui omnes ſalvi facti ſunt. *Pænitet Deus, ſuper horrenda hominum ſcelera, doloreque cordis intrinſecus tangitur, qui nec dolore cordis quantum ad affectum, nec pænitentiá poteſt tangi; homines verò ſceleratiſsimi, pænitentiæ, & doloris cordis capaces, nullo cordis dolore, nullaque compunctione tanguntur. O horrendam cordis duritiem! ſine tamen pænitentia nequeunt ſalvari.* Niſi pœnitentiam egeritis, ſalvari nequaquàm poteſtis, *ait Dominus*, convertimini ad me ex toto corde veſtro, & ſalvi eritis. *Diluvio ergò lachrimarum egemus ut à diluvio aquarum, ſeu potius ab innundatione iniquitatum ſalvemur.* Superbia, avaritia, homicidium, fornicatio inundaverunt ſuper terram, *ait propheta, & in hoc diluvio homines ad Deum non*

aproximabunt

approximabunt, ſed ab illo potius recedent: alio ergò diluvio egemus, ut ad Deum approximemus, diluvio ſcilicet pænitentiæ, diluvio Lachrymarum. Optimum Deus olim mundo naufrago Nautam dedit, Noëmum ſcilicet virum juſtum & perfectum, ut Arcam humani generis quodam modo ſalvatricem prudenter inter aquas diluvij regeret, & ſupra montes Armeniæ, fluctuum maris victricem eveheret: Mundo adhuc naufrago in noviſſimis temporibus ſapientiſſimum Nauclerum providit, ſanctum, inquam Raymundum à Penna Forte, qui homines in crimina ruentes, ab iniquitatum inundatione revocaret, & per lachrimarum undas, pænitentiæ diluvio eos ad portum ſalutis æternæ duceret, ad cujus laudem orationem hanc canit Eccleſ. Deus, qui B. Raymundum pœnitentiæ ſacrum inſignem Miniſtrum tribuiſti, & per maris undas mirabiliter traduxiſti; concede, ut ejus interceſſione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ ſalutis portum pervenire mereamur.

PRIMA PARS.

Beatus Raymundus inſignis fuit Sacramenti Pænitentiæ Miniſter, qui Romani Pontificis, Regiſque Arragonum Capellanus, & à ſacris fuit Confeſſionibus.

MAgna fuit per tortum orbem B. Raymundi fama, maximè in regendis hominum conſcientiis, & ad pœnitentiam reducendis peccatoribus; quod conſiderans Papa Gregorius, & attendens, quàm fructuoſa, & jucunda eſſet illi ejus præſentia, cujus abſentis fama tantis virtutum aromatibus redolebat, cum ſuis litteris ſollicitè acceſſivit; qui tanquam filius obedientiæ, Domini Papæ mandatis obtemperans, Romam venit. Dominus autem Papa Gregorius ipſum benignè ſuſcipiens, conſideratâ ejus converſatione ſanctâ, ſcientiâ probatâ, & providentiâ circumſpectâ ipſum Capellanum ſuum, & Pœnitentiarium instituit; & in Confeſſorem ſuum ſpecialem inter alios prælegit, qui Domino Papæ frequenter injungebat loco pœnitentiæ, ut pauperes habentes in Curia Romana diverſa negoria, qui propter indigentiam, quandoque ab aliquibus repelluntur, miſericorditer expediret: propter quod Dominus Papa Gregorius plerumque illi abſenti ſcribebat, cum Patrempauperum in ſuis ſalutationib' vocans; tātique ſemper fecit, ut refert Clem. VIII. in Bulla ejus Canoniſationis, ut non niſi adhibito ejus conſilio, graviores cauſas tractaret. Capellani verò ſummorum Pontificum olim dicebantur viri utriuſque juris periti, auditores ſacri Palatii, qui hodiè Auditores Rotæ dicuntur, quòd in orbem ſedentes controverſias & cauſas examinent; fuiſſe autem ſemper in Eccleſia Romana, quoſdam Preſbyteros ad excipiendas Fidelium confeſſiones, ejuſque pro peccatis ſalutares mulctaras, ſeu pœnitentias imponendas certiſſimum eſt, & ex Patribus, & Canonibus. Pœnitentiariorum adhuc collegium extare in Eccleſia Romana, cui præſit ſummus unus Pœnitentiarius, qui Cardinalis eſt, non minus adhuc certum eſt. Verum verò S. Raymundus fuerit à Gregorio Papa electus tanquàm primus Pœnitentiarius, dubitant nonnulli; veriſimillinum tamen eſt illum fuiſſe magnū Pœnitentiariū, cùm illum adeò Gregorius amaret, & tanto honore proſequeretur: ob cujus meritum Fratres noſtri Dominicani apud S. Mariam Majorem ſolenne munus Pœnitentiarium, ex ſpeciali ſummorum Pontificū cōmiſſione munus obeunt, cum omni facultate abſolvendi ab omnibus peccatis, etiam ſummo Pontifici reſervatis, cujus in hac cauſa vices gerunt.

Cùm autem B. Raymundus è Roma recedens, ad Barcinonem, propriam patriam rediiſſet, à Rege Arragonum ſummè dilectus, ad ejus confeſſiones audiendas ab illo fuit electus; nec mirum; tria enim ad Pœnitentiarii munus ritè obeundum neceſſariò requiſita habuit; videlicet utriuſque juris tam Civilis, quàm Canonici notitiam; inculpatam innocentiam, & paternam erga peccatores pietatem, ac miſericordiam. De quibus ſigillatim pauca.

PARS II.

Beatus Raymundus utriuſque juris civilis, & caſuum conſcientiæ notitiâ inſigni præditus.

BEatus Raymundus Barcinonæ in Hiſpania, ex adeò Nobili Familiâ de Penna - Forti, originem duxit, ut Leander Albertus, lib. 3. B. Raymundum de Penna Fort Catalanum, ex Regum Arragonum ſanguine ortum eſſe, aſſerat. Quod ex ejus familiæ ſtemmate probat, eo quòd idem ſit ejus ſtemma, ac Comitum Barchinonenſiū, quorum Familia cum Regibus Arragonum conjuncta eſt. In annis verò puerilibus cor ei ſenile videbatur ineſſe, abjectiſque mundanæ converſationis illecebris, doctrinæ totum ſe dedit, in qua brevi tempore, ſic profecit ut cùm eſſet 20. annorum in Liberalibus Artibus perfectè inſtructus, in civitate Barcinonenſi publicè abſque ſalario illas doceret. Poſt modum divinâ providentiâ ordinante Bononiam profectus eſt, tunc jure tam Civili, quàm Canonico florentem, ubi juri pontificio, ac civili toto pectore incubuit; ac tandem Doctoris Laureâ decoratus, ſacros Canones publicè magnâ cum hominum admiratione abſque ullo ſtipiendo eſt interpretatus. Poſt modum, recuſato Archiepiſcopatu Bracharenſi, Officium ſemper ſummi Pœnitentiarii retinens, abdicatoque totius Ordinis FF. Prædicatorum Generalatu, quem invitus, & gemens ſuſceperat, Decretalium volumen incœpit, juſſu ſummi Pontificis, fœliciterque perfecit, ſicut & ſummam de Caſibus Conſcientiæ. Cùm ergò tam eximia utriuſque juris Canonici, & Civilis, omniumque Decretorum ſummorum Pontificum, Caſuumque Conſcientiæ polleret notitia, quæ Pœnitentiariis, & Confeſſoribus omninò neceſſaria eſt, non mirum ſi à Gregorio ſummo Pontifice, & à Rege Arragonum, & à tota Catalaunia, tanquàm magnus animarum Oeconomus haberetur. Huic aliam adde virtutem, ad hoc munus ritè implendum valdè neceſſariam, videlicet inculpatam morum innocentiam.

II. PARS.

B. Raymundus ſanctiſſimus fuit, morum inculpatâ conſpicuus innocentiâ, qui perpetuam virginitatem ſervavit, vitamque ab omni culpa lethali immunem, duxit.

PEriculoſiſſimum abſque dubio, regimen animarum, ſeu conſcientiæ maximè fœminarum his committere, qui morum candore, vitæ innocentiâ, & virtutum ſplendore non micant; quâ enim fronte aliorum conſcientias regere præſumunt, qui nec proprias regere ſtudent? Prohibet Deus peccatori, ut verbum ſuum aliis prædicet, quare, inquit pſal. *tu enarras juſtitias meas? ſi videbas furem, cum eo currebas, & cum adulteris portionem tuã ponebas, exiſtimaſti iniquè quòd ero tibi ſimilis, arguam te, deſtruam te, evellam te*, ab officio ſcilicet Concionatoris: ab hac Dei ſevera increpatione timeat Sacerdos peccatorum ſordibus inquinatus, nec Confeſſoris munus ambiat. B. Raymundus eximiâ fuit ſanctitate ornatus, morum candore, vitæque innocentiâ illuſtris, qui nullâ toto ſuæ vitæ tempore peccati lethalis maculâ, animam ſuam fœdavit, & Virginitatem illibatam perpetuò ſervavit; Confeſſarii ergò, ſeu ſummi Pœnitentiarii Officium liberè exerceat, Confeſſiones tùm virorum, tùm fœminarum ac puellarum aſacritet audiat, qui à peccato omni lethali animam ſemper immunem habuit, qui nullas carnis illecebras ſenſit, qui corporis ſenſus omnes divinæ legi ſubditos ſemper habuit; qui Angelum Cuſtodem ſingulis noctibus ſibi præſentem videbat, comitemque ſuorum greſſuum habebat.

III. PARS.

S. Raymundus erga peccatores paternæ pietatis viſcera geſtabat, quorum interitu diſcruciabatur, & pro eorum converſione lacbrimarum profluvium fundebat.

QUI regimen animorum amplectuntur, & ad dirigendas peccatorum conſcientias ſe accingunt, paternæ debent erga illos pietatis viſcera geſtare. Hæc certè habuit S. Raymundus erga Iacobum Regem Arrogonum, cujus erat Confeſſarius. Quot enim ſingulis diebus lachrymas pro ejus æterna ſalute fundebat? Quot ad Deum gemitus, quot ſuſpiria, quot orationes, ut eum ab inordinato, obſcœnoque erga ſcortum affectu liberaret? Ad Inſulas Baleares, Majoream ſcilicet, & Minorcam Hiſpaniæ Tarraconenſis littori adiacentes Rex Arragonum perrexit; ſequutus eſt illum ejus juſſu B. Raymundus ejuſdem Capellanus, & à Confeſſionibus: ubi autem advertit, Regem ſecum ſpurciſſimũ illud ſcortum duxiſſe, poſt paternam admonitionem: licentiam ab eo petit redeundi Barcinonem; Rex eam illi denegat, omnibuſque utriuſque inſulæ nautis prohibet, ne B. Raymundum in ſuis navibus Barcinonam devehant. Singulos utriuſque inſulæ portus S. Raymundus luſtrat, cùm verò ob Regis prohibitionem nullus nauta illum auderet Barcinonam transferre, ſanctiſſimus ille vir, in Chriſto Domino confidens, pallio ſupra aquas expanſo centum quinqueginta milliaria per mare conficiens, ad Barcinonenſem urbem ſtupentibus undequaquè populis pervenit, quo ſtupendo miraculo compunctus Rex Aragonum, turpiſſimum illud ſcortum, è ſua Regia Domo rejecit, precibuſque S. Raymundi, ad meliorem vitæ rationem, veramque pœnitentiam converſus eſt. O admirandam vim lachrymarum: aquarum diluvio, ob criminum horrendam inundationem orbis terrarum tempore Noë olim periit: lachrymarum profluviis, ſub novo Noë, hoc eſt, ſub S. Raymundo, primo ſummorum Pontificum, Regum Arregoniæ, totiuſque Provinciæ Cathaulanicæ, magno Pœnitentiario, orbis Chriſtianus renovatus eſt. Quo ſpectans Eccleſia Romana, in ejus feſto hanc cantat orationem; *Deus, qui B. Raymundum Sacramenti Pœnitentiæ inſignem Miniſtrum tribuiſti; Concede, ut ejus interceſſione dignos Pœnitentiæ fructus facere, & ad æterna ſalutis portum pervenire valeamus, per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.*

Alii fuere ſummorum Pontificum ex ſacro noſtro ordine Pœnitentiarii, ut frater Datus de Sexto diœceſis Florentinæ Fr. Reginaldus, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Armacanus B. Ioannes Teutonicus, qui fuit Generalis, & Fr. Bernardus,

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

SACER ORDO FF. PRÆDICATORUM, Ordo purpureus, quàm plurium ſcilicet Martyrum cruore rubeſcens.

ORATIO PANEGYRICA,

Seu Concio de laudibus Sancti Petri Veronenſis, primi ſacri Ordinis noſtri Martyris.

LILIUM INTER SPINAS,

Sicut Lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias, Cantic.

PROOEMIVM.

Chriſtus Sponſus Virginum utriuſque ſexus, qui tanquam lilia inter ſpinas florent, etſi earum aculeis pungnantur, & cruententur.

HÆC Salomonis verba ad litteram intelliguntur, de ſacris novæ legis Virginibus, quas Apoſtolus Paulus Chriſto deſpondet; dicens, *deſpondi vos uni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Neque enim videmus lilia inter ſpinas, & in vepribus naſci, & florere. Novi ergò teſtamenti Virgines lilia ſunt inter ſpinas; Lilium enim Symbolum eſt Virginitatis, ut ſuprà demonſtravimus, capite de ſacro FF. Prædicatorum Ordine Liliato: Spinæ autem tribulationes, cruces, & martyrium ſignificant; quia ſicut ſpinæ pungunt, ſic cruces & tormenta quæ Martyres pro Chriſti nomine patiuntur, eorum corpora cruentant. Sanctæ ergò Virgines, qui pro Fide, & Chriſti nomine crudeliſſima tormenta tolerarunt, lilia fuere inter ſpinas. S. Petrus Veronenſis Ordinis noſtri Virgo fuit, perpetuam enim corporis virginitatem illæſam ſervavit, & ex ſpinis ortus, inter ſpinas ſemper vixit, & ſpinis obſitus mortuus eſt. Ex ſpinis ortus eſt, quia ex parentibus Manichæis natus; inter ſpinas vixit, quia à parentibus Manichæis odio Chriſtianæ Religionis, quam puer adhuc ſuſceperat, duriſſimè fuit tractatus, & in officio Inquiſitionis ſummos labores ſuſtinuit, & à propriis Ordinis noſtri fratribus in carcerem miſſus, falsò accuſatus quòd puellas in camera ſua reciperet; hæ verò erant ſanctiſſima Virgo Maria, S. Cæcilia, & S. Catharina, à quibus ſæpè ſæpiùs inviſebatur: inter ſpinas denique mortuus eſt, quia ab hæreticis pro tuenda fide Chriſti occiſus, Martyr, & Protomartyr Ordinis noſtri occubuit. Sicut autem lilium fœcundiſſimum eſt inter omnes flores, ex cujus unica ſtirpe innumera naſcuntur lilia, ſic D. Petri martyrium innumeros in Eccleſia, ex ſacro noſtro Ordine Martyres genuit, ut de ejus ſanguine dici poſſit, quod Tertullianus de ſanguine Chriſtianorum protulit. Sanguis martyrum, ſemen eſt Chriſtianorum; plures efficimur, quoties metimur; ex quibus patebit, ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem eſſe purpureum, D. Petri Veronenſis, aliorumque quàm plurium Martyrum Ordinis noſtri ſanguine purpuratum. Singula breviter demonſtro.

PRIMA PARS.

S. Petrus Veronenſis, lilium fuit inter ſpinas, quia ex ſpinis ortus, inter ſpinas ſemper vixit, & à ſpinis cruentatus, martyr pro Chriſto occubuit.

SAnctus Petrus Martyr lilium fuit flagrantiſſimum, quia, ut ex ejus vitæ hiſtoria diſcimus, magno virtutum ſplendore præcipuè puritatis, tùm animi, tùm corporis in Religione eluxit, corpus enim & animam ab omni impuritate ita cuſtodivit, ut nullius mortiferi peccati labe ſe inquinatum umquam ſenſerit; Virginitatis decus inviolatum perpetuò conſervans. Quod autem in rerum naturâ numquam apparuit, ut ſcilicet ſpinæ lilia germinent; hoc in ſancto Petro viſum eſt: Nam, ut canit Eccleſia in ejus Feſto,

Petrus flos pulchritudinis,
Et virtutum Sacrarium,
Qui nullum mortalis criminis,
Vnquam ſenſit contagium.

Ex parentibus nefandâ Manichæorum hæreſi corruptis, ortus eſt;

Sicque de fumo lumen oritur,
Et roſa flos de ſentibus,
Doctor, & Martyr naſcitur,
Petrus de Infidelibus.

Manes hæreſeus Manichæorum primus auctor, ſpina fuit aſperrima, quæ innumeris punctionibus Chriſti corpus, Eccleſiam videlicet Romanam transfixit. Hic origine Perſa, diſcipulus Sciriani Sarraceni, ejuſque ſervus, prius vocatus Cubricus, id eſt, vas, ſcilicet ignominiæ, inſtar Montani hæretici, Paracletum ſe vocabat, duodecimque habuit diſcipulos, quos ſuos dicebat Apoſtolos, eoſque per totum Orientem miſit. Duo rerum principia ſtatuebat, bonum, & malum; primum rerum inviſibilium, Angelorum ſcilicet; ſecundum rerum omnium viſibilium, & corporearum Creatorem. Terram Deo coæternam ſtatuebat, Dæmonem naturâ ſuâ malum: Adamum ſub figura beſtiæ à Deo creatum: Evam ſine anima immobilem, continuam. Solem Triangularem, Chriſtumque ſolem eſſe materialem prædicabat: Solem & lunam adorabat; die, verſus ſolem, nocte, verſus lunam ſtans orabat. Chriſtum arborem fuiſſe vitæ in Paradiſo plantatam, hominem verò fuiſſe ſerpentem aſſerebat; unicam animam in omnibus, & ſingulis hominibus agnoſcebat. Filium Dei incarnatum, & ex Maria Virgine natum negabat; ſicut & mortuorum reſurrectionem, & judicium generale. Cultum ſacrarum imaginum impugnabat, nec non celebrationem Paſchæ, & feſta Sanctorum, & realitatem Corporis Chriſti in venerabili Euchariſtiæ Sacramento; Magicis artibus incumbens. Quot ejus errores, tot ſpinæ acerbiſſimæ, quibus Chriſti corpus myſticum, videlicet veram Eccleſiam confixit; nec impunè; juſſu enim Saporis Regis Perſarum, eò quòd, ut promiſerat filium ejus à lethali morbo non curaſſet, excoriatus; & arundinum aculeis transfixus, martyr Dæmonis occubuit. S. Petrus Veronenſis, cujus nunc laudes prædico, ex Manichæis parentibus ortus, tanquàm lilium ex ſpinis natus eſt: ab ipſa tamen penè infantiâ nefandam hanc hæreſim impugnavit. Puer enim annorum ſeptem, cùm ſcholas frequentaret, aliquandò à patruo Manichæo interrogatus, quid tandem in iis didiciſſet, Chriſtianę Fidei Symbolum ſe didiciſſe, reſpondit, in quo Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, viſibiliumque & inviſibilium Conditorem profitemur, neque ullis unquam patris, patruique minis, vel blanditiis, nec flagellis ab hac Fidei profeſſione potuit dimoveri. Ex ſpinis verò ortus, inter ſpinas ſemper vixit.

Nam adoleſcens Bononiam ſtudiorum causâ veniens, à Spiritu Sancto ad ſublimiorem vitæ formam vocatus, Ordinis FF. Prædicatorum inſtitutum ſuſcepit. Ordo verò FF. Prædicatorum, quoddam dici poteſt ſpinetum; ſed liliis vallatum. Spinetum, ob vitæ regularis auſteritatem, ob jejunia ferè continua, ob perpetuam à carnibus abſtinentiam, ob frequentes diſciplinas, ob vigilias indefeſſas; ſpinetum verò liliis vallatum, quia innumeros utriuſque ſexus Virgines Deo peperit. Sacrum verò hoc ſpinetum B. Petrus ingreſſus magno virtutum omnium ſplendore eluxit; corpus & animam ab omni impuritate ita cuſtodivit, ut nullius peccati leviſſimi labe ſe inquinatum umquam ſenſerit. Carnem vigiliis & jejuniis macerabat, mentem divinis contemplationibus reficiebat; virginitatis lilium impollutum cœlo moriens intulit, cujus ſuaviſſimâ fragrantiâ, cœlites ad ſe alliciebat; ita ut Deipara Virgo, comites habens S. Catharinam Martyrem, & S. Cœciliam ſingulares Ordinis noſtri Patronas, cellam ejus frequentaret, & cum illo familiariter colloquerentur, quod quidam fratres audientes illum apud priorem ſuſpectæ cum puellis familiaritatis, & earum in Conventum introductionis accuſarunt; cùm verò præ ſumma animi humilitate veritatem nollet revelare, ut ſe à falſa hac accuſatione abſolveret, in carcerem miſſus fuit; ubi Crucifixo ſuam deferens querimoniam, à Chriſto hoc reſponſum accepit; *& ergo innocens pro tua ſalute cruci affixus ſum.* Divus ergò Petrus ex ſpinis ortus, inter ſpinas vixit; ſed & inter illas mortuus eſt.

Cum enim pro munere ſuo, & ut optimi Inquiſitoris partes impleret adverſus Hæreticos concionaretur; ab illis occiſus Martyr pro tuenda Fide orthodoxa occubiit. Tanta verò, adeòque ardens fuit in Fide Chriſtiana confitenda ejus conſtantia, ut moriens in terra ſanguine ſuo cruentata digito ſymbolum Fidei noſtræ deſcriberet.

Dùmque Sanſonis vulpes quærit,
Ab iniquis cæditur,
Caput ſacrum victor ferit,
Juſti ſanguis funditur,
Sic triumphi Palmam gerit,
Dùm pro Fide moritur
Stat invictus pugil fortis,
Conſtans profert horâ mortis
Fidem pro quâ patitur.

PARS II.

Divus Petrus, ut Lilium germinavit; qui ſuo exemplo innumeros ſacri noſtri Ordinis Fratres ad Coronam Martyrii adduxit.

INter flores nullus lilio fœcundior, ex cujus vel minimâ radice innumera oriuntur lilia; quò ſpectans, ut dixi Regius Vates, hæc canit; *Juſtus germinabit ſicut Lilium.* Divus Petrus, ut ſuprà demonſtravimus, lilium fuit inter ſpinas, lilium ob illibatam, tùm corporis ſui, tùm animi puritatem; inter ſpinas, quia ex ſpinis ortus, inter ſpinas toto vitæ ſuæ decurſu vivens; inter ſpinas, id eſt, inter tormentorum aculeos, mortuus eſt. Hujuſce ſacri lilii fœcunditatem nunc videamus. Quod Tertullianus olim de primis Eccleſiæ Martyribus ſcripſit, hoc de S. Petro primo Ordinis noſtri Martyre jure optimo, dici poteſt. Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum, plures efficimur, quoties metimur. Avulſum è terra lilium, nullo excolente, neminè irrigante, ſpontè innumera lilia gignit. D. Petrus moriens pro tuenda Fide Catholica quamplures ſuo exemplo, ex ſacro noſtro Ordine Fratres ad Martyrium fortiter ſubeundum incitavit; ſanguis ejus ſemen fuit omnium noſtrorum Martyrum.

Anno ſalutis 1232. Romæ ſedente Honorio III. in Hungaria variis ſacri noſtri Ordinis Conventibus erectis ſupervenit occulto Dei judicio, perſecutio graviſſima Tartarorum quæ nonaginta Fratres noſtros viâ martyrii ad cœlum adduxit, quorum alii gladio, alii ſagittis, alii lanceis interfecti ſunt, alii igne cremati. In eodem Hungariæ regno triginta duo à Turcis in flumen demerſi martyrii coronam in cœlo retulerunt, ad quorum gloriam manifeſtandam quolibet anno, eodemque die quo fuere demer-

ſi, ſuper ripam fluminis duæ & triginta faces divinitùs accenſæ relucent; Frater adhuc Paulus Hungarus pro Fide Chriſtiana tuenda, martyrio coronatus eſt, Frater Pontius de Planedis in Hiſpania ab Hæreticis veneno fuit interfectus. Frater Guillelmus Arnaldus, Frater Bernardus de Rupe Forte, & Frater Garſias de Auria apud Avenionetum in Diœceſi Toloſana Inquiſitores ab Hæreticis interfecti ſunt, quorum corpora in Eccleſia Conventus noſtri Toloſani requieſcunt. Sed & Frater Guillelmus Inquiſitor ab eiſdem Hæreticis fuit occiſus, qui omnes poſt martyrium miraculis claruere; Plures alii ex ordine noſtro juſſu Raymundi Comitis Toloſani hæretici, decapitati ſunt, quorum corpora trunca, capitibus acceptis, ad Conventum noſtrum Toloſanum reverſa fuiſſe memorantur, id patrante Domino, ait Antonius Senenſis, ad veritatem fidei, pro qua illi occubuerunt, eorumque Sanctitatem demonſtrandam per idem tempus, quo tres illi Inquiſitores Ordinis noſtri in Provincia Toloſana, ab Albigenſibus hæreticis pro Fide Chriſtiana tuenda necati ſunt, Frater Pontius de Planedis Inquiſitor apud Urgellum Catalouiæ Civitatem ab Hæreticis veneno propinato necatus eſt. S. Romanæ verò Eccleſiæ Eminentiſſimi Cardinales tantam audientes martyrum ex Pio V. Petri Martyris cruore ſegetem naſcentem, ad Priores & Provinciales hanc ſcripſere Epiſtolam: noſtis chariſſimi Filii, qualiter ordo veſter ad defenſionem Fidei, ad extirpandas hæreſes, ac cæterorum vitiorum vepres, à ſanctiſſimo veſtro Patre Dominico in partibus Toloſanis fuerit inſtitutus; quidam verò more Phreneticorum in ſuos medicos ſpirituales, fideique Inquiſitores inſurrexerunt, quos immani crudelitate occiderunt; quos tanquam veros Martyres tota Eccleſia veneratur. Nec hæreticorum adverſus Fratres Ordinis noſtri, tot Martyrum ſanguine crudelitas ſatiata eſt. Sæculo enim præterito, Calviniſtarum hæreſi infauſtè in Gallia naſcente, in Conventu noſtro Caſtrenſi quadraginta Fratres ab illis enecati, & in puteum demerſi coronam martyrii compararunt. Taceo innumeros ex ſacro noſtro Ordine pro fidei Chriſtianæ defenſione, in utraque India Orientali ſcilicet, & Occidentali, præſertim in Regno Chinenſi, & Iapponenſi ab Idolorum cuſtodibus interfectos; ea quibus omnibus patet ſacrum Ordinem noſtrum, Ordinem eſſe purpuratum, tot ſcilicet Martyrum cruore.

CAPUT XVI.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo adhuc purpuratus, purpurâ ſcilicet Summorum Pontificum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Epiſcoporum.

CAligantes Hæreticorum oculos Curiæ Romanæ purpuratæ fulgor acriter perſtringit: *ægris enim oculis lux odioſa, quæ ſanis eſt amabilis.* Diſplicet illis ſummoperè Regius ille color, quem Romana Curia in ſuis veſtibus præfert, adeòque ardenti ob hoc in illam odio feruntur, ut non illos pudeat eam vocare Babylonem illam infamen Purpurâ veſtitam, & ſuper beſtiam ſedentem, quam Ioannes Evangeliſta, in ſua olim Apocalypſi vidit. Quàm verò injuſtè Romanæ Curiæ Summis Pontificibus, Eminentiſſimis Cardinalibus, & Reverendiſſimis, ac Illuſtriſſimis Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis purpuram invideant, quis ſanæ mentis non videat? Purpura Regibus & Principibus ſtatus civilis, & ſæcularis debetur; Supremarum Curiarum Senatores purpureâ veſte induuntur. Academiarum Regiarum Profeſſores, tùm Iuris Civilis, tùm Eccleſiaſtici; imò & Medicæ Artis, Doctores Purpurâ induuntur: Status Eccleſiaſticus, ſtatus eſt Regius; juxta illud D. Petri Apoſtoli: *Vos gens ſancta, genus electum, Regale Sacerdotium.* Summus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, hujuſce ſtatus Eccleſiaſtici Princeps eſt, & Monarcha, ut ſuprà fusè demonſtravimus, lib. de Regimine Eccleſiaſtico: Eminentiſſimi Cardinales ſunt à Conſiliis Summorum Pontificum, ejuſque Senatus ſupremi Conſiliarii, & Senatores, & Eccleſiæ Doctores; quâ fronte ergò veſtem illi purpuream Hæretici denegabunt?

Sed dicent; Regia hæc veſtis Fratres Ordinum Mendicantium, qui humilitatem profitentur, non decet. Fateor purpuream veſtem illis non deberi, quando in minoribus, & intra Clauſtra coërcentur. Verùm quandò ex ſuo Ordine aſſumuntur & ad ſupremam, ac Pontificiam Eccleſiæ, vel Cardinalitiam evehuntur dignitatem, quandò Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, vel Epiſcopi à Summis Pontificibus creantur, cur non purpurâ ſicut & alii fulgebunt? hoc autem ſæpiſſimè contigit, & quotidie contingit; ex ordine enim S. Benedicti quadraginta Summi Pontifices aſſumpti ſunt, qui 400. annorum ferè ſpatio, Romanam ſapientiſſimè Eccleſiam rexerunt.

Ex Ordine autem FF. Prædicatorum quatuor ad ſupremam Eccleſiæ præfecturam evecti ſunt, videlicet Innocentius V. Benedictus XI. Pius V. Sanctorum albo adſcriptus; quartus dictus de Vercellis, qui Romam pergens, ut coronaretur, in itinere, obiit. Ex illo adhuc innumeri Cardinales, Archiepiſcopi, ~~Patriarchæ, Primates, & Epiſ~~copi aſſumpti ſunt, quorum nomina, ſtudio brevitatis prætermitto, quæ in Annalibus ſacri noſtri Ordinis à Malvenda, & Bſovio recenſentur, quorumque effigies in clauſtris noſtriſque capitulis, & Eccleſiis omnium oculis proſtant. Hoc adhuc tempore tres vivunt Cardinales ex ordine noſtro aſſumpti, videlicet Eminentiſſimus P. Vincentius Maria de Gravina ex Illuſtriſſima Urſinorum Familia. Eminentiſſimus Philippus Thomas Houvard, ex Anglorum, & Scotiæ ſtirpe creatus die 25. Maii 1675. Eminentiſſimus P. Raymundus Capiſuccus, ex Magiſtro ſacri Palatii.

Purpureus ergò ſacer Ordo FF. Prædicatorum. Summorum Pontificum Eminentiſſimorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Primatum, Patriarcharum, & Epiſcoporum, purpurâ ſplendens. Hîc tamen iſtud adjicio, ut Hæreticorum iniquè loquentium os obſtruatur, Eminentiſſimos Eccleſiæ Cardinales, & Illuſtriſſimos Archiepiſcopos & Epiſcopos, non ad pompam, & ex vana gloria purpuream veſtem induiſſe, ſed ut per purpuram oſtenderent, ſe paratos eſſe ad effundendum pro tuenda Chriſtiana religione, & Eccleſia Romana proprium cruorem, quem pro hac cauſa FF. Prædicatores ubique terrarum fuderunt, quare duplici titulo ſacer Ordo noſter purpureus eſt, ſeu purpuratus, purpurâ Martyrii, & purpurâ dignitatum Eccleſiaſticarum.

CAPUT XVII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo Regius.

Verùm fateor, præclarior Nobilitas illa eſt, quæ ex morum decore, virtutumque ſplendore emicat, ut ipſi etiam novere Gentiles Philoſophi.

Stemmata quid proſunt, &c. Canit, Martialis.

CErtiſſimum tamen eſt; omniumque ſententiâ confirmatum, ſanguinis claritatem ac ſplendorem, ad virtutes comparandas, moreſque honeſtè componendos, magnum eſſe adminiculum; quod ex triplici capite breviter demonſtro. Primò, quia ex nobili, & generosâ ſtirpe oriundi, ex illa puriorem hauriunt ſanguinem, ſpirituſque altiores, & ad præclara virtutum facinora edenda ferventiores. Secundò, quia meliorem habent educationem, quibus à parentibus optimi præficiuntur Magiſtri, ſcientiâ prædiri, & morum probitate conſpicui. Tertiò, quia præclâris Majorum, ac Avorum geſtis, tot veluti aculeis ad virtutum Heroïcarum cultum ſtimulantur: quò Romani olim cùm reſpicerent, anteceſſorum ſtatuas marmoreas, vel æneas in atriis erigebant, ut earum intuitu ad præclara virtutum facinora edenda, filii eorum impellerentur.

Stoicorum tamen erroneæ Doctrinæ non aſſentior, qui innata quædam in nobis virtutum ſemina agnoſcebant: nullo adhuc modo Semipelagianorum nefandæ pravitati adhereo, qui primum ex nobis, ſoliuſque ex naturæ viribus, ſalutis noſtræ exordium, quod poſt modum divinæ gratiæ auxilio perficeretur, adſtruebant: utraque enim erronea ſententia, ſacræ ſcripturæ, Conciliis Oecumenicis, & ſanctorum omnium Patrum, ac Eccleſiæ Doctorum apertè adverſatur. *Prævenisti eum in benedictionibus, gratia tua præveniet me*, ait Regius Vates. *Dat Deus velle, & perficere, & qui incœpit opus noſtræ ſalutis, ipſe perficiet*, ait Apoſtolus Paulus. Concilia Oecumenica adverſus Semipelagianos, S. Proſper, S. Auguſtinus, S. Thomas conſtanter docent, primum ſalutis noſtræ exordium, eſſe à gratia Dei præveniente, & excitante, quia verò beati dicuntur, qui bonam ſortiti ſunt animam, ut de ſeipſo dicit Salomon, bonam illam indolem, quam Deus, ut auctor naturæ filiis Adæ misericorditer tribuit à gratia prævenienti, excitari & adjuvari quis negabit.

B. Dominicus ſacri noſtri Ordinis primus inſtitutor bonam ſortitus fuerat animã, utpotè ex Regia Guſmanorum in Hiſpania, per multa retrò ſæcula, & uſq; Regnãtium Familia nunc ortus; hanc verò bonã indolem Deus præveniente ſuâ gratiâ fovit, auxit, & cõfirmavit. Prævenerat enim eum Deus in ſuis benedictionibus, quem ad ſummũ ſanctitatis culmen ab æterno prçordinaverat; prçvenit eum Dei gratia, quẽ ab omni peccato lethali immunem reddidit; prævenit eum Dei gratia, quem ad inſtituendum ſacrum Ordinem FF. Prædicatorum ordinem Apoſtolicum, Ordinem Concionatorum, Ordinem Doctorum, Ordinem Sanctorum, Ordinem Orthodoxæ veritatis, Ordinem Virginum, & Martyrum prælegerat: geminâ ergò nobilitate S. Dominicus præfulſit, & quidem primò, nobilitate virtutis eximiæ, & inculpatę innocentiæ, quæ præclarior eſt nobilitas. Nobilitate etiam ſanguinis claruit; nam, ut omnes Annalium Hiſpaniæ Scriptores teſtantur, Calorogæ in Hiſpana ex nobiliſſima, & Regiâ Guſmanorum Familiâ natus eſt; illuſtriſſimum adhuc Chriſtiani orbis, & Eccleſiæ lumen beatiſſimus vir Thomas Aquinas, Landulpho Comite, & Theodora Neapolitana, nobiliſſimis parentibus natus eſt, ut potè Frederici Imperatoris Regiſque Neapolitani, & Siciliæ, imò & ex Ducibus Normaniæ ortus, qui ab expeditione contra Saracenos Hieroſolymitana redeuntes, in Campania ſedem elegere. Sanctus Hyacintus Polonus, ex nobilibus & Chriſtianis parentibus, videlicet ex Comitibus Regii Sanguinis, originem traxit S. Raymundus, ut ſuprà diximus, ex Regum Arragonenſium proſapiâ ortus eſt. His adde innumeros ſacri noſtri Fratres ex Regiis Familiis ortos, ut Humbertum Delphinatus Principem, qui ſęculo renuncians, & Ordinem noſtrum ingreſſus, Dalphinatum Regibus Galliç donavit, hâc conditione, ut primogeniti Regum Galliæ, Delphini nominarentur. Utramque Margaritam Regis Vngariç filiam, & Margaritam Sabaudiç, & Elizabetam Portugalliç: Regius ergo ordò, ſacer Ordo FF. Prędicatorum, quare ob ejus inclytam tùm animi, tùm ſanguinis nobilitatem ab omnibus Regibus Chriſtianis prędilectus. Reges enim Hiſpaniç Fratres noſtros in ſuis exercitibus adverſus Mauros ſemper ducebant, & uſque ad hæc tempora Confeſſores ſunt Regum Hiſpaniæ.

CAPUT XVIII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo Taumaturgus, ſeu Officina miraculorum.

ALiis, inquit Apoſtolus, *dedit Deus donum Prophetiæ, aliis ſcientiæ, aliis interpretationis ſermonum ſacræ Scripturæ, aliis genera linguarum; aliis gratiam curationum, in ædificationem corporis Eccleſiæ, quod eſt Eccleſia.* Gratiæ hujuſmodi, gratiæ ſunt gratis datæ, non gratum facientes, quæ ad aliorum, non ad propriam ordinantur ſanctificationem, ut communiter docent Theologi: neque enim ſanctos efficiunt habentes, ſed eorum ſanctitatem declarant. Ad Fidem tamen Chriſtianam Religionem ſtabiliendam ſummoperè deſerviunt, & Apoſtolis, Evangeliſtis, divinique verbi præconibus ſunt maximè neceſſariæ.

Quare, cùm Deus ſacrum Ordinem FF. Prædicatorum à S. Dominico inſtituendum ab æterno præordinaverit; Ordinem, inquam, Apoſtolicum, ordinem Concionatorum & Evangelizantium, Ordine Doctorum, & veræ ac orthodoxę Doctrinæ; eodem decreto ſtatuit ejus prædicatoribus dare gratias illas omnes gratis datas, gratiam miraculorum, gratiam curationum, genera linguarum, quibus doctrinam ſuam, ſuaſque conciones ſequentibus ſignis confirmarent.

Nullus enim Ordo in Eccleſia Romana fuit tot virtutibus, ac miraculis præſulgens, ut ex S. Dominici, S. Petri Martyris, S. Raymundi, S. Hyacinti, S. Catharinæ Senenſis, S. Agnetis, S. Roſæ aliorumque ſanctorum ac ſanctarum geſtis à viris ſummâ fide digniſſimis conſcriptis, & ab Eccleſia Romana approbatis conſtat, de quibus infra novas Conciones ad ſacri noſtri ordinis gloriam in lucem edemus.

DE LAUDIBUS

SANCTI HYACINTI,

Patroni mei colendiſsimi, ſacri Ordinis noſtri Taumaturgi, id eſt, miraculorum Patratoris.

ORATIO PANEGYRICA:

Cecidit ſuper me manus Domini Dei, & apprehendit me, & elvavit me inter cœlum & terram, Ezech. 8.

SYMBOLUM.

Manus aurea, tornatilis plena Hyacintis, Cantic. c. 5.

PROOEMIUM.

DEUS, inquit Auguſtinus, totus eſt oculus, quia omniâ vider: totus pes, quia ubique eſt; totus manus, quia ubique operatur: manus enim, otganum organorum, quod à Deo nobis datur, ſymbolum eſt operationis, & potentiæ. Manus autem Dei tornatiles ſunt, aureæ plenæ hyacintis: tornatiles, quia ejus opera perfecta ſunt; quod enim torno, ſeu figurâ orbiculari fit, perfectum eſt; quia figura orbicularis, ſeu ſphærica, cæteris figuris præcellit, & perfectionem ſignat, in illa finis principio, & ultimus punctus primo conjungitur, in quo eſt ſumma perfectio: vel tornatiles ſunt manus Dei, quia quod torno efficitur facilè, ſine labore, & cum ſumma celeritate fit: Deus autem ſine ullo labore, ſolo verbo in inſtanti omnia creavit.: *aurea* adhuc ſunt manus filii Dei; quia ſolâ charitate, quæ per aurum figuratur, ſoloque amore impulſus; cœlum & terram, cunctaque creavit. Manus adhuc illius plenæ ſunt hyacintis; *quia mirabilis Deus in omnibus operibus ſuis; qui facit mirabilia ſolus*, quot ejus opera, tot miracula, tot gemmæ pretioſiſſimæ, tot hyacinti, quibus manus ejus ornantur. Manus ergò Chriſti Domini, Æterni Patris coæterni, & conſubſtantialis filii, & Eccleſiæ Romanæ ſponſi caſtiſſimi, manus, inquam, ejus manus ſunt aureæ, tornatiles, plenæ hyacintis, id eſt, miraculis ornatæ, ad confirmandam autem fidem Chriſtianam & divini Verbi concionatorum auctoritatem ſtabiliendam neceſſaria ſunt miracula, ut docet Apoſtolus, dicens; *aliis datur ſpiritus ſapientia, ſcientia; aliis interpretatio ſermonum, aliis genera linguarum, aliis gratia curationum in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Quare cùm Deus aliquem ex hominibus ad prædicandum Evangelium, eligit, & mittit manum ſuam auream tornatilem, plenam hyacintis, hoc eſt, virtutem Taumaturgam, ac miraculorum Patratricem illi tribuit, quibus miſſionem ſuam confirmet. Sic olim in veteri lege, cùm Ezechielem Prophetam ad hoc munus elegiſſet, manum ſuam ſuper illum miſit. *Cecidit*, inquit, *ſuper me manus Domini Dei, & apprehendit me inter cœlum & terram, & adduxit me in Hieruſalem*, Ut ibi Dei verbum prædicaret, quod ſine miraculo non eſt factum. Similiter eligens S. Hyacintum, ut in Polonia Dei verbum concionaretur, & Gentiles, ac Idolorum Cultores ad veram Fidem converteret, manus illi ſuas tornatiles, aureas, plenas hyacintis, id eſt, miraculorum Patratrices tribuit; tornatiles, quia facillimè, ac perfectè; aureas, quia divini amoris igne ardens, miracula patrabat; quare optimè per manum auream tornatilem, plenam hyacintis. S. Hyacintus Patronus meus colendiſſimus, ſacrique noſtri Ordinis eximius Taumaturgus figuratur; ſingula breviter demonſtro.

SECTIO PRIMA.

Beatus Hyacintus, eximius Taumaturgus, id eſt, Patrator miraculorum, inter quæ miracula, primum, & maximum eſt, quòd Chriſtum Dominum mundi Salvatorem, ejuſque ſanctiſſimam Matrem à Paganorum manibus ſalvaverit.

FIlialem Æneæ pietatem Seneca, lib 3 de benefic. c. 37. miratur, ſummiſque laudibus extollit, eò quòd patrem Anchyſem, ſenio gravem per media hoſtium agmina, & per cadentis, ac conflagrantis circa ſe urbis Troïæ ruynas, ſacra adhùc, ac Penates Deos geſtans, per ignes tulerit; nec vadentem ſarcina preſſit; leve illi, tutumque hoc geſtamen fuit; quid enim non poteſt pietas? nec minor ſiculorum Juvenum erga parentes ſuos pietas, quos Æthnâ flagrante, & in urbes, agroſque circum-

ſtantes flammas voraces ejaculante ab incendio ſalvarunt, humeris ſuis illos portantes. Diſcediſſe autem, ſubdit Seneca, creditum eſt, ignes, & utrinque flammâ recedente, limitem adapertum fuiſſe, per quem digniſſimi Iuvenes, eorumque parentes tranſcurrerent. A fabulis ad vera, à vanis ad ſeria, & ſancta venio. Ex vitæ S. Hyacinti mirandis geſtis di'cimus, quòd cùm ad altare majoris Eccleſiæ urbis Chioviæ incruentum Miſſæ Sacrificium peragere, Paganis urbem repentino impetu ingreſſis, cunctaque igne immiſſo vaſtantibus, peracto celeriter ſacrificio, ne corpus ſacratiſſimum Chriſti à Gentilibus aliquam pateretur injuriam, illud in ſacra piside dexterâ manu tulit; ſtatuam autem Mariæ Virginis marmoream, ante fores ſacelli in Eccleſia proſtantem, devotè ſalutans, hanc admirandam vocem audivit, ex ejus ore erumpentem; *Hyacinte, filium meum ſalvas, & ejus Matrem Paganorum pedibus conculcandam deſeris?* Quo audito, ſiniſtrâ manu ſtatuam graviſſimam Deiparæ Virginis per medios ignes illæſam tulit, leve illi, tutumque geſtamen Quid non poteſt Chriſtiana pietas? Diſceſſere ignes, flammaque recedens utrinque limitem adapertum reliquit, per quem B. Hyacintus, non Penates fictitios Deos: ſed Chriſtum verum Dei filium, & Mariæ veræ ejus Matris ſtatuam ferens, tutò tranſivit.

Quare non commentitio illi Æneæ, ſed ſanctiſſimo Patriarchæ Ioſepho, caſtiſſimoque Deiparæ Virginis Sponſo, Chriſtique Patri nutritio, & nuncupato, jure optimo poteſt comparari; ſimulque ut ſapienter nos monet Mellifluus Doctor, magni illius Patriarchæ, cujus non ſolùm nomen ſortitus fuit, ſed & caſtimoniam, innocentiam, & gratiam adeptus, memores eſſe debemus, ſiquidem Ioſeph ille Salvator mundi, ab Ægiptiis fuit appellatus, eò quòd eximiâ ſuâ prudentiâ frumenta ſervaverit; iſte verò panem vivum è cœlo ſervandum accepit, tam ſibi, quam toti mundo, & ſicut ille Ioſeph fraternâ ex invidiâ venditus, in Ægiptum ductus eſt, ſic iſte Herodianam invidiam fugiens, Chriſtum in Ægiptum portavit, ſponſamque chariſſimam duxit. Fidelis certè ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, & utriuſque quodammodò aſylum tutorem, & Salvatorem. Hujuſce verò eximii nominis ſplendor B. Hyacinto minimè denegandus; qui Corpus verum Chriſti Salvatoris, ſtatuamque integerrimæ ejus Matris ab incendio liberavit: cui & illud poteſt tribui, quod de Simeone viro juſto & timorato, & ſalvatoris adventum expectante, qui ſuſcipiens Ieſum in ulnas ſuas exclamavit, *Nunc dimittis ſervum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare meum*, canit Eccleſia; Simeon ſenex ferebat Chriſtum infantem; Chriſtus regebat Simeonis ſenectutem. Quàm fortes, quàm potentes B. Hyacinti manus, quæ Chriſtum omnia portantem portant: Quàm pretioſæ, quæ incarnatam Dei ſapientiam, auro obriſo pretioſiorem geſtant? Quàm denique pulchræ quæ duabus pulcherrimis gemmis, duobuſque hyacintis ornantur! Magnus ergò Tsumaturgus B Hyacintus, magnuſque Patrator miraculorum, quorum primum, & maximum illud eſt, quòd Chriſtum Dominum Mundi Salvatorem, ejuſque ſanctiſſimæ Matris marmoream ſtatuam à ſævitia Paganorum ſalvaverit.

SECTIO II.

Beatus Hyacintus, nedùm civitatem Chioviam à Paganorum ſævitiâ, ſed totam Poloniam, & Moſcoviam à Dæmonum Tyrannide, ſuâ prædicatione ſalvavit.

Secundum ejus miraculum.

AScendam in Cœlum, ſedebo ad latera Aquilonis. Hæc Lucifer ſuperbiâ inflatus, profert, Eſaiæ 14. Et quidem jure optimo; nam, ut eleganter Mellifluus Doctor, divini amoris flammâ deſtitutus, quam in vana ſua ſapientiâ amiſerat, frigidiſſimus effectus, quam aliam mundi plagam, in qua regnaret, niſi frigidiſſimam & Aquilonarem, à quâ omne malum panditur ſibi eligeret? Polonia, Moſcovia Suecia, Dacia, Dania, & extremæ Germaniæ Regiones, Aquilonares ſunt, & frigidiſſimæ, utpotè prope Poli Arctici axem poſitæ; ubi, ut de Ponto Euxino pulchrè Tertullianus, lib. contra Marcionem, dies nunquam lucens, ſol numquam patens, ubi omne tempus hybernum, & quidquid flaverit, Aquilo eſt; ubi omnia gelu frigent; ſola impietas ardet. Ad has Aquilonares plagas frigidiſſimas, errorum tenebris obſitas, Idolorumque cultui addictas, B. Hyacintus à Deo miſſus juſſuque S. Domini Patris noſtri, à quo Romam ab Avunculo ſuo Epiſcopo Cracovienſi adductus, habitum ſacri noſtri Ordinis primus ejus filius ſuſceperat, tanquam novus Apoſtolus miſſus fuerat, ut eas ferventiſſimis ſuis prædicationibus, & innumeris miraculis, ab infami Idolorum cultu revocaret & à fidem Chriſtianam adduceret, perrexit, caſque ſuis prædicationibus cooperante Deo ſequentibus ſignis, ab Idolorum cultu fœliciter revocavit, & ad veram Chriſti Fidem adduxit; erectis variis ſui ordinis domibus Regularibus, ut ex vitæ illius geſtis à Bſovio & aliis Annalium noſtrorum ſcriptis apertè innoteſcit.

Inter ſocios S. Hyacinti primus, & præcipuus recenſetur B. Ceſlaûs, quem Germanum Fratrem S. Hyacinti, eiſdemque parentibus genitum fuiſſe produnt: Clemens VIII. ejus conſanguineum vocat. Filius enim fuit Euſtachii Comitis de Conche, de domo Comitum Odrovanſium, ex quibus ortus eſt S. Hyacintus. Tale verò nomen B. Ceſlao in Baptiſmo non ſine divino quodam præſagio, ut optimè advertit noſter Bſovius inditum eſſe videtur, nam linguâ Polonicâ hoc nomen, *honorem & gloriam* indicat. Ambo verò Ivonis Epiſcopi Cracovienſis nepotes, Romam adducti, à B. Dominico Patre noſtro, Romæ in Conventu noſtro S. Sabinæ, habitu S. noſtri induti, quibus adjunctus eſt B. Henricus, tanquam tres Apoſtoli in oras Septentrionales ad preces Ivonis Epiſcopi à B. Dominico miſſi ſunt, S. Hyacintus Cracoviam Poloniæ olim Metropolim adiit, ubi celeberrimum Ordinis noſtri Conventum erexit: B. verò Ceſlaûs cum B. Henrico ſocio Pragam Bohemorum Metropolim ſe contulit, ubi & ordinis noſtri Cœnobium fundavit. Contigit eos in itinere per Germaniam tranſire & in urbe Frizacenſi concionans, cum tanto populi favore, ut protinùs compellerentur à populo ibidem Cœnobium conſtruere, illudque ampliſſimâ Sacerdotum, & Cleri eorum multitudine ſex menſium ſpatio, non

ſiue

ſine miraculo repleri: quare S. Hyacintus Germaniæ Apoſtolus nuncupatus eſt. Indè erectis quamplurimis in Germania, in Hungaria, & Polonia Ordinis noſtri Conventibus, in Ruſſiam ſe contulit, & in Kiovia Ruſſiæ Metropoli inſigne Cœnobium Ordinis noſtri fundavit. Per totam verò Ruſſiam, & Moſchoviam, tanquàm dignus Chriſti Apoſtolus Evangelium Chriſti prædicavit, ferventiſſimiſque ſuis prædicationibus, innumeris miraculis à Deo confirmatis, populos illos efferatos, & falſorum Numinum Cultores, ad veram Chriſti Fidem adduxit.

Beatus ergò Hyacintus Poloniæ, Daciæ, Moſcoviæ, & omnium ferè nationum Aquilonarium, ſeu Septentrionalium Salvator quodammodò dici debet, quas à dæmonum tyrannide ferventiſſimis ſuis prædicationibus, & innumeris miraculis liberavit; quare manus illi Chriſti aureæ, tornatiles, plenæque hyacintis tribui debent: *aurea* quia charitas per aurum figuratur, ardentiſſimâ verò charitate æſtuans, frigidiſſimas has nationes ad amorem Dei inflammavit. *Tornatiles*, quia inſtar ſpheræ ad omnia, quæ à Deo illi præcipiebantur; ſummâ celeritate, non tàm currebat, quàm volabat. *Plena hyacintis*, quot miracula, tot gemmæ pretioſæ in ejus manibus, totque hyacinti, qui inter gemmas pretioſiſſimi ſunt. Innumera autem, ut vidimus in frigidiſſimis illis nationibus, ad Gentilium converſionem, miracula patravit; nec ſolius Poloniæ, Daciæ, aliarumque Septentrionalium nationum, ſed & omnium totius mundi Infidelium Salvator dici debet; ut ſequenti ſectione demonſtro.

SECTIO III.

Beatus Hyacintus miſerorum omnium aſilus, genius tutelaris, & quodammodò Salvator, quos ab omnibus corporis infirmitatibus liberat.

IOſeph ille Patriarcha Gentis Iſraëliticæ, ab Ægiptiis Salvator mundi appellatus eſt, quia ſpatio ſeptem annorum; nedùm totam Ægiptum, ſed circumjacentes regiones, congregatâ immenſâ ſegetum copiâ, à fame, & imminente interitu liberavit. *Non in ſolo pane, vivit homo; ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Magna erat in Regionibus illis ſeptentrionalibus verbi Dei fames; miſit Deus ad illas B. Hyacintum, ut eas Evangelicâ divini verbi prædicatione ſaturaret, hoc ergò titulo, potiori jure quàm Ioſeph ille Iudæorum Patriarcha, Salvator mundi eſt appellandus: verùm licet Patriarcha ille Ioſeph, virtutum, & Prophetiæ ac ſomniorum interpretationis gloriâ coruſcaverit; non legimus tamen quòd virtutem curationum, ſeu morbos curandi habuerit; quam Deus B. Hiacinto abundè donavit; cæcos enim illuminavit, mutis loquelam, ſurdis auditum, claudis innumeris greſſum dedit, & quadraginta mortuos ad vitam ſuſcitavit. Longum nimis eſſet illa hìc deſcribere, quæ à Bſovio, Malvenda, S. Antonino, aliiſque Annalium noſtrorum Scriptoribus narrantur.

Unum hìc addo, D. Hyacintum miſerorū omnium eſſe tutiſſimum aſilum, ſeu refugium; itaut omnes, qui ad eum confugerint, optatam, & petitam ab eo ſalutem conſequantur. Nec mirum; illi enim ſalvandi, non deeſt, nec voluntas; quia miſericors, pius, & benignus; nec poteſtas, quia Dei omni potentiſſimo manus habet, tornatiles, aureas, plenas hyacintis: prætereà qui Chriſtum mundi Salvatorem, qui Matrem ejus ſanctiſſimam totius mundi Dominam à Tartarorum in ſilentium impetu liberavit, clientes ad ipſum, tanquam ad aſilum confugientes non abjiciet? *Gaude, Fili Hyacinte, quia quidquid à Filio meo petieris, me intercedente, conſequeris.* Hoc B. Hyacinto ſanctiſſima Virgo Maria ſpopondit: Fideliſſima eſt Deipara Virgo, ſemperque promiſſis ſuis ſtetit: potentiſſima adhuc ejus apud Filium interceſſio: quidquid ergò B. Hyacintus à Chriſto petet, intercedente ſanctiſſimâ ejus matre, conſequetur. Clientum verò ſuorum ad eum tanquàm ad aſilum ſalutis confugientes, à ſe non repellet; nec ad eorum preces aures, nec viſcera claudet. Eia ergò quicumque aliquâ tùm animi, tùm corporis infirmitate laboratis, ad S. Hyacintum accurrite? Claudi venite, & greſſum vobis dabit? Cæci venite, & ejus precibus lumen recipietis? Surdi accedite, & ſtatim audietis? Mortuos ad ejus tumulum adducite, & reſurgent? Manus enim habet tornatiles, aureas, plenas hyacintis. Aureas, quia ferventiſſimâ erga miſeros ardet charitate; tornatiles, quia, ſine ullo labore, & ferè in inſtanti morbos omnes ſanat; plenas hyacintis, quia eximius eſt Taumaturgus, cujus vita innumeris coruſcat miraculis. Ex urbe Chyovia egrediens Boriſtenem fluvium, ſubſtratâ fratribus ſuis cappâ, ſiccis pedibus in alteram ripam trajecit; cujus adhuc in medio fluminis veſtigia videntur; quæ ſe vidiſſe, viri omni fide digniſſimi teſtantur, ut refert Bſovius: ut autem agnoſcas tornatiles B. Hyacinto manus fuiſſe, ſtupendo huic miraculo, aliud non minùs ſtupendum adjecit. Quoddam enim Idolum erat in medio prædicti fluminis, ſuper quadam inſula erectum, quod à populo adhuc in infidelitate detento adorabatur, hoc proſpiciens S. Hyacintus eximio fidei propagandæ zelo accenſus, ſuper aquas ambulans, ad illud pervenit, & in terram ſtatuam illam dejiciens, in fruſtra concidit; & indè recedens Dæmonem ſub hominis ſpecie hæc illi improperantem, audivit; *O infelix* Iaczko, *cur me his locis regnantem, deturbaſti; nunc enim propter tuam fidem & orationem, cogor recedere,* quem baculo S. Hyacintus percutiens, uſque ad ripam fluminis poſt ipſum currens, procùl abegit.

Beatum Hyacintum Chriſti Domini, ejuſque ſanctiſſimæ Matris ſervatorem; Germaniæ Hungariæ, Poloniæ & Ruſſiæ Saluatorem eſſe audiſti, omniumque miſerorum refugium & aſilum tutiſſimum: Ad illum ergò confugite, quicumque aliquâ laboratis infirmitate? Credite, ſperate, confidite, & pro votis omnia proſperè evenient? Qui enim tot cæcos illuminavit, qui tot ſurdis auditum, totque claudis greſſum dedit qui quadraginta mortuos ſuſcitavit, ſanitatem, quam ab illo efflagitatis, vobis non denegabit: manus habet aureas, tornatiles, plenas hyacintis, eximius Ordinis FF. Prædicatorum Taumaturgi Taumaturgus.

CAPVT IX.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo eximiæ regularitatis & auſteritatis.
Hortus concluſus. Cantic.

POſtquam Deus primum hominem creavit, poſuit illum in Paradiſo Voluptatis, hoc eſt, in horto variis arboribus frugiferis conſito, floribuſque pulcherrimis ornato, ut cuſtodiret illum, Geneſ. Malè tamen illum cuſtodivit, cui nullam ſepem circà poſuit, quâ ſerpentis ingreſſum arceret. Ingreſſus eſt ſerpens, aperque ille de ſylva, feraque peſſima, totumque hortum exterminavit. Quod videns Deus alium in terris hortum Edem plantavit, Eccleſiam ſcilicet Romanam, & ad ejus cuſtodiam, turrem ædificavit, ſepemque illi circumdedit, ut ex parabola diſcimus Evangelicâ: hortum adhuc illum ferę agreſtes vaſtaverunt, turre ejectâ, & abſciſſis ſepibus, videlicet innumeri Hæretici; cujus ruynam integram volens Deus impedire, varios Regularium Ordines in Eccleſia Romana induxit, qui ſpecialibus corporum mortificationibus, & ſeveris auſteritatibus, abſtinentiis videlicet à carnibus, jejuniis, orationibus, vigiliis, ſolitudine, ſilentio, tot veluti ſepibus Paradiſum hunc terreſtrem tutiùs cuſtodirent, & ab ejus ingreſſu feras illas peſſimas procùl arcerent.

Præ cæteris verò ad hunc finem ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem à B. Dominico patre noſtro inſtituendum ab æterno præordinavit; qui Ordo, jure optimo, dici poteſt, *hortus concluſus.* Domus omnes & ſingulæ Regularium, communi vocabulo clauſtra vocantur; à clauſura, quia in illis portæ omnes clauſæ ſunt, nulluſque ſæcularium, niſi aperiente oſtiario illùc introducitur. Nulla enim eſt Religio, ut dicitur, ubi cuncta patent; quare horti dici poſſunt concluſi. Sacro vero FF. Prædicatrum Ordini, præclarum hoc, & myſticum nomen maximè convenit; nedùm propter validiſſimos, & præcelſos muros, quibus ejus domus cinguntur, & propter fortiſſimas januas, quæ numquam nocte aperiuntur, & diurno tempore ferè ſemper clauduntur, ſed ob varias ſepes, quibus corporis januę, id eſt, ſenſus coërcentur; oculi ſcilicet à vagis obtutibus, per ſingularem modeſtiam; linguâ, perpetuo ferè ſilentio; gula per abſtinentiam à carnibus perpetuam, & continua ferè jejunia; tactus flagellorum acerbis ictibus, nocturnis vigiliis, & frequentibus orationibus, ac meditationibus; quibus adde perpetuam ferè ſolitudinem, & ſacrarum Scripturarum contemplationem, variaque tùm Theologiæ, tùm Philoſophiæ, ſtudia, & concionum apparatus, tot certè ſacri huiuſ horti clauſi ſepes, quot religioſa exercitia, quibus ſenſus omnes corporis coërcentur, ipſaque mens à rebus omnibus externis ita abſtrahitur, ut FF. Prædicatorum clauſtra nedùm horti concluſi, ſed quædam veluti ſepulchra dici poſſint, nec tanquam vivi, ſed tanquam mortui FF. Prædicatorum habendi ſunt. *Bona mors*, exclamat Bernardus, *quâ non corpus cadit, ſed anima reſurgit; quâ non vita aufertur, ſed transfertur: moriatur anima mea, fœlici hac morte juſtorum. Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto* ait Apoſtolus. *Ducit Deus FF. Prædicatores in ſolitudinem, eiſque loquitur ad cor, ſedent ſolitarii, & tacent, ſeſeque elevant ſupra ſe; eorum enim converſatio in cœlis eſt, in ſilentio, & ſpe*, admiranda eorum fortitudo; tacent, & ſemper cum Deo loquntur; orationi enim eorum ſuccedit lectio, & ſtudium ſacrarum litterarum; in oratione, cum Deo loquuntur; in lectione, & ſtudio ſacrarum litterarum, Deus cum illis loquitur. Os eorum ſemper ſapientiam meditatur; non ergò mirum, quòd lingua eorum loquatur judicium. De B. Joanne Baptiſta, qui ex Patre obmuteſcente natus eſt, hæc refert Chryſologus Serm. Pater obmuteſcit, mater cum geſtans in utero, ætate jam provectâ præ ſtupore ſilet; O quanta, ex hac taciturnitate, & hoc ſilentio tuba ſæculis inclamatura generabitur! Clauſtra FF. Prædicatorum domus ſunt ſilentum. Silet S. Dominicus, qui non niſi de Deo, vel cum Deo, vel pro Deo loquitur. Tacet D. Thomas, qui ob perpetuum ſilentium bos mutus à condiſcipulis ſuis vocabatur; ſed B. Albertus magnus futuram ejus Doctrinam prævidens exclamavit, *Bos iſte aliquando mugiet, & per totam Eccleſiam mugitus ejus reboabit.* Quot ſacri ordinis noſtri eximii Doctores, & Prædicatores, tot tubæ quæ ex diuturno ſilentio, in orbe reſonant.

CAPVT XX.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, flagellum Hæreticorum.

SAcrum ordinem FF. Prædicatorum ad profligandas, hæreſes primum fuiſſe inſtitutum, & à ſummis Pontificibus Romanis confirmatum patet, ex variis eorum diplomatibus ſupra cap. de Officio Inquiſitorum à nobis relatis. Naſcente enim S. Dominico, variæ, & nefariæ hæreſes in Galliis, ejuſque Provinciis ortæ ſunt, ut Valdenſium, ſeu Beguinorum, & Begardorum, in Provincia Lugdunenſi, qui ex ſuâ patriâ pauperes dicebantur Lugdunenſes, & in Provincia Narbonenſi Albigenſium, & ad eas expugnandas à ſummis Pontificibus, eorumque legatis miſſus eſt ex Hiſpania S. Dominicus in Galliam, & in partes Toloſatum quod, ut fœlicius exequeretur, Ordinem FF. Prædicatorum inſtituit, Romamque petiit, ut ab Innocentio III. & Honorio III. ſui Ordinis confirmationem obtineret; quibus initio paululùm reluctantibus, propter Ordinis novitatem; non ſine miraculo, ut ſuprà oſtenſum eſt, Deo revelante, Honorius III. præfatum S. Dominici Ordinem confirmavit, ad hunc præcipuè finem, ut naſcentes tot hæreſes profligaret: S. Dominicus, inquit Flaminius, primus fuit nedùm ſui Ordinis, ſed cæterorum Ordinum, quem Apoſtolica Sedes adverſus hæreticam impietatem inſtituit: Petruſque Gallus Elodienſis ſcribit ſe binas de ea re, vidiſſe litteras Apoſtolicas.

Ad expugnandas verò nefandas has hæreſes, tribus potentiſſimis flagellis ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem Deus præcinxit; veriſſimâ ſcilicet, & orthodoxâ Doctrinâ; ſupremo, & tremendo Inquiſitionis Officio; & efficaciſſimâ ſacri Roſarii virtute, de quibus ſupra fusè; certiſſimum enim eſt, D. Thomæ ſcriptis hæreſes omnes fuiſſe expugnatas, ut ipſe Pius V. & Clemens VIII. à nobis ſupra relati in ſuis Apoſtolicis Diplomatibus, teſtantur. Quod & Bucerus Hæreticus non diffitetur dicens, *tolle Thomam & diſſipabo Eccleſiam Dei.*

Prædixerat olim Deus per ſuas Prophetas, &

promiſerat, quod oovos piſcatores, novoſque canes in mundum mitteret. Hoc diſcrimen eſt inter piſcatores, & caoes; quòd piſcatores calamo, ſeu arundine, abſque ullo clamore, in ſilentio, cautè piſces capiunt; Canes autem latratibus è ſylvis feras eliminant, quas dentibus dilaniant: Apuſtoli, quos Chriſtus ad Gentiles ab Idolorum cultu revocandos ad ſe vocavit, & in mundum miſit; piſcatores erant; juxta Chriſti Domini eloquium; *venits ad me, faciam vos fieri piſcatores hominum?* Hi enim nullâ vi adactâ, nulloque clamore blando ſermone, quaſi calamo, & arundine Gentiles piſcabantur, & ad fidem Chriſti ducebant. Ex Eccleſia verò innumeri Hæreſiarchæ, tanquam feræ immanes exierunt, qui Chriſti vineam demoliebantur. Quare ad coërcendam eorum ſævitiam opus fuit, ut Deus quoſdam mitteret coloſſos, hoc eſt, canes audaciſſimos: & hi ſunt Fratres ſacri Ordinis noſtri Prædicatores, quibus Deus ſuptenium, & tremendum dedit Tribunal Inquiſitionis. Canes fideliſſimi ſunt, & vigilantiſſimi. Canes latratibus continuis lupos à grege fugant. Lingua denique canum ſalutaris eſt, & medica. S. Dominici Patris noſtri Mater eo gravida vidit & audivit in ſomoiis, canem intra ſua viſcera latrantem; eadem viſio Matri S. Vincentii Ferrerii Ordinis noſtri divinitùs facta eſt. Fratres ergò Ordinis noſtri canes ſuut fideliſſimi, vigilantiſſimi, continuò adlatrantes, quorum, & lingua ad euranda vulnera ſaluberrima eſt. Fideliſſimi ſunt; quia ſummorum Pontificum decretis ſemper obedientiſſimi. Vigilantiſſimi, quia ſomni parciſſimi noctis vigilias religiosè cuſtodiunt; ut dici merito poſſint, *vigiles illi*, de quibus Propheta, *qui cuſtodiunt civitatem*. Et illud, *cuſtos quid de nocte?* Anſeres olim à Romanis ſummo in honore fuere habiti, eò quòd ſuo clangore Capitolium à Gallis obſeptum, liberaſſent; F. Prædicatores nocturnis vigiliis, orationibus, & ſtudiis litterarum, quaſi tot clangoribus hoſtes Eccleſiæ fugant. Quorum, adhuc ad curaoda vulnera, ſaluberrimæ linguæ ſunt, ut de illis illud adhuc dici poſſit, quod in pſal. 67. legitur, *ut intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis noſtris.* F. Prædicatores adverſus Hæretieos ſuis concionibus adlatrant; peccatorum autem reſipiſcentium vulnera linguâ ſua lambunt, & ſanant.

CAPUT XXI.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo unitatis; quia nullam unquam paſſus eſt ſciſſuram.

O*Bſecrat* Apoſtolus Paulus *per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, Corinthios, ad fidem* chriſtianam converſos, *ut idipſum dicant omnes, & in illis non ſint ſchyſmata, ſintque omnes perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Illi enim fuerat ſignificatum quòd cõtentiones eſſent inter illos. Quidam enim dicebant; ego ſum Paulus; ego autem Apollo ego verò Cepha; ego autem Chriſti: diviſus ergò eſt Chriſtus. Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? cum ergò inter vos ſit contentio, nonne carnales eſtis & ſecundum hominem ambulatis?* 1. ad corint. c. 1. ubi noo eſt unio vel unitas, ibi nullus eſt ordo: quia, ut docet Auguſtinus, ordo nihil aliud eſt, quàm plurium multitudo, ſeu ſeries ordinata per unum, & ſicut omnis multitudo, ſeu numerus ab unitate incipit, ita ad unitatem tanquàm ad finem tendit, à qua veluti à ſua forma perficitur. Ubi ergò non eſt unitas, ubi nullus eſt ordo, ſed horrenda confuſio, horrorque ſempiternus, quædamque ſpecies inferni, *terraque illius tenebroſa, & operta mortis caligine, terra miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, ut dicit Job. c. 10.

Societas ergo Regularium dici non debet Ordo, niſi unitatem ſervent in vinculo pacis. Vnitas verò, ſeu unio Regularium io tribus ſita eſt; & quidem primò, in perfecta adhæſione cum Chriſto, qui caput eſt corporis Regularis inviſibile, ſicut & Eccleſiaſtici, & in perfecta adhuc adhæſione cum viſibili Eccleſiæ capite, hoc eſt, cum ſummo Romano Pontifice, qui Chriſti vices in terris gerit circa regimen ſpirituale animarum: Scyſmatici enim, qui Romanis Summis Pontificibus obedientiam negant & Hęretici, non ſunt membra Eccleſię, ut ſuprà lib. de Regimine Eccleſiaſtico, demonſtravimus; nec etiam ad Ordinem aliquem Regularem ſpectant, qui Summis Pontificibus ſubditi eſſe debent. Secundò, Regulares inter ſe fraternę charitatis mutuæque benevolentię vinculo debent uniri, quare Fratres vocantur. Frater, quaſi ferè alter: *optimumque eſt, & jucundiſſimum*, ut dicit Regius Vates, *habitare fratres in unum*; quare inter illos nullum eſſe debet ſcyſma, nullaque contentio, ſed unum ſapere, una ſententia, unum velle, ſicut una domus religioſa, unum clauſtrum, unùm dormitorium, una menſa, una ædes ſacra, unum denique ſacellum, io quo poſt mortem, eorum corpora requieſcent. Tertiò, Ordo Regularium ſub uno ſocietatis regularis ſupremo capite, id eſt, ſub unius præpoſiti Generalis regimine & obedientia debet vivere, ab hac enim unius præpoſiti Generalis indiviſâ onitate ſacrum hoc nomen ordinum illis conceſſum eſt à Summis Pontificibus.

Triplici verò hoc titulo ſacer FF. Prædicatorum Ordo, dici debet Ordo uoitatis; & quidem primò, ex arctiſſima cum Chriſto, tùm Eccleſiaſtici, tùm regularis capite inviſibili adhæſione, à quo numquam per hæreſim, vel nefariam ullam & erroneam doctrinam receſſit: Ordo enim eſt veritatis, & doctrinæ orthodoxæ, ut ſupra demonſtravimus: ſemper adhuc cum viſibili Eccleſiæ capite, hoc eſt, cum Romanis Pontificibus perfectè conjunctus eſt, à quibus numquam per aliquod ſchyſma diviſus eſt: unum ſemper cum illis habuit ſapere; & unum velle, quibus & in omnibus ſubditus & obedieotiſſimus. Fratres adhuc Prædicatores ad invicem vinculo fraternæ charitatis fuere ſemper conſtricti: Demùm, unus ſemper, & unicus fuit ſacri hujuſque Ordinis, ab ejus exordio præpoſitus, ſeu Magiſter Generalis, nec ullam unquam habuit, nec habebit ſciſſuram & hoc titulo præ cæteris, dici debet Ordo unitatis. Alii enim Regularium ordines, in varios alios ordines, ſub eadem tamen regulâ diviſi ſunt, & diverſos habent Generales præfectos: ut patet, in ordine S. Benedicti, S. Franciſci, Carmelitarum. Speciali ergò titulo ſacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo dici debet unitatis, ab unitate ſcilicet ſupremi, & Generali totius Ordinis Magiſtri: ſed & ordo dici debet Monarchicus; quod ſequenti capite demonſtro.

Digitized by Google

CAPVT XXII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, Ordo eſt Monarchicus.

MOnatchiæ ſupta Democtatiam, & Ariſtocratiam præſtantiam, & ptæcellentiam, ea ttiplici capite ſuprà in Politiæ Civilis libro demonſtravimus. Et quidem primò, ex unitate ſupremi ejus Rectoris, Regis videlicet, aut Impetatoris. Ἀρχος enim Gtæcè idem eſt, ac *primus*, ſeu Princeps, *μόνος* autem *unus*. Democratia eſt tegimen populorum, ſeu nulltorum, cujus tot veluti capita, quot cives, plebei ſetè omnes, ruſtici, & attifices; quare non tam ſocietas civilis, quàm monſtroſum aliquod corpus, cui millia capita, totum ea capitibus compoſitum, hydrâ monſtroſius, cui decem tantummodò erant. Ariſtocratia ad unitatem magis accedit, quia ea Ptimatibus, nobilitate, & virtute conſpicuis coaleſcit; ad unitatem vetò non pervenit, quia plures adhuc haber Rectores. Monarchia unicum habet ſupremum Rectorem, Regem ſcilicet, vel Impetatorem, & ex ſui Rectoris ſupremâ auctotitate, & unitate, Democratiæ, & Ariſtoctatiæ ptæcellit. Præcellit adhuc ſtarus amplitudine, nam plures habet ſub ſe Ptovincias, imò intetdùm plura Regna: Democtatia veiò, & Ariſtocratia anguſtis teriæ finibus coatctantur. Tettiò, præcellit duratione, & petennitate; Monatchiæ enim, putà Regna, & Imperia, per longè pluta ſæculorum curticula permanſerunt, quàm Democratiæ, & Ariſtocratiæ, quæ nlim in Græcia primum erectæ, penitùs extinctæ ſunt.

Ex triplici illo capite, videlicet unitatis, ſupremi Rectoris, & amplitudine ſtatus, & ex perpetuitate, ac perennitate ſacer Ordo FF. Prædicatorum, Otdo dici debet Monarchicus. Et quidem primò, ea unitate ſuptemi Rectoris. Capite enim ptæcedenti vidimus ſacrum Ordinem FF. Prædicatotum, nullam unquam paſſum eſſe ſciſſuram, ſed ſub unici ſemper Magiſtti Generalis regimine vixiſſe; quod in cæteris Regularium Otdinibus non apparet. Ordo enim S. Benedicti, Ordo S. Bernardi, Ordo Sancti Ftanciſci, Ordo Eremitatum S. Auguſtini, Otdo deniquè Carmelitarum, in vatias alios Otdines ſciſſi ſunt; pluresque habuere & habent Generales.

Hic tamen advette ea Malvenda Annalium Ordinis noſtri ſctiptore, Regimen Ordinis Prædieatorum oon eſſe adeò plenè, & ptopriè Monarchicum, ut Regum, ac Imperatntum, & ut eſt ſuptemi Romani Pontificis, in quo ſumma, ſupremaque poteſtas ptimariò, immedlatè, ac plenè reſidet, qui à nullo in Eccleſiâ pendet, ita ut à nullo, niſi à ſolo Deo poſſit judicati, ut ſuprà, lib. de Politia Eccleſiaſtica demonſtravimus; in Ordine verò noſtro, etſi poteſtas, & auctoritas Reverendiſſimi Magiſtti Generalis, non inſit illi immediatè à Capitulo Generali, ſed potius à ſummo Romano Pontifice, à quo ejus electio confitmatur; ea vi tamen Patrum Capituli Generalis electionis, quâ in Magiſtrum Generalem is eligitur; hoc plenæ, & abſolutæ Monarchiæ auctoritatem habet, quod extra Capituli Generalis Congregationem, tanquàm Monatcha Ordinem ſuum gubernet, ex Ptivilegiis Apoſtolicis; neciis aſſentior, addit Malvenda qui dicunt Genetalem Magiſtrum Otdinis noſtri, eſſe Duci Venetiarum in poteſtate ſimilem, qui nulla negotia, niſi auctoritate Senatus, decernit; quare Reſpublica Venetica mera eſt Ariſtocratia. Sacer Ordo FF. Prædicatorum quandam habet mixturam Ariſtocratiæ, quia tempore Capituli Generalis, quatuor Definitores, tanquàm ſacri quidam Ttibuni, negotia omnia Otdinis noſtri ordinant. ſtatuunt, definiunt, qui tempore ejuſdem Capituli plenariam habent poteſtatem ſub corrigendo ob ejus exceſſus Magiſtro Otdinis, vel de eo penitùs removendo; itaut etiam coram ipſis humilitet ſe proſternat, ſe accuſet, & culpas dicens, veniam petat; verùm hoc numquam in Otdine noſtro accidit, ut Magiſtrum Genetalem Definitores à ſuo officio abſolverint, qui extra Capituli Generalis celebrationem ſupremam, & Monatchicam ſemper retinet auctoritatem, quam ea alio capite habet, nempè ea ſui ſtatus Regularis amplitudine, in qua 42. Ptovinciæ extant, Hiſpaniæ, Toloſana, Gallica, Angliæ, Scotiæ, Theutonica, Daciæ, Arragoniæ, Provinciæ Ptovinciæ, Portugalliæ, Beticæ, Germaniæ inferiotis, Sanctæ Crucis, Hibetniæ, S. Joannis Baptiſtæ, S. Jacobi, S. Vincentii, S. Antonini, Bononienſis, Ungariæ, Romana Provincia, Regni Siciliæ, Poloniæ, Terræ Sanctæ, Græciæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Lombatdiæ, Saxoniæ, Trinactiæ, S. Thomæ Calabtiæ, & in India Occidentali, ſea ſunt Provinciæ; item in Gallia, Ptovincia Occitana, Provincia Pariſienſis, Provincia S. Ludovici, ſicque quacumque orbis terrarum patet, Ordinis noſtri ſupremus moderator omnibus noſtris ſrattibus imperat.

Tertiò, Monarchicus eſt Otdo FF. Prædicatorum, ratione perpetuitatis & perennitatis, quod ſequenti capite demonſtro.

CAPVT XXIII.

Sacer Ordo FF. Prædicatorum, uſque ad extrema mundi tempora, durabit, & adverſus Antichriſtum orthodoxæ veritatis Evangelicâ prædicatione & miraculis, pugnabit.

MOnatchia longè diututnior eſt Democratiâ, & Ariſtocratiâ, ut ſuprà cap. præcedenti demonſtravimus, hanc verò perpetuitatem, & perennitatem ea unitate ſuptemi ſui Rectotis habet, quia virtus quo magis unita eſt, fortior eſt, ut Rex ille Græciæ filiis ſuis, faſciculo ſagittarum colligatarum oſtendit; quas, dùm colligatæ etant, frangere non poterant, diviſas verò & diſſolutas facillimè fregerunt. Hoc ergò titulo ſacer Otdo noſter, uſque ad extrema mundi tempora, dutabit; quia Monarchicus, unitatem ſemper ſervavit, nullamque paſſus eſt ſciſſuram. Multa verò alia ſunt, quæ ejus perennitatem poterunt ſuadete. Et quidem primò; quia, ut ſuprà diximus, Ordo eſt Apoſtolicus, Ordoque Prædicatorum, & Doctorum. In fine autem mundi, & inſurgente adverſus Eccleſiam Romanam Antichriſto, conſurgent multi pſeudo Apoſtoli, pſeudo Prophetæ, Pſeudo Doctotes, & Hæretici, ut prædixit Chriſtus Dominus; tuncque tara erit Fides in tertis: *Putas*, inquit idem Chriſtus, *quòd fidem inveniet*; ad expugnandam ergò falſam, & nefandam eorum doctrinam, neceſſatii erunt FF. noſtri Prædicatores. Secundò, ſacrum Ordinem FF. Prædicatorum ſummi Pontifices Romani ad hunc præcipuè finem confirmarunt ut hæreſes exorientes expugnarent; & ad hunc finem Officio ſupremæ Inquiſitionis Ordinem noſtrum illuſtrarunt; quod inquiſitionis officium in extremis mundi temporibus maximè

erit

erit neceſſarium, quia tunc novæ innumeræ hæreſes orientur, vetereſque excitabuntur. Tertiò, juxta Prophetarum vaticinia, Helias adverſus Antichriſtum, & ejus ſectarios è Paradiſo ad terram deſcendet; de Sancto verò Dominico Eccleſia canit, in ejus feſto ſolemni, quòd venit in ſpiritu Heliæ: Deus autem nrc Prophetæ Eſaïæ de S. Dominico protulit, quòd ſpiritum ſuum illi dederit, qui ab ejus Ordine numquam recedet. Spiritus antem Dei tntus igneus eſt, zeloq; ſalutis animarum ardentiſſimus: cùm ergò ſacer D. Dominici Ordo Patris ſui ſpiritum habeat; S. verò Dominicus ſpiritum Helyæ habuerit; adverſus Antichriſtum iu ſuis fratribus, Doctrinâ orthodoxâ, prædicatione Evangelicâ, & ſummi Inquiſitoris Officio pugnabit, quòd & præclara Sancti Vincentii Ferrerii ſacri noſtri ordinis inſignis Concionatoris, nec non Sanctæ Thereſiæ Ordini noſtro devotiſſimæ de hac re vaticinia confirmant. Non obſcuræ hoc innuit S Vincentius tractatu ultimo vitæ ſpiritualis, ubi dicit, quòd in fine mundi Ordn erit Prædicantium Evangelium ſummo cùm animi zelo, quod de ſacro Ordine noſtro S. Vincentium intellexiſſe veriſimillimum eſt, cùm Ordo noſter, ex proprio officio ſibi à ſummis Pontificibus commiſſo, ſit ordo, nedùm prædicantium Evangelium, ſed actu Prædicatorum ſancti Evangelii. Apertius tamen S. Thereſia id ſpeciali Dei revelatione didicit, & in ſuis libris ſcripſit.

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

DE LAUDIBUS

SANCTI VINCENTII FERRERII
Ordinis noſtri.

ORATIO PANEGYRICA.

COLUMNA LILIO CORONATA.

Qui vicerit, faciam illum columnam in Regno meo. Apocal.

EXORDIUM.

HABENT hoc merita ſanctorum, ait Ambroſius, ut à Deo nomen accipiant, Deus Beati Vincentii Ferrerii eximiam prævidens, imò ab æterno præordinans ſanctitatem, præclarum Vincentii nomen illi impoſuit. Nomen, quaſi *Noviamen*, ait Varro, ex nomine enim res noſcuntur. Nomina à viris ſapientibus, qui rerum naturas, & proprietates nonunt, ad eas ſignificandas imponuntur. Quare ut ex Geneſi diſcimus, antiqui Patres ſapientiſſimi, filiis ſuis nomina imponebant, tanquàm certiſſima futurorum eventuûm omina: Sanctus Vincentius Ferrerius trium hoſtium victor futurus erat, mundi, carnis, & dæmonis. Mundi, ſacram ordinis noſtri ſpreto ſæculo religionem ingrediens: carnis, perpetuæ virginitatis & caſtitatis cultu, rigidiſſimiſque abſtinentiæ jejuniorum, flagellorum, ac nocturnis orationum exercitiis; Dæmonis deniquè, tyrannidem ejus, quam in mundo vi & dolo uſurpaverat, expugnando ferventiſſimis ſuis concionibus; quibus, ut infrà declarabitur, innumeras animas ad fidem Chriſti convertit, & à ſervitute dæmonis liberavit: quare meritò per columnam lilio coronatam, quam Salomon in templo juſſit erigi, repræſentatur.

SECTIO PRIMA.

Sanctus Vincentius, Victor Mundi, ſpreto ſæculo, ſacrum FF. Prædicatorum Ordinem ingrediens.

EXimiæ, & Heroicæ fortitudinis eſt, mundi illecebras, pompam, & honores ſpernere, his præcipuè, qui ex inclyta, & nobiliſſimâ familiâ originem trahunt: S. Vincentius. clariſſimâ Hiſpaniæ Tarraconenſis urbe Valentiâ, ex antiqua nobiliſſimâque Familiâ, piiſque parentibus eſt ortus. Ab ipſa fermè infantia, mirificè in illo ſtudium pietatis eluxit; Nullus frequentius Eccleſiarum limina terebat; nullus avidiùs ſacris concionibus intererat, nullus crebriùs jejunabat. Anno jam adoleſcentiæ agens, cœleſti rore perfuſus Ordinem Prædicatorum in Valentino nuſtro Cœnobio eſt ingreſſus. Indutus habitum, ante omnia ſancti Patris Dominici præclara geſta attentiſſimè ſibi legenda propoſuit, ut illa quàm primùm ſedulò ſervaret. Potiſſimùm exemplo præclari Magiſtri exemplo, ſtudio ſacrarum Scripturarum, ac Divinæ Theologiæ, egregiam navabat operam, ut avidiùs hauſtam opportuno tempore ad populorum ſalutem promere poſſet. Quare ſacris ſtudiis probè perſunctus, in numerum Ma-

gistrum Theologiæ eſt coſptatus, & Laureâ Doctoris coronatus; Sicque mundi, & erroris victor evaſit. Quia vero ad ritè implendum Doctoris, & Concionatoris munus, non ſufficit ſcientia Theologiæ; ſed adverſus carnis effervescentis æſtus ſtrenuè decertandum eſt, ut ſuo exemplo Paulus Apoſtolus declarat Doctor gentium, qui de ſeipſo dicit; *ne magnitudo revelationum extollat me, & ne reprobus efficiar, caſtigo corpus meum*, Ideo Victor ſæculi per ingreſſum religionis Vincentius, ſummo ſtudio bellum proprio corpori indixit, ut geminâ ornatus coronâ, nedum nomine, ſed re Vincentius diceretur.

SECTIO II.

Sanctus Vincentius, infenſiſſimum Hoſtem, propriam ſcilicet carnem, jejuniis, abſtinentiis, vigiliis, & flagellis domat.

SApienter, & veraciſſimè dixit Chriſtus, *niſi quis animam ſuam*, id eſt, carnem propriam, *odio habuerit, non poteſt eſſe meus diſcipulus: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, id eſt, carnem ſuam, *tollat crucem, & ſequatur me. Inimici noſtri infenſiſſimi, domeſtici noſtri*, id eſt, carnales affectus, de quibus Regius Vates; *ſi mei non fuerint dominati, immaculatus ero, & emundator à delicto maximo:* qui ſunt iſti mei, certè caro, utriuſque appetitus affectus? Caro enim continuò adverſus ſpiritum inſurgit; imò & adverſus legem Dei, & hæc iniquitas maxima. Quid enim iniquiùs, quàm ancillam Dominæ ſuæ velle imperare, & adverſus ſupremum omnium Dominum rebellare? *ſentio*, ait Apoſtolus, *legem carnis repugnantem legi ſpiritus, imò legi Dei, & in legem peccati captivum me trahentem. Lugebam*, exclamat Auguſtinus, non ferro, ſed ferreâ meâ libidine ligatus. De hoc verò crudeliſſimo tyranno B. Vincentius feliciter triumphavit. Nocturnum enim tempus, brevi deguſtato ſomno, orationibus, & ſacris lectionibus tranſigebat. Carnes à tempore ſuæ profeſſionis ad extremum uſque vitæ ſuæ terminum, niſi gravi cogente neceſſitate, numquam comedit, quadraginta annos, præter Dominicos dies, integros jejunavit. Super ſarmentis, aut paleas cubabat; à vino abſtinebat: iter ferè ſemper pedes agebat. Corpus cathenâ ferreâ, & aſſiduis flagellis terebat. Virginitatem perpetuam illibatam ſervavit. Corpus ejus marmoream diceres columnam, adverſus carnis illecebras immotam, ſed lilio coronatam. Hâc verò carnis propriæ pugnâ & victoriâ ad aliam adhuc præclariorem ſe præparabat, videlicet ad pugnam adverſus dæmonem, & ad glorioſum de illo triumphum.

SECTIO III.

Sanctus Vincentius, ferventiſſimis ſuis concionibus, Dæmonem hujus mundi Principem vicit.

NOn eſt nobis ſolummodò conflictus adverſus carnem, *ſed & contra ſpiritalia & aëreas poteſtates* ait Apoſtolus. Hos Chriſtus Dominus Principes hujus mundi vocat, dicens: *Nunc ejicietur foràs Princeps mundi*, Dæmones enim ab ipſo ferè mundi naſcentis exordio, uſque ad Chriſti adventum, genus humanum duriſſimæ ſuæ tyrannidi addixerant, itaut ubique terrarum, tanquàm Dii ab hominibus colerentur. Venit autem Chriſtus, ut ſuâ, & Apoſtolorum prædicatione, Idolorum cultum deſtrueret, Principiſque hujus, ſeu potius hujus mundi Tyranni imperium deſtrueret. Verùm ejectus ille Princeps, priſtinam tyrannidem Romanis Imperatoribus, acerrimiſque Eccleſiæ perſequutoribus faventibus, iterùm uſurpavit; nefario Idolorum cultu, Hæreticorum erroneâ Doctrinâ, & excitatis in Eccleſia Romana contentionibus, ac ſchyſmatibus; quare novos Chriſtus vocavit Apoſtolos, Fratres ſcilicet ſacri Ordinis Prædicatores, inter quos, S. Vincentius Ferrerius miro emicuit ſplendore, ſanctiſſimi Patris ſui Dominici zelo æſtuans, & ut ille canis latrantis ſpecie præfiguratus. Nam, ut ex ejus vitæ hiſtoria diſcimus, mater ejus adhuc eum utero geſtans, ſæpè ſæpiùs audiebat, tanquàm latratus canis in ventre ſonantes; certum planè indicium Evangelici muneris in filio naſcituro, quod ejus animantis ſymbolo ſolet in divinis litteris adumbrari. Ab ipſa fermè infantia argumenta B Vincentius, futuræ ſuæ in prædicando ſolertiæ ac facundiæ dedit; nam annos decem natus, congregatis aliis puerulis, in altiorem locum, cæteris conſidentibus, aſcendebat, & quæ à concionatoribus audierat, vocè, geſtuque reddebat; pueros ſubindè rogans, num aptus, aut ineptus concionator ipſis futurus videretur. Avenioni, cùm in graviſſimum morbum incidiſſet, affuit illi Chriſtus fulgentiſſimâ, & feſtiviſſimâ ſpecie, Angelorum agminibus cinctus; ac ſanctis Patriarchis Dominico, & Franciſco comitantibus, leviterque tactâ ejus maxilla, eum electo ſurgere præcepit, atquè juſſit, ut per diverſas mundi Regiones verbum Dei omni ſtudio prædicaret, imminentemque extremi judicii diem denunciaret; quod adeò fœliciter præſtitit, ut mirabile illud donum ſpiritus ſancti nactus, vernaculâ ſuæ gentis linguâ apud diverſiſſimas nationes prædicans, ab omnibus procùl etiam diſſitas clariſſimè intelligeretur, adeoque fructuoſæ fuere ejus conciones, ut ſupra centum millia perditorum hominum ad meliorem frugem & anteactæ vitæ ſeriam pœnitentiam traduxerit, pluſquam viginti quique millia Iudæorum converterit, & ſupra octo millia Saracenorum relicto Mahomete ad Eccleſiam reduxerit. Electus Iudex, & arbiter apud Caſpenſe oppidum Regnum Arragoniæ, Ferdinando Infanti Caſtellæ adjudicavit. Schiſma inter duos Pontifices ſuadente Dæmone exortum, honorificâ ad eum legatione deſtinatâ extinxit: vir planè divinus, & Apoſtolicus, potens in opere, & ſermone, qui peragratis multis regionibus, multis in propagatione Evangelii exanthlatis laboribus, à Regibus, & Principibus magno ſemper pretio habitus, Deo & Angelis chariſſimus totque de mundo, de carnis illecebris, & de dæmone triumphis relatis, innumeriſque tùm in vita, tùm poſt mortem miraculis Præfulgens, victor triplici coronâ ornatus, in cœlum aſcendit.

CAPUT XXV.

Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis S. Dominici eximia ſanctitas, ex quo innumeræ Sanctæ Virgines Eccleſiam Romanam illuſtrarunt, & illuſtrant.

INter præclara, & eximia facta S. Dominici Patris noſtri, dùm in terris vixit, meritò numerari debet inſtitutio Ordinis Fratrum, & Sororum de militia Ieſu Chriſti, ſeu de pœnitentia, de quo Ordine reverendiſſimi Patres Vincentius Bandellus, & Vincentius Iuſtinianus, ambo Magiſtri Ordinis Generales ſcripſerunt. Cauſam verò hujuſce Ordinis inſtitutionis hanc referunt. Glorioſus Fidei Catholicæ pugil, ac Chriſti Athleta B. Dominicus, quamuis per ſe, ac ſuos Fratres, tàm in Toloſa, quàm in Longobardia Hæreticos triumphaliter debellaſſet, itaut, ſicut in Bulla à Gregorio IX. de ejus Canonizatione, refertur, centum millia Hæreticorum, & ultra, ejus Doctrinâ, Prædicatione, & miraculis ad Fidem Catholicam fuerint converſi: quia verò venenoſa hæc Hæreticorum pravitas mentes hominum adeò infecerat; ut ferè omnia jura Eccleſiarum eſſent per Laicos occupata, qui ea, quaſi jure hæreditario poſſidebant. Ex quo cogebantur Epiſcopi mendicare, nec ullam habebant poteſtatem, per quam poſſent graſſanti errori reſiſtere, nec etiam Clericos, aut pauperes, ſecundum ſui officii debitum alere, & hæc iniquitas in multis partibus, etiam Italiæ regnabat. Quod attendens S. Dominicus, zelo Divino accenſus, nec ſuſtinere valens, cœpit pro divitiis, & bonis Eccleſiæ decertare. Advocans igitur aliquos Laïcos, Deum timentes, ſibique præcipuâ devotione affectos & notos, cœpit tractare cum illis de ordinanda quâdam ſacrâ militiâ, quæ bello Hæreticis indicto, armis bona Eccleſiarum, redditusque temporales recuperarent, ſimùlque Hæreticæ pravitati reſiſterent; & ad hoc juramentum præſtabant, cuncta, quæ dicta illis forent ſe præſtaturos ex totis viribus, itaut proprias opes, imò & ſanguinem pro hoc negotio fœliciter implendo effunderent: ut autem in hoc opere ſancto à propriis uxoribus non impedirentur, idem juramentum etiam ab uxoribus obtinuit, quod videlicet viros proprios ab hoc ſancto opere non impedirent, ſed in omnibus cooperarentur; quibus B. Dominicus vitam æternam promittebat: quare vocavit eos, *Fratres de militia Chriſti*; & ut per aliquod ſignum externum ab aliis Laïcis ſecernerentur, & aliquid operis ſupererogatorii adderent, ultra aliorum conſuetudinem, dedit illis habitum proprium ex panno albo, & nigro, itaut tàm viri, quàm mulieres, quâcumque figurâ veſtium uterentur; album tamen ſemper geſtarent, & nigrum; itaut uterque color exteriùs appareret ad innocentiæ, & humilitatis indicium. Inſuper quandam illis regulam præſcripſit, quemdamque taxatum numerum Dominicarum Orationum, & Angelicarum Salutationum, quas pro qualibet hora canonica, quotidie orando recitarent; ut à divino officio non vacarent: poſt mortem verò B. Dominici, ejuſque à Gregorio IX Canonizationem, prædicti Fratres, & Sorores, dicti de militia Chriſti ob rationes ſupra adductas, videntes quòd beatiſſimi Patris meritis, orationibus, & frequentiſſimis miraculis, nec non Fratrum ſacri noſtri Ordinis Doctrinâ, ac prædicatione peſtis illa pravitatis hæreticæ, tùm Albigenſium, tum Valdenſium, ac Beguinorum penè defecerat, & non multum neceſſaria videbatur pugna illa exterior; ſed ſupererat tantùm, ut per pœnitentiam cum hoſte interiori pugnarent, rejecto nomine militiæ Chriſti, nomen pœnitentiæ ſingulariter habuerunt: creſcente verò quotidiè turbâ Prędictorum Fratrum, & Sororum, S. Murius natione Hiſpanus, totiuſque ſacri Ordinis FF. Prædicatorum Magiſter Generalis, modum illum vivendi, quem hodie habent, & vulgariter regulam vocant, in ſcriptis redegit; quamuis regula propriè loquendo dici non debeat, quia nec eorum ſtatus de ſe propriè dici debet regularis, cùm tria vota ſolemnia in qualibet religione propria non includat. Numero verò, & merito prædictorum Fratrum, & Sororum creſcente in Italia, ſummi Pontifices Romani Gregorius IX. Honorius IV. Ioannes XXII. Bonifacius IX. Innocentius VII. Xiſtus IV. Alexander VI. ſacrum illum de pœnitentia ordinem Apoſtolicis Diplomatibus, quæ à Malvenda noſtro exſcribuntur, confirmarunt, variiſque Privilegiis & Indulgentiis ornarunt. Eximius hic ordo nunc dicitur Tertius ordo S. Dominici, quem innumeri utriuſque ſexus ſancti, eximiâ vitæ innocentiâ, innumeriſque miraculis illuſtrarunt, inter quos veluti matutinum ſydus; S. Catharina Senenſis, S. Margarita del Caſtello, S. Roſa Peruana. B. Angela de S. Severino. B. Anna de Camerino, B. Daniela de Benevento, B. Ioanna de Vrbe Veteri, B. Helena de Piſcy, B. Maria de Venetiis, B. Margarita ſoror Ducis Subaudię, B. Sibillina de Papia, & innumerę aliæ eximiâ ſanctitate, caſtitate, & miraculis conſpicuę, quarum geſta præclara hodie in Noviciatu noſtro Generali Pariſienſi, colliguntur, & in lucem eduntur.

CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

DE LAUDIBUS SANCTÆ CATHARINÆ SENENSIS, Tertii Ordinis Sancti Dominici, gemmæ pretioſiſsimæ.

ORATIO PANEGIRICA.

Ego dilecto meo, & converſio ejus ad me. *Cantic.*

ΗΕΛΙΟΤΡΟΠΟΣ.

FLOS pulcherrimus in hortis noſtris naſcitur, ſolis adeò amantiſſimus, ut ad illum perpetuò convertatur, ejus omnes motus ſuâ converſione ſequens; à quo etiam ita diligi videtur, ut ad eum, lucidiſſimum hoc ſydus oculos, continuò flectat purioreſque lucis ſuæ radios illi infundat. Quare à Grecis venuſtiſſimus ille flos Heliotropus vocatur, à voce græca ηλιος, quæ ſolem, & à voce τροπος, quæ converſionem ſignificat, ſed & ſolis imaginem foliorum ſuorum explicatione, ordine, colore, ac ſplendore ita exprimit, ut terrenus quidam ſol videatur, in quem ſol ipſe cœleſtis fuerit transformatus. Quare B. Catharina Senenſis, Tertii Ordinis S. Dominici flos venuſtiſſimus, Heliotropi ſpecie pulchrè poteſt adumbrari. Solaris enim inſtar hujuſce floris ad Chriſtum mente, corde, corpore etiam, continuò ardentiſſimi amoris impetu convertebatur, ad quam & ipſe Chriſtus, ita fuit aliquandò converſus, ut cor proprium illi dederit, in illam externâ corporis ſpetie ſæpè transformatus; ſed & Magiſtri, ſeu Doctoris, ac Mediatoris, eximia officia à Patre Æterno ſibi conceſſa tribuerit, ſuæque Paſſionis, corporis ſui ſacra Stygmata, corpori ejus imprimens participem effecerit: quare beata hæc Virgo iure optimo hæc ſponſæ, cant. 2. Verba de ſeipſa poteſt proferre: *Ego dilecto meo, & dilectus mihi*: alia lectio; *converſio mea ad dilectum meum, & converſio dilecti mei ad me*. Singula breviter demonſtro.

SECTIO PRIMA.

Beata Catharina Senenſis, inſtar floris Heliotropi totâ mente, corde, & corpore ad Chriſtum ſemper erat converſa.

BEatorum, clarâ Dei viſione fruentium ſpecialis hæc eſt prærogativa, ut docet S. Thomas Doctor Angelicus, quòd ex ferventiſsima charitate Deo arctiſsimè, & perpetuò conjungantur, & in illum transformentur; quare ſoli propriè loquendo beati, ſunt in ſtatu perfectionis completę, cujus gradus, ex diverſis charitatis gradibus æſtimantur. B. autem Catharina Senenſis, cùm adhuc in terris, & in hac mortali vita degeret, non erat beata, nec clarâ Dei viſione fruebatur: quâ ergò ratione Heliotropo à nobis comparatur, qui ad ſolem continuo florum motu convertitur? Vitæ autem mortalis conditio, tot paſsionum, & cogitationum fluctuantium æſtibus agitatę, non permittit, ut ad Deum perpetuo motu convertamur: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena cogitatio ſenſum impedit multa cogitantem*, ait Eccleſiaſticus. B. autem Catharinam hæc dicentem audio, *ego dilecto meo, cui adhærere bonum, imò optimum mihi eſt: tenui eum, nec illum unquam dimittam*, tenuit quidem Chriſtum dilectum ſuum, nec unquam illum amiſit; quia numquam lethaliter peccavit; ſolo enim peccato lethale Deus deſeritur, cùm peccatum ſit receſſus à ſummo bono incommutabili, & converſio ad bonum mutabile, videlicet ad creaturam: verum alio modo dilectum ſuum tenuit, nec unquam dimiſit, quia continuò, dùm adhuc in terris degeret, amoris affectu illi adhæſit; itaut etiam dùm ſomno correpta quieſceret, diceret; *ego dormio, & cor meum vigilat*. Beata ergò erat ante mortem; Beata, non per claram Dei viſionem, ſed per continuum amoris in illum affectum. Num fortè illa ſpeciali Dei privilegio, quod D. Paulo conceſſum eſt, per modum tranſeuntis, Dei eſſentiam vidit? Legimus enim in ejus vita à S. Antonino Archiepiſcopo Senenſi, fide dignißimo ſcriptâ, quod quinquennis, Angelorum miniſterio digna; infans quidem ætate, ſed pietate ſenex, & adulta, & ab incunabulis, cœleſti matura ſponſa, in divini ejus amoris complexu perpetuò vixit, languit, & mortua eſt. Puellula adhuc increatam divinarum perſonarum Triadem vidit, & ab illa benedictionem meruit recipere. *Ubi eſt Theſaurus noſter, ibi eſt, cor noſtrum*, ait Dominus; ipſa enim docet experientia, quod de his rebus, quas diligimus, ſemper cogitamus; B. Catharinæ pretioſiſsimus Theſaurus ipſe erat Chriſtus, ſummumque ejus, & unicum bonum, & miratis, quod mente ſuâ Chriſtum

ſemper

Digitized by Google

ſemper revolverat, quem in intimis ſuis pręcordiis habebat, quem toto cordis affectu diligebat: *cogita de me*, dixit illi aliquando Chriſtus Dominus, viſibiliter ei apparens, *& ego cogitabo de te*. Chriſtus verò ſemper in mente ſua B. Catharinam habuit; quam ab æterno ad cœleſtem prædeſtinavit beatitudinem; ne ergò dilectiſſimo ſponſo ingrata foret B. Catharina, de illo ſemper cogitabat, eumque ſemper, tanquàm ſibi realiter præſentem, contemplabatur. Regius Vates tot inter Regni ſui curas, tot bellis vexatus, Deum tamen ſemper ſibi præſentem contemplabatur: *providebam dominum*, inquit, *in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris meis eſt*. Suaviſſima hæc mentis occupatio, quâ æternæ fœlicitatis delitias in terris prægustamus, omnibus ſanctis familiaris eſt: hâc ne ſanctiſſima Virgo Catharina privabitur? Abſit. *Converſatio noſtra in cœlis eſt*, ajebat Apoſtolus, omnium nomine ſanctorum. Converſabatur ergò B. Catharina in cœlis, & cum Chriſto ſemper dulcia miſcebat colloquia: ſuavi hâc cœleſtium contemplatione adeò delectabatur, ut ſchalas domus aſcendens, per ſingulos ſchalarum gradus orationes, ad Chriſtum effunderet, & Angelicas proferret Salutationes. Adeò familiari colloquio, cum dilectiſſimo ſponſo recreabatur, ut cum illo in ſacello Conventus noſtri Senenſi, quem propriis ego oculis vidi, & in quo à Chriſto deſponſata fuit, pſalmos recitaret, & occurrente ultimo verſu, *Gloria Patri*, ad Chriſtum ſponſum converſa, & tibi ayebat, *& Spiritus Sancto*. Chriſtum enim viſibiliter ſibi apparentem intuebatur. Num ergò verus fuit Heliotropus. B. Catharina, quæ ad Chriſtum perpetuo motu convertebatur. Dicat ergò, *ego dilecto meo*, ſed & dilectus illi, cujus ad eam perpetua fuit converſio; quod ſequenti ſectione, demonſtro.

PARS II.

Chriſtus totus fuit erga dilectiſſimam ſibi Catharinam, totus, inquam mentis, cordis & corporis motu converſus.

AMorem, ſeu cupidinem cæca Gentilitas cæcum effinxit; ineptè equidem; oculatiſſimus enim eſt, cui tot oculi, quot Argus fictitiùs olim habuit: nec ut ille ſoporo correptus dormit, ſed ſemper vigilat: juxta illud in canticis, *ego dormio, & cor meum vigilat*, ad rem amatam ſemper intendens. Sed eſto, amor prophanus, & carnalis cæcus ſit, ut reverâ eſt; amor tamen divinus oculatiſſimus eſt; utpotè ſummâ præditus ſapientiâ, imò ipſa eſt vera ſapientia, quæ ſic appellatur, quia, quæ videt, ſapit: ſapida enim eſt ſcientia; nedùm notitiæ radiis fulgens, ſed & divini amoris igne ardens, nedùm mentes illuminans, ſed & corda inflammans. Chriſtus ab æterno beatam prędilexit Catharinam, nec ab illa oculos ſuos umquam avertit; *oculi* enim *Domini ſuper juſtos. Firmaverat ſuper eam oculos ſuos*, cùm illi dixit; *Cogita de me, & ego cogitabo de te?*

Amor verò; nedùm, ut Argus centum habet oculos, quia amicum ſemper reſpicit: ſed ut alter Briareus centum adhuc habet manus, quia munificentiſſimus; amicum enim innumeris afficit beneficiis, ut eum Abbas Guarricus prodigum vocare non erubeſcat. *Nonne prodigum*, inquit, *qui non ſolùm ſua, ſed ſeipſum donat*; primumque donum eſt, quod amico ab amante donatur, cæterorumque omnium radix, & origo donorum. Chriſtus B. Catharinam ſingulari amore dilexit, tantoque erga illam affectu proſequutus eſt, ut eam ſibi viſibiliter, in præfato ſacello, aſtante Angelorum Regina; & S. Dominico in ſponſam aſſumpſerit! Solent autem ſponſi deſponſatis munera offerre, quæ futuri connubii arrhæ dicuntur. Hanc Chriſtus conſuetudinem ſervare voluit, & B. Catharinæ ſibi deſponſatæ eximium, & pretioſiſſimum munus obtulit; auferens enim ab ea cor, quod à naturâ naſcens receperat, cor illi proprium dedit. Promiſerat olim Deus per Prophetam Ezechielem, quod à nobis cor lapideum auferret, & pro ſummo munere, cor carneum nobis daret. B. Catharina Senenſis præ cæteris hominibus dilecta eſt, cui corde carnali avulſo, Chriſtus proprium cor dedit: itaut in illa, quod Deus per Oſeam Prophetam cecinit, fœliciter fuerit impletum; *ſponſabo te in miſericordia, & vocaberis voluntas mea.*

Amor, nedùm oculatus eſt, & munificus ſeu liberalis, ſed inſtar Polypi vel Cameleontis varias formas aſſumit, ſeſeque in res amatas transformat: quod amori Dei maximè convenit, de hac re legendus Chryſologus, in Serm.

Adeò verò Chriſtus ſponſam ſuam B. Catharinam dilexit, ut in eam ſœpè ſœpiùs transformari voluerit, eamque in ſeipſum transformare. Quòd in eam fuerit transformatus: id ex Confeſſario ſuo Raymundo diſcimus, qui cum eam inviſeret, in lectulo decumbentem, vidit Chriſtum Dominum in eam transformatum. Quòd verò eamdem B. Catharinam in ſeipſum transformaverit, ex triplici capite demonſtro. Primò, quia eximium Doctoris munus, quod illi ab Æterno Patre conceſſum eſt, juxta illud Eſaiæ oraculum; *dabo te in lucem gentium, & erunt audientes poſt terga loquentes:* Chriſtus autem B. Catharinam Senenſem Doctoris laureâ inſignivit: ipſa adhuc data eſt in lucem Gentium, à Chriſto enim edocta, & eximiâ ſapientiæ luce illuſtrata, profundiſſima fidei noſtræ myſteria agnovit, difficillimaſque Theologiæ quæſtiones, Doctoribus undequaquè ad eam venientibus, ſolvebat; de quibus etiam eximios libros Spiritu Sancto dictante, compoſuit: aliud adhuc munus Chriſto Pater Æternus dedit, nempè ut mediator eſſet inter Deum & homines. Eximium hoc munus B. Catharina in terris exercuit. Multa enim odia, & mortales inter homines ſedavit inimicitias pro pace Florentinorum, qui cum Eccleſia diffidebant, & interdicto Eccleſiaſtico ſupoſiti erant, Avenionem ad Gregorium XI. Pontificem maximum profecta eſt, cui etiam, votum ſuum de petenda Romana urbe, ſoli Deo notum, ſe diviniùs cognoviſſe monſtravit, eâque ſuadente decrevit ad Vrbem redire: cui Gregorio, & Vrbano VI. ejus ſucceſſori acceptiſſima fuit, adeò, ut legationibus eorum fungeretur. Sed & aliud Chriſti officium, videlicet Salvatoris mundi æmulabatur. Sœpè ſœpiùs enim corpus domitans acerbis flagellis cruore effuſo, hominum crimina lavare deſiderabat, nihilque illi ſatius, vel dignius in rerum natura viſum eſt, quàm perditos ad ſalutem revocare.

PARS III.

UNum ſupereſt, ut perfectam B. Catharinæ in Chriſtum transfigurationem, ſeu transformationem oſtendamus: videlicet, ſtygmatum ejuſdem Chriſti, in B. Catharinæ corpore realem impreſſionem, quam nemo poteſt in dubium revocare, cùm auctoritate Eccleſiæ ſpeciale feſtum, de illa in Eccleſiis noſtris celebretur. Quo pacto autem admiranda hæc ſacrorum corporis Chriſti ſtygmatorum impreſsio in corpore B. Catharinæ facta fuerit, audiendus B. Raymundus ejus Confeſſarius, cui illa rei veritatem manifeſtavit. Cùm Piſis, inquit B. Catharina moraretur, die Dominicâ, refecta cibo cœleſti, & in extaſim rapta, vidit dominum crucifixum, magno cum lumine advenientem, & ex ejus quinque vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca ſui corporis deſcendentes. Quod myſterium advertens præ ſumma cordis humilitate Chriſtum Dominum precata eſt, ne cicatrices exteriùs apparerent; cujus oratio fuit exaudita; continuò enim radii colorem ſanguineum mutaverunt in ſplendidum, & in forma puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes & cor ejus, tantuſque erat dolor, quem ſenſibiliter patiebatur, ut niſi Deus eum minuiſſet, brevi ſe crederet morituram: hanc itaque gratiam amantiſſimus Chriſtus ejus Sponſus novâ gratiâ cumulavit, ut dolorem illapsâ vi ſentiret, cruentaque ſigna exteriùs non apparerent, ſicque eximiæ ſuæ patientiæ admirandam adjunxit humilitatem. Quod ita contigiſſe, cùm Dei ſamula Confeſſario ſuo Raymundo retuliſſet, ut oculis etiam repræſentaretur, radios in imaginibus B. Catharinæ ad prædicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expreſſit; cum publica, & ſolenni Eccleſiæ Romanæ approbatione: qua ſacro Ordini noſtro permiſit, ut ſpeciale feſtum de ſacris Chriſti quinque Stygmatibus B. Catharinæ corporis impreſſis, in Eccleſiis noſtris celebraremus.

Denique poſt innumera virtutum inſignia, dono prophetiæ, pluribuſque clara miraculis, anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio ad ſponſum migravit, quam Pius II. Pontifex Maximus ſacrarum Virginum ſolenni canoniſationis ritu, numero adſcripſit.

Ejus exemplo toto mentis ſtudio, totoque cordis affectu ad Deum convertamur, ut & ipſe ad nos ſe convertat. Sed ad hoc, gratiâ Dei præveniente, egemus, *convertimini ad me*, inquit Deus; *in toto corde veſtro*: verùm Regium Vatem audio dicentem, *converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis.* B. Catharina inſtar Heliotropi tota ad Deum fuit converſa, ſed prævenerat eam Deus in benedictionibus, à Deo enim, ut dicit Apoſtolus, *habemus velle & perficere*; nec ſine præveniente ejus gratiâ poſſumus aliquid ad ſalutem noſtram cogitare, nec ſanctiſſimum nomen Jeſu proferre, *à Deo*, nedùm in bono perſeverantiam, ſed & initium ſalutis noſtræ habemus, ut qui cœpit, ipſe perficiat. O Virgo ergò maximâ gloriâ præſtans, quam Angeli cœleſtibus laudibus efferùnt, ac cæteri ſuperni cives admirantur! Age apud Deum, ut mentes noſtræ, noſtraque corda continuo amoris affectu ad illum converſa, divinis ſemper præceptis obtemperent! Det Catharina frui nos vero lumine Chriſti, & ſociet ſuperis Virgo beata choris.

Ad ſedes Regni faciat tranſire ſuperni,
Vigo fovens meritis nos Catharina ſuis.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

DE LAUDIBUS

SANCTÆ ROSÆ PERUANÆ,

Tertii Ordinis Sancti Dominici Virginis florentiſsimæ:

ORATIO PANEGYRICA:

ROSA.

Sicut plantatio Roſæ in Hiericho: Eccleſ. 24.

EXORDIUM.

HIERICHONTINA civitas, à civitate Hieroſolymitana non longè diſtans, Gentilem Populum in ſacris paginis adumbrat, ut ex parabola Chriſti non obſcurè innuitur, dicentis, *Homo quidam deſcendebat à Hieruſalem in Hiericho.* Hiericho enim Linguâ Hebraïcâ, lunam ſignificat; Gentiles autem vano Idolorum cultu obcæcati, inſipientiſſimi erant: quænam enim major ſtultitia, quàm ſtatuas vel ligneas, vel marmoreas, vel aureas, quibus nullus eſt vitæ ſenſus, quæ oculos habent, & non vident, aures habent & non audiunt, *&c.* tanquàm Numina colere; Stultus verò in ſacris paginis per lunam figuratur; quia, ut luna mutatur. In civitate autem Hierichontina, pulcherrimæ & fragrantiſſimæ roſæ naſcebantur, centum quinquaginta foliis ornatæ, ut apud Eccleſiaſticum, cap. 24. citato refertur: civitas Lima Regionis Peruanæ Regia, & Metropolis; altera erat olim Hiericho, idolorum cultui addicta, antequam à Prædicatoribus ſacri noſtri Ordinis ad fidem Chriſti converteretur; in illa ſane-

tiſſima Virgo, cui Chriſtus nomen Roſæ impoſuit, cujus & nunc laudes proſequor, nata eſt, ubi inſtar roſæ, ſuaviſſimo, ac fragrantiſſimo ſanctitatis eximiæ, omniumque virtutum odore, totam Indiam Occidentalem perfudit: quare jure optimo illud, quod de ſe æterna, & increata ſapientia, Ecxleſ.24. refert, ſibi poteſt adſcribere, *Ego quaſi plantatio Roſæ in Hiericho.* Hoc autem triplici titulo. Primò, ratione originis; ſicut enim roſa primogenita eſt, ut plurimùm verni temporis veluti filia, primuſque ejus flos: ſic Beata Roſa, prima eſt, quæ in Regno Pervano eximiâ emicuit ſanctitate, Romanæ Eccleſiæ, veluti primogenita, primaque à ſummis Romanis Pontificibus ſanctorum Cathologo adſcripta. Secundò, ratione ſuaviſſimi ejus odoris. Roſa enim inter cæteros flores ſuavius redolet; B autem Virgo, cujus laudes nunc prædico, eximiâ, ut dixi vitæ ſanctimoniâ, totam Indiam Occidentalem recreavit. Tertiò, ratione virtutum omnium heroïcarum pulchritudinis: Roſa enim flores omnes gratiſſimâ colorum varietate tranſcendit, triplicique hoc titulo, Roſa florum Regina à Poëtis vocatur. Prætereà, Roſa ſpinis vallatur & inter ſpinas naſcitur ac floret. Beata Virgo, cujus laudes nunc proſequor, ex ſpinis originem duxit, quia ex Infidelibus nata eſt; inter ſpinas vixit & floruit, quia Chriſti crucem ſemper ab ipſa etiam adoleſcentia portavit; carnem ſuam crucifixit, eamque acerbiſſimis tormentorum aculeis compunxit: roſa deniquè varias habet, & admirandas ad curandas corporis ægritudines, virtutes; Beata ſimiliter Roſa Virgo, quam laudo, gratiam à Chriſto curationum ſtupendam accepit; ut vivens & poſt mortem, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis gresſum, mortuis vitam dederit; jure ergò optimo, à Chriſto Roſæ nomen accepit: ſingula breviter demonſtro.

PRIMA PARS.

Beata Roſa hoc nomen triplici titulo divinitùs accepit.

HAbent hoc merita ſanctorum, ait Ambroſius, ſerm. de S. Joanne Baptiſta, ut à Deo nomen accipiant: Sanctæ Virginis nunc laudes aggredior, quas ab ejus nomine auſpicor; nam, ut ejuſdem Ambroſii verbis utâr, ſerm. de B. Agnete, quid dignum de ea loqui poſſemus, cujus ne nomen quidem vacuùm eſt laudis? Roſæ nomen divinitùs illi fuiſſe inditum cœleſte prodigium indicavit. Cùm enim Trimeſtris in cunis quieſceret; roſa expanſis foliis in ejus vultu mirabiliter apparuit, & hinc roſa vocata eſt; cui poſtea B. Virgo cognomen addidit, mandans, ut deinceps Roſa à S. Maria nuncuparetur. Quâdam verò Dominicâ palmarum, dùm in ſacello ſanctiſſimi Roſarii ferventiùs oraret, ante Deiparæ Virginis imaginem, puerum Ieſum in ulnis geſtantem, mòx vidit eam in filium oculos conjeciſſe, ipſumque Ieſum audivit ſibi dicentem; *Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto.* Ex quo factum eſt, ut pronubâ Dei genitrice, myſtico connubio illi conjuncta ſit, cui ſe toto corde devoverat. Triplici verò titulo Roſæ nomen illi divinitùs fuit conceſſum.

Primò, quia à Deo prædilecta, Deum à primo ſuæ infantiæ exordio, ſupra omnia dilexit. Roſa enim apud omnes Poëtas amoris Hieroglyphicum eſt, benevolentiæ, ſavoris, & gratiæ, quâ quis præditus, omnium in ſe animos convertit, ſibique conciliat. Undè roſæ Veneri olim ſacratæ erant, purpureumque ejus colorem Veneris ſanguinem eſſe commenti ſunt, ex ictu ejus pedis, cùm feſtinabunda Adonidi opem latura, cucurriſſet. Sed & Indorum Magos, ſeu Brachmanas ad Principum gratiam aucupandam nihil efficacius habüiſſe, quàm roſas, nobiles auctores prodidere; ex roſis enim roſaceum confectum & in phialam infuſum, conceptis verbis, arcanoque ritu coram ſole ſiſtebant, planetarumque Principem, medio roſaceo, ut Regum ſibi amorem, & benevolentiam conciliarent, implorabant: habes hunc ritum apud Pierium, lib. 55. Hierogl. ex Luciano luculenter expoſitum. Hinc tritum illud proverbium, *Roſas loqui*, cujus Suidas meminit, cùm verba gratiſſima proferuntur & jucundiſſima. Iure ergò optimo ſacræ Virgini, cujus laudes proſequor, *Roſa* nomen divinitùs impoſitum eſt, quia Chriſto gratiſſima fuit, & ab eo prædilecta.

Hoc alio titulo floridum hoc nomen meruit, ratione videlicet eximiæ, tum corporis, tàm animæ pulchritudinis. Roſa enim cæteros omnes flores pulchritudine tranſcendit; tùm foliorum multitudine, tùm pulchrâ colorum varietate, & interdùm venuſtâ gratâque mixturâ. Quarè Salomon, ut ſponſæ ſuæ pulchritudinem oſtendat, Roſis eam coronatam, & amictam pronunciat; *circumdabant eam*, inquit, *flores roſarum.* Et ipſe, ut ſponſam ad amorem ſui alliciat; *Ego*, inquit, *flos ſeu roſa campi.* Hebraïcâ verò linguâ, Roſa *Chabazeleth* appellatur ethymo vocis compoſito, *Chab* enim idem eſt, ac ſinus, vel amor, *Iſalac* verò *ardere*, *aſſari*; quia roſa, flos eſt ſinu digniſſimus, ſymbolum amoris, quo amantes ſe ardere, & aſſari clamant. Ardebat ſacra hæc Virgo prædilecti ſui Sponſi amore: ardebat & Chriſtus prædilectæ ſuæ Sponſæ charitate, quam vocat Roſam cordis ſui. Ardebant hæ duę Roſæ mutuį amoris incendio, dulciaque inter ſe colloquia miſcebant; nàm, ut dixi, Roſa ſymbolum grati jucundique ſermonis; ſed & orationis: Vox enim Hebraïca *Tſalah*, ex qua *Cabatzeleth* componitur, quæ *Roſam* in illa lingua exprimit, nedùm ardere, ſed & orare, & precari ſonat, undè per roſam oratio ardens, & fervens ſignificatur. Sæpiſſimè autem ſacra hæc Virgo adhuc infans; humi jacebat, fixiſque oculis jucundè cœlum intuebatur; adulta verò & ſacro Tertii Ordinis Sancti Dominici habitu amicta, noctes inſomnes in oratione, divinarumque rerum contemplatione tranſigebat. Silentii adhuc religioſiſſima obſervatrix; fecerat enim ſibi ſecretum cubile, in quo clauſa morabatur, cogitans ſemper, quæ Domini Ieſu Chriſti, prædilecti ſui Sponſi erant, ut eſſet ſancta corpore, & ſpiritu. Quo titulo adhuc Roſa vocari optimè meruit, nam Roſa, nedùm ſermonis, ut diximus, ſed etiam ſilentii Hieroglyphycum eſt apud Poëtas, qui fingunt cupidinem Veneris filium Harpocrati ſilentii Deo Roſam, tanquàm eximium donum dediſſe, ut ſignificarent, delicias & voluptates, quæ per roſam Veneri dicatam indicantur, ſilentio eſſe premendas. Undè in cœnaculis roſa olim, ſupra verticem menſæ affixa conſpiciebatur, quâ convivæ ſilentii admonebantur. Nec abſque ratione amoris obſcœni delitiæ ſilentio premi debent: nefandæ enim ſunt: Sacræ verò divini, caſtique amoris delectationes. Roſa Pervana ſilentii cupidiſſima erat; Vrrboſum tamen erat, & loquaciſſimum ejus ſilentium; quia

orationi ſemper erat adjunctum; oratio autem nihil aliud eſt, quàm ſuave cum Deo colloquium: ſilebat ergò B. Roſa, & ſimul loquebatur; loquebatur autem & ipſa Roſa, quia gratiſſima Chriſto erat ejus oratio, à quo ſæpè illud merebatur audire, Cantic. *Sonet vox auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Sedebat B. Roſa ſolitaria in illo clauſtro, quod ſibi fecerat; ſed levabat ſe ſupra ſe, quia ſæpè ſæpius in extaſim rapta, in aëra elevabatur.

Quanta verò fuerit ſacræ hujuſce Roſæ venuſtas, breviter declaro. Quot ejus virtutes eximiæ, tot ſolia, diverſis coloribus depicta. Perpetua ejus virginitas, candorem; ardentiſſima erga Deum, & proximum charitas, ruborem; ſumma humilitas, violaceum, ſignabat. Roſa nedùm pulchritudine, ſed & odoris fragrantiâ cæteros flores ſuperat. Roſam, inquit Plutarchus, Græcè *Rodon* dici exiſtimat à fluendo, quòd odoris fluxum plurimum emittat, & maximâ fragrantiâ diffluat. Fingunt autem Poëtæ præcellentem illum odorem Roſæ indè conciliatum, quod in Deorum convivio, cupidine reſtante, temerè nectar in menſa poſitum, ſupra roſam effuſum fuerit. Valeant, valeant tamen fabulæ; ad ſeria. *Chriſti bonus odor ſumus*, ait Apoſtolus, propter innumera virtutum exempla & miracula, quæ tunc temporis ab Apoſtolis ubique terrarum edebantur. Virtus enim odoris eſt fragrantiſſimi, quo totus orbis redolet. B. Roſa Perüana, inſtar roſæ totam Americam, præ cæteris verò ejus Regnis Perüanum, eximiæ ſuæ ſanctitatis fragantiâ, innumeriſque miraculis ad Chriſti fidem convertit; nec ex admirando hoc ſuaviſſimi odoris & effluxu, emarcuit, ut roſis accidit, quæ propter nimium odoris effluxum, citò marceſcunt; quare Symbolum adhuc ſunt humanæ fragilitatis, & mortalitatis; quapropter ſuper ſepulchra olim ſpargebantur; corpus autem B. Roſæ ejus incorruptum permanſit.

Unum ſupereſt, quod ad ſacræ hujuſce Virginis laudem non parum confert, ex quo adhuc ſuaderi poteſt, jure optimo floridum Roſæ nomen divinitus illi fuiſſe impoſitum; videlicet, quòd ſicut roſa inter flores prima vere naſcente oritur, florumque primogenita dici debet, ſic B. Roſa, à Clemente IX, Summo Pontifice primus ſanctimoniæ floſculus appellatus, quem India Occidentalis cœlo obtulit, primaque, quæ cœlitum albo adſcripta eſt, quam idem Summus Pontifex totius Regni Perüani principaliorem Patronam Apoſtolicà auctoritate elegit & declaravit, illiuſque Feſtum ubique terrarum à Fidelibus, præ cæteris in ſacris noſtri Ordinis Eccleſiis ſervari mandavit.

PARS II.

Beata Roſa Perüana, propter acerbiſſimas carnis mortificationum punctiones, hoc nomen jure optimo meruit.

ROſam olim, & in ipſo mundi naſcentis exordiu, ſpinis caruiſſe docet Ambroſius, lib. 3. Exameron cap. 11. his verbis: *ſurrexeras ante floribus immixta teneris ſine ſpinis roſa, & pulcherrimus flos ſine fraude vernabat: poſtea ſpina ſepſit gratiam floris, tanquam humanæ ſpeculum præferens vitæ*, concinit Baſilius Homil. 5. in examen his verbis; *Roſa tunc ſpinis carebat; poſtea verò pulchritudini floris adjunctæ ſunt ſpinæ.* Sacra noſtra Roſa Perüana ſpinis dubio procùl debuit carere; quià, ut docent iidem Ambroſius, & Baſilius, roſa quæ olim ſpinis carebat, cùm primi generis humani parentes in ſtatu vivebant primævæ innocentiæ, propter eorum peccatum ſpinis vallatæ ſunt. B. autem Roſa nullâ unquam toto vitæ ſuæ decurſu peccati lethalis labe animam habuit infectam, baptiſmalemque innocentiam illibatam cœlo intulit: verùm innumeris ſpinis vallata fuit, id eſt, corporis & animi tribulationibus. Duo autem ſunt genera tribulationum, ut nobis Regius Vates, in Pſalmis Deo inſpiratore, revelavit, quædam enim ſunt tribulationes ab externa inimicorum vi nobis inflictæ, quas non quærimus, putà à dæmone, eorumque miniſtris ad nos immiſſæ, vel ab ipſomet Deo, ut patientiam noſtram exploret, & exerceat. Aliæ verò ſunt, quas ut Chriſto Domino flagellato, ſpinis coronato, & crucifixo conformemur, charitate impellente, & præ deſiderio patiendi propriâ ſponte quærimus, nobiſque liberrimè infigimus: de utroque genere ſpinarum, ſeu tribulationum, ſic loquitur Regius Vates; & quidem de primo genere; *invenerunt me*, inquit, *tribulationes*, de altero, *tribulationem*, inquit, quam quærebam, *inveni*. Utriuſque generis tribulationibus, tanquàm ſpinis acutiſſimis ſacra noſtra Roſa Perüana vallata fuit; & quidem primò, tribulationibus ab externa vi, ſcilicet à dæmonibus, eorumque miniſtris, ſibi inflictis. Innumeros enim à ſpiritibus malignis, B. Catharinæ Seneuſis exemplo, cujus exemplar virtutum, in ſe exprimere ſtuduit, inſultus paſſa eſt, quos omnes Dei ope eluſit. Nec minus acerbos à domeſticis, & à propria matre moleſtias accepit: qui illam connubio opulento præparabant. Cumque eam ab hujuſmodi vanitatibus prorſus alienam proſpicerent: cæteri, id eſt, cognati, objurgationibus, mater verberibus, innocentem quotidie affligere non ceſſabant. Vicit tamen conſtantia Virginis, ſublatiſque omnibus impedimentis: id quod diu optaverat, inenarrabili cordis lætitiâ conſequuta eſt, capilliſque capitis detonſis habitum Tertii Ordinis S. Dominici Patris noſtri accepit. Vicit ergò B. Roſa dæmones, vicit eorum miniſtros. Non defuere adhuc illi internæ animi afflictiones, ariditates, deſolationes, & cum hoſte infernali luctæ quotidianæ, quas omnes invictâ patientiâ, ſuſtinuit & ſuperavit.

Quia verò inſatiabili patiendi deſiderio æſtuabat, S. Ignatii exemplo accenſa, qui dicebat, *nolo eſſe vulnere, quia Chriſtus amor meus crucifixus eſt*, & B. Tereſiæ dicentis; *aut mori, aut pati.* Et S. Ludovici, Bertrandi Ordinis noſtri: hìc ure, hìc ſeca, dum modò in æternum parcas; non contenta, quòd tot eam externæ ſpinæ pungerent, & immiſſæ à dæmone ejuſque miniſtris tribulationes eam impeterent, novas ipſa tribulationes propriâ ſponte quæſivit, propriâque manu acutiſſimas ſpinas corpori ſuo infixit. Clavum enim parieti fixit eique capillos, quos ante frontem ad tegendam coronam, ante frontem reliquerat, alligavit, ut ſi importunus ſomnus obreperet, penduli corporis cruciatu evigilaret, & ne ullum momentum à pœnis, ſpinarumque aculeis vacaret, lectulum ſibi conſtruxit ex nodoſis & inæqualibus ſtipitibus, teſtarum fragmentis interpoſitis, in quo duarum dumtaxat ſpatio horarum ſomnum leviſſimum carpebat, ſaxum, vel lignum adhibens pro cervicali. Sed & occultam ſub velo coronam diris aculeis armatam

capiti impoſuit : cathena acuminata triplici ductu lumbos præcinxit. Ter ſingulis noctibus cum ſanguinis effuſione, ſe flagellabat ; oculos pipere perfricabat, lapide pedes vulnerabat, ne fornias exire à matre cogeretur. Sacra ergò hæc Virgo, vera fuit Roſa innumeris ſpinis vallata, inter quas pulchriùs florebat, ad omnium hominum ſalutem.

PARS III.

Sacra hæc Virgo, Roſa fuit ad omnium ſalutem nata.

ROſa, inquit Plinius lib. 21. c. 4. in unguenta tranſivit ; medicas artes præbet, emplaſtris, atque collyriis inſeritur. Cor & cerebrum odoris ſuavitate recreat ; intùs verò adhibita affectarum partium dolores mitigat, & confortat ratione ſuæ aſtrictionis : ſuccus ejus placidè alvum proluit, flavam bilim expurgat, jecoris obſtructioni medetur, febreſque tertianas curat. Ad ſalutem nedùm animarum, ſed & corporum longè potentior eſt ſacra noſtra Roſa, quæ cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mortuis vitam reſtituit : quare tot à Chriſto Sponſo miraculis ornata à Clemente IX. beatarum Virginum, ſumma Reverendiſſimi P. Noſtri Generalis Magiſtri Antonii de Monroy Conventus noſtri Limenſis diligentiâ, cathalogo fuit inſcripta. Sacram ergò hanc Virginem Roſam toto cordis affectu veneremur, ejuſque virtutes æmulemur ; paſſiones, & ſpinarum aculeos corporibus noſtris infigamus ut cum ipſa in cœlo in æternum lætemur.

FINIS.

AΦ1 1655563

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google